Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de


Johann Affelmann

Appendix Scriptorum Nonnullorum b.D. Affelmanni : Quae Denuo hinc inde fuere collecta, Et quorum Pleraque, quae hic leguntur, antea nondum fuere edita

Lipsiae: Ritzschius, 1677

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027629733

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1027629733/phys_0001
Mecklenburg
Vorpommern

KB NB 0192.1-3

Regional-
bibliothek
Neubrandenburg

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1027629733/phys_0002

Mecklenburg
Vorpommern

Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1027629733/phys_0006
Mecklenburg
Vorpommern

APPENDIX SCRIPTORUM

Nonnullorum

b. D. AFFELMANNI,

Qvæ

Denuò hinc indè fuêre collecta,

Et qvorum

Pleraqve, qvæ hîc leguntur, anteà nondum fuêre edita;

Nunc

revisa, emendata, & publici juris facta,

Studio & Opera

GEORGII MOEBII, S.S. Theol. D. & Prof. Publ.

Cum indicibus necessariis.

Sub Privilegio Serenis. Electoris Saxon.

LIPSIÆ.
Sumtibus ac Prælo TIM. RITZSCHII,
Anno M. DC. LXXVII.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027629733/phys_0007
Mecklenburg Vorpommern

APPENDIX
SCRIPTORUM
Nonnullorum,
D. AFFELMANNI,
Quae
Denuo hinc inde fuere collecta,
Et variorum,
Praecipue, de rebus Regiomontanis, antea
nondum fere edita,
Nunc
recusa, emendatiora, & publici juris
facta
Studio & Opera
GEORGII MOEBII, S. S. Theol. D.
& Prof. Publ.
Cum tabulis aeneis.

Sub Privilegio Serenis. Electoris Saxon.

LIPSIAE.

Sumtibus ac Typis TIM. RITZSCHII.

Anno M. DC. LXXVII.

SUperiori Anno in publicum emisimus, *B. Lector*, scripta Affelmanniana, qvæ hinc inde non sine labore collegeramus. Movit inprimis nos acumen hujus Theologi non vulgare, & profunda ipsius eruditio, qvæ in ejus scriptis elucet, qvâ de re plura diximus *in Præfat. ad Lect. Syntagmati* præfixâ. Gratum tibi fuisse hoc nostrum studium, variis edocti fuimus indiciis. Non tantùm enim in literis ex diversis locis ad nos missis eo nomine multi, & inter hos magni viri pro hâc præstitâ operâ grates nobis egerunt, sed etiam ab aliis avidè hæc scripta Affelmanniana fuêre excepta. Non dubitamus, qvin ex diligenti, & accurata istorum lectione insignis utilitas ad studiosam juventutem, & totam orthodoxam Ecclesiam sit redundatura. Cœterùm promisimus simul, nos, si scripta qvædam Affelmanniana adhuc ad manus nostras pervenerint, qvorum copia hactenus nobis non fuerit facta, in tui commodum etiam illa lubentes tecum esse communicaturos. Promissi nostri memores, certiorem jam te facimus, qvod partim ex Academia Rostochiensi Dn. *D. Varenius*, amicus, & frater noster in Christo honoratissimus, manuscripta qvædam Affelmanniana, qvæ B. ipsius parens in Collegiis privatis ex ore *B. D. Affelmanni* exceperat, partim etiam ex Academia Hafniensi Vir Clariss. *Dn. M. Andreas Erici Stenchelstrupius*, amicus noster dilectus, disputationes qvasdam, qvas antea non vidimus, nobis transmiserint. Hæc itaqve scripta, ubi nacti fuimus, illaqve non obiter, sed oculo attento inspeximus, dignissima qvoqve judicavimus, qvæ luci exponerentur publicæ. Manuscriptorum autem fuêre duo, qvorum alterum brevibus objectionibus, & solidissimis responsionibus locos Theologicos *in compend. Th. D. Hafenr efferi* traditos dilucidat. De hoc Collegio Manuscriptum qvoddam nobis etiam communicavit *Dn. D. Scherzerus*,

Serus, Collega, Compater, & Affinis noster conjunctissimus, qvod hactenus semper magni æstimavit. Diligenter ergò hæc exemplaria contulimus, & unum ex altero emendavimus: Alterum explicat potiores Articulos super *Formulam Concordiæ* (qvibus tamen alii qvidam etiam sunt adjuncti) per objectiones atqve accuratas, & rotundas responsiones, ac instantias. Harum itaqve objectionum, & responsionum, qvæ in utroqve Collegio occurrunt, usus insignis esse poterit, partim Dnn. Pastoribus in examinibus, & Synodis, partim Dnn. studiosis in Collegiis privatis disputatoriis, imò alii qvoqve exinde in studiis suis egregios sibi promittere poterunt profectus, qvod etiam de disputationibus, qvarum numero sunt IV. qvasqve jam simul exhibemus, dictum volumus. Cum ergò publicæ utilitati hâc nostrâ operâ nos inservituros certò confideremus, hinc sepositâ omni morâ manum admovimus, Scripta illa cum cura perlegimus, à sphalmatibus repurgavimus, & prælo commisimus, qvanqvam, qvod dolemus, Typothetarum incuriâ inter exscribendum denuo qvædam, eaqve non levia, irrepserunt, qvæ sub finem notavimus. Fatemur autem, non parum laboris nos insumsisse in emendandis istis manuscriptis, cum per nimias abbreviaturas, & literarum trajectiones sensus verborum non ubiqve fuerit statim obvius, sed diligenti, & indefessâ scrutatione esset eruendus. Qvicqvid autem fuerit, in tui commodum laborem hunc lubenter suscepimus. Hâc ratione etiam fidem datam simul liberamus, & ut speramus, novo beneficio Te nobis obligamus. Sicubi etiam posthac in tali, vel simili officiorum genere studiis tuis prodesse poterimus, nullam occasionem sumus prætermissuri. Scribebamus Lipsiæ in Museo nostro, die VI. Mart. Anno Εναυθρωπήσεως, MDC LXXVI.

Georgius Mœbius, Th. D. & Profess. Publ.

DIS-

APPENDIX

DISPUTATIO I.

LUTHERANORUM CLYPEUS,

Hoc est,

ASSERTIO SOLIDA

DIVINÆ AC INFINITÆ MAJESTATIS CHRISTO JUXTA CARNEM DATÆ, ANTAGONISTIS NOSTRIS CALVINIANIS INPRIMIS OPPOSITA,

Ex Aphorismo nobili Matth. 28. 18.

Ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς.

עמיעשי

Thesis Prima.

DAvid servus Jehovæ, ut hinc indè in scripturis appellatur, audiens à Goliatho, duellatore illo Philistæo, opprobrio Israëlitarum aciei illato, ipsum Jehovam probro affici, ægerrimè hoc ferebat, & non prius qvievscere poterat justo zelo accensus, qvàm hanc illatam ignominiam vindicaret, *1. Sam. 17.*

2. Nos etiam omnes titulo servorum Christi, qvi est Deus super omnia benedictus in secula, *Rom. 9. 5.* gaudemus, & qvidem jure triplici. Sicuti enim in V. T. erant servi 1. Nati, ut trecenti illi vernæ Abrahami *Gen. 14. 14.* 2. Emti, ut Josephus *Gen. 39. 1. 4. 17.* 3. Spontanei, qvi servitute exire nolebant. *Deut. 15. 17:* Ita etiam nos in N. T. Deo inserviendo astricti sumus jure triplici: 1. Jure creationis. Ille enim velut argillam fecit nos, cute & carne induit nos, ossibus & nervis texit nos, *Job. 10. 9. seq.* 2. Jure redemtionis. Nam emti sumus pretio, *1. Cor. 6. 20.* videlicet non argento, & auro, sed τιμίῳ αἵματι Christi agni immaculati, *1. Pet. 1. 18. 19.* 3. Jure spontaneæ oblationis. Postqvam enim baptisati sumus, stitimus nos Deo, ut ex mortuis vivos, & membra nostra arma justitiæ, *Rom. 6. 5. & 13.*

3. Sicut autem David servitii sui Jehovæ præstandi memor, probrum, qvo Dominus suus afficiebatur, vindicare totis viribus annitebatur ejusdem auxilio confidens: Ita nos ejusdem haud obliti, noctesqve diesqve omnibus nervis eò laboremus, Domini nostri Jesu infinitâ potentia freti, qvò fœdam illi illatam injuriam profligemus.

4. Etsi verò ejus obtrectatores planè eradicare non possumus nec debemus, prohibente Christo, *Matth. 13. 29.* eò tamen nobis incumbendum est, ne servi ingratissimi salutemur, & tacendo ac non obstando alienis peccatis communicemus, *1. Tim. 5. 22.*

5. Hoc trutinantes nostrates Theologi cum in templis, tùm in scholis Regiis ad docendum constituti tàm ore, qvàm calamo per multorum annorum decursus protestati sunt, Summam à *Calvinianis, Jesuitis,* & aliis nostro Salvatori ac Domino Jesu inferri injuriam, si ipsi divinam & infinitam Majestatem juxta carnem denegent. Et idipsum multis ac fortissimis argumentis ex verbo Dei desumtis demonstrarunt.

6. Horum vestigia nos pressuri Majestatem Christi Domini nostri qvà homo est, propugnabimus non qvidem pro rei dignitate, id qvod promittere non habemus, sed cùm pro ingenii nostri tenuitate, cujus optimè conscii sumus, tum pro dicti hujus Classici manuductione. Qvia verò *Nazianzeno,* Scripturâ S. *Col. 3. 17.* prævia, dicente, Τάξις ἀρίστη παντὸς ἀρχομένου καὶ λόγου καὶ πράγματος ἐκ θεοῦ ἄρχεσθαι, καὶ εἰς θεὸν ἀναπέμπεσθαι, hoc suspirium ad fratrem nostrum præmittimus:

Christe homo, Rex Regum, cœlesti σύνθρονε patri,
Annue: qvæ asseritur gloria sola tua est.

7. Hoc voto præmisso aureum nostrum Aphorismum aggredimur, qvi in græco textu ita habet: Ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς. Hæc verba in inscriptione *Lutheranorum Clypei* titulo insignivimus, non tàm qvod *Zanchius tom. 8. Miscel. fol. 178. col. 2.* ea ita vocet, qvàm ut ostendamus, nos neqvaqvam inficias ire, ex his verbis argumentum nos petere non postremum, qvo Majestatem Christi hominis probamus, certissimè persvasi, illud esse clypeum adeò robustum, ut non tantùm homines, sed etiam ne ipsæ inferorum portæ contra eum qvicqvam valeant, qvippe qvi ex Dei verbo, cœlo terraqve solidiore confectus est, *Luc. 21. 33.*

8. Qvod

8. Qvod ut pateſcat, tria conſiderabimus, 1. Aphoriſmi προοίμιον. 2. σωίεσιν. 3. πρᾶξιν, *vel proœmium, ſenſum, uſum.*

Pars Prima.

9. In *proœmio* occurrunt notandæ inprimis hæ qvinqve περιστάσεις, 1. A qvo. 2. Qvibus. 3. Ubi. 4. Qvando. 5. Qvâ occaſione & ſcopo hæc ſint dicta.

10. *Qvis* noſtri clypei ſit Author, ex textu non eſt obſcurum, ubi ſic legimus *verſ. 18: Et accedens Jeſus loqvutus eſt eis*: Jeſus putà non ille Iſraëlitarum Dux *Joſ. 1. 1.* confer *Act. 7. 45.* nec ille Pontifex maximus, *Zach. 3. 1.* ſed Dei & Mariæ Filius, *Luc. 1. 31. ſeq.* qvi populum ſuum ſalvum facit à peccatis, *Matth. 1. 21.* in cujus nomine nos ſalvos fieri oportet, *Act. 4. 12.* qvippe qvi traditus eſt propter peccata noſtra, & excitatus propter juſtificationem noſtri, *Rom. 4. 24.* Hic Jeſus nomine & omine talis, hoc eſt, Salvator (forſan Latinitatis Ciceronianæ ſtudioſus diceret Servator, *Chemnic. in Har. Evang. c. 9.* Nos autem cum Eccleſia loqvi & credere decet. *Mentz. tom. 1. diſp. Gieſ. 2. th. 5.*) hæc verba eſt locutus, ſed

11. 2. *Qvibus?* Eis ait textus, videlicet diſcipulis undecim, *verſ. 16.* Notum eſt, nomen diſcipuli aliqvando accipi generaliter pro fideli qvovis: ſic *Luc. 14. 26. Act. 1. 15. c. 6. 7.* qvi *Act. 11. 26.* Chriſtiani, *Pſal. 105. 15.* uncti dicuntur. Hîc autem ſpecialiter ſumi, & eo nomine ſolos Apoſtolos venire, indicat numerus undenarius adjectus. Neqvaqvam verò Matthæus undecim mentionem faciendo plures excludit, & qvidem illos plus qvàm qvingentos fratres. Aliud ſvadet partim hiſtoricæ relationis ſeries, *1. Cor. 15. 5. 6. 7.* partim firma Chriſti promiſſio, *Matth. 28. 7. Marc. 16. 7.* imò ex ipſo Matthæo, alios præter Apoſtolos adfuiſſe, haud improbabiliter colligitur, qvando qvidam dubitaſſe leguntur, cum de Apoſtolis tot manifeſtationibus de Chriſti reſurrectione confirmatis tale qvid ſuſpicari vix liceat.

12. 3. *Ubi* hæc ſint dicta? In monte Galilææ dicit *verſ. 17.* Qvis verò hic mons fuerit, num Tabor, Carmelus, Hermon, aut promontoria Libani, vel alius in meditullio Galilææ ſitus, certò dici neqvit. Si conjecturis aliqvid concedendum, ex circumſtantiis nonnullis in monte Tabor hæc à Chriſto dicta eſſe colligi poteſt.

13. Et

13. Et qvidem 4. post Resurrectionem suam ex mortuis in solenni illa manifestatione ante suam ad cœlos adscensionem hæc verba est locutus. Etsi enim *Augustinus l. 3. de consensu Evangelist. c. 25.* hoc de Majestate Christo data, testimonium ad diem adscensionis referendum esse censet, tamen qvia historiæ de Christi manifestatione, qvæ in monte Galileæ contigit, arctè in textu connectitur, *confer. vers. 16. 17. 18.* illi hoc adjungendum esse, cum Dn. D. Gerhardo statuimus.

14. 5. *Occasio & Scopus* Christi dictorum hic est: Cum qvidam Christum redivivum intuentes eum interioris adorationis cultu honorarent, qvibusdam verò absurdum videretur, eum resurrexisse ex mortuis, qvem die parasceves tam miserè tractatum & crudeliter occisum noverant, ac proindè non fide plenâ statuerent, hunc ipsum, qvem coram videbant Jesum Nazarenum verè ex mortuis excitatum esse; Christus, ut omnem dubitationem illis eximeret, propius accedebat, & voce nota eos compellabat, ostendens simul dictorum gravitate, se in forma servili esse qvidem passum ac mortuum; Verùm jam illa depositâ à se, vivum ex mortuis resurrexisse, & deinceps plenariè in cœlo & terra dominaturum esse.

15. Et hoc ipso non tantùm illi de Christi Resurrectione confirmabantur; Sed etiam Apostolis per totum terrarum orbem Evangelium prædicaturis animus addebatur, ne ob innumeros Satanæ insultus sibi in futuro officio exspectandos nimiũ trepidarent, & animum, demandatæ functionis gravitatem, & periculorum variorum atrocitatem considerantes, desponderent. Se enim illos nunqvam derelicturum, sed potenter ubicunqve semen verbi sparsuri essent, adfuturum. Hanc esse occasionem, & scopum ex attenta τῶν προηγουμένων καὶ ἑπομένων consideratione clarescit. Et hæc brevissimis de Aphorismi φράσει: porro de ejus σωτέσει agendum erit.

Pars Secunda.

16. *Aphorismi sensus* ut pateat, notanda sunt qvinqve: 1. Qvis hanc potestatem dederit? 2. Qvid. 3. Cui. 4. Qvomodò. 5. Qvando.

17. 1 *A qvo* Christus potestatem hanc acceperit hic ἀοριστως indicatur: *Data est mihi omnis potestas*, &c. *Tertull. lib. adverss. Prax. c. 16. & lib. de fuga & persecut. c. 2.* hoc loco legit: Data est mihi à *Patre* omnis pote-

1 Qvis?

potestas, &c. Qvod licet ῥητῶς in nostris non legatur, subintelligendum tamen esse, ex *Dan.7.14. Matth.11.26. Joh.3.35. Eph.1.22.* & aliis constat, ubi Christus eam potestatem à patre accepisse expressè scribitur.

18. Hinc verò non seqvitur, ab hac donatione *filium & Spir.S* excludi; potius omnes tres Divinitatis personas includi, seqventibus evincitur. 1. Qvia ejusdem hujus infinitæ potestatis effecta in scriptura *& Patri, & Filio, & Spiritui S.* tribuuntur: Sic patri & filio ex mortuis resuscitatio, *Ephes.1.20 Joh.10.18.* exaltatio, *Phil.2.9. Eph.4.8.* à dextris collocatio, *Eph.1.20. Marc.16.19.* omnium hostium devictio, *Ps.110.1. 1.Cor.15.25.* sic illuminatio patri, *Jac.1.17.* filio *Johann.1.19.* Spiritui *8. Eph.3.9.*

19. 2. Qvia opera SS. Trinitatis ad extra qvoad actum sunt indivisa, ob indivisam divinæ essentiæ virtutis & voluntatis unitatem, *Joh.5.19.* Ita tamen hoc accipiendum est, ne ordo & cujusqve personæ proprietas violetur, sed servetur, qvo refert pia vetustas illud *Rom.11.36.* Ut enim personæ sunt, ita agunt. Sic filius est à patre, ita etiam agit à patre. Secundum scripturam ergò Deus pater, vel ipse λόγος, vel Spiritus S., sive tota SS. Trinitas carni assumptæ hanc potestatem dedisse rectissimè dicitur, qvanqvam pater (uti & SS.) non intra suam hypostasin, sed intra hypostasin *filii* & unione personali mediante communicavit.

20. Hujus donationis fundamentum & causa est unio hypostatica τοῦ λόγου & carnis. λόγῳ enim veram & perfectam humanitatem ex substantia Mariæ virginis matris in suam personam assumente, *Joh.1.14. Ebr.2.14.16.17.* hæc divina Majestas ipsi naturæ assumtæ data & communicata est. Id qvod scriptura innuit, qvando hujus ἐνσαρκώσεως mentionem faciens plerumqve Idiomatum communicationem adjungit, ut videre licet ex *Luc.1.32.33. Joh.1.14.16. cap.3.34.35. Col.2.3. & 9.* utpotè sine qva nec unio facta, nec dextrè explicari aut intelligi potest. Qvi enim κοινωνὸς est naturæ & ὑποστάσεως, ille & propriorum particeps sit necesse est, qvia cohærent & hic sunt unum ταυτό.

21. Qvare verò scriptura hanc Majestatis collationem utpluriμùm patri tribuat, rationes potissimùm tres à Theologis redduntur. 1. Qvia pater est fons Trinitatis, à qvo filius per æternam gene-

Quare Patri talem potestatis deferibat?

nerationem omnia, qvæ ad naturam suam spectant, accepit. 2. Qvia sicut *Patri* tribuitur decretum de redemtione nostri, ejusqve in tempore facta executio &c. *Joh.3.16. c.6.39. c.10,18. c.14 10. &c.* ita qvoqve ad *Patrem* tanqvam ad fontem hæc Christo data potestas refertur, 3. Ne de mediatoris λύτρωσις perfectione dubitaremus. Nam *Pater* Christum sponsorem nostrum ob peccata nostra in carcerem conjecerat. Qvia ergò eum indè liberatum exaltavit dando ipsi potestatem in cœlo ac in terra, plenissimè pro nobis satisfactum esse indè colligitur.

22. Ex jactis fundamentis duo *Adversariorum argumenta*, qvibus vehementer exultant, facili negotio refutari possunt. *Primum ita habet*: *Pater* dedisse dicitur *filio* omnem potestatem. Ergò est relatio inter *Patrem* dantem & *filium* accipientem, non autem inter λόγον & carnem assumtam, & proindè non rectè dicitur carni data esse omnis potestas. Resp. est fallac. secundum qvid. Nam relatio est inter *Patrem* & λόγον, sed respectu naturæ assumptæ. Nam respectu divinæ *Pater* & *filius* sunt essentialiter unum, & qvæcunqi agit *Pater*, ὁμοίως & *filius* agit, *Joh.5.19.* Ergò illa μεγάλη ἐξουσία ad humanam naturam referenda est.

23. *Secundum* hoc modo formant: Si idiomata divina (& inter hæc omnipotentia) communicantur carni Christi, consequitur indè incarceratio *totius Trinitatis*, qvia illa idiomata cum sint essentialia & naturalia, *toti Trinitati* conveniunt. Hoc autem est absurdum, ergò & illud. Resp. 1. per ἔνεργειαν. Natura divina est communis toti *Trinitati*, Ergò si divina natura est incarnata, ut patres loqvuntur ex scriptura, *Col.2.9. Act.10.38. 2. Cor.5.19.* tota *Trinitas* est incarnata. Hoc est ἀνακόλουθον, ergò & illud. 2. Idiomata divina considerantur dupliciter, 1. ἁπλῶς. 2. σχετικῶς, ut hoc loco, qvatenus videlicet divina natura τρόπῳ ὑπάρξεως in *filio* limitata est & γεννητῶς considerata. Hoc, non illo modo carni sunt commmunicata. 3. Distingvendum inter incarnationis & (qvæ hujus est consequens) communicationis causas externas & internas (ut ita docendi gratia loqvamur) Illo respectu incarnatio & communicatio est opus *SS. Trinitatis*, qvia *Pater*, *filius*, & *SS.* efficiunt & operantur eam suoq; fini destinant, ut constat ex *Luc.1.* non hoc: Qvia unionem forma-

maliter non constituunt. Solus enim λόγος factus est caro, *Johann. 1. 14.*

24. Hactenus qvis dederit, vidimus: Jam 2. *qvid* datum sit, considerandum venit. Verba huc spectantia ita sonant: πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς. Hic observanda sunt duo: 1. Vocis ἐξουσίας ὁμωνυμία. 2. Ejusdem ἑρμηνεία sive ἀποφασις. II. Qvid?

25. Vox ἐξουσία in scriptura usurpatur 1. pro legitima potestate privata, *Rom. 9. 21.* 2. Pro legitima potestate publica & hinc pro personis ejusmodi potestate præditis, *Rom. 13. 1. Eph. 1. 21.* 3. Pro indicio potestatis metonymicè, *1. Cor. 11. 10.* 4. Pro dignitate ac majestate, *Joh. 1. 12.* 5. Pro loco alicujus Dominii. *Col. 1. 13. Luc. 4. 6.* 6. Pro efficacia ac robore, sic *Matth. 10. 1* confer, *Luc. 9. 1.* Huic significationi sæpè ἐλευθερία καὶ ἀυθεντία libera & plena facultas & legitima potestas, præcipuè cum aliqvid à *Deo* aut *Dei* nomine fit, includitur. Et hanc hîc potissimùm intendi ex ἀποφάσει & contextus συνεχεία liqvet. homonym. Ἐξουσίας

26. Communis est Calvinianorum sententia, qvod Christo juxta humanitatem per & propter unionem hypostaticam divina Majestas & infinita potestas non sit communicata: Alii tamen aliter se explicant. Qvidam nomine omnis potestatis, *Matth. 28. 18.* potestatem, virtutem, potentiam, adeòqve divinum imperium intelligi fatentur, ut *Sadeel lib. de verit. hu. nat.* & qvi ipsum seqvuntur: Alii diserte negant, ut *Beza par. 1. Respons. ad Coll. Mompel. pag. 132. Danæus in exam. Chemnit. p. 363. Zanchius lib. 2. de incarnat.* Priorem sententiam qvi amplectuntur, eam personæ datam esse concedunt, sed determinationem juxta humanam naturam admittere nolunt. Posteriorem qvi tuentur, eam naturæ humanæ datam esse largiuntur, vide infra. Sensus Calv. de communicatione Divinitatis.

27. Hinc qvidam ut dictam sententiam obtineant, distingvunt inter δύναμιν & ἐξουσίαν; hanc, non illam Christo juxta humanitatem concessam esse largientes, ut videre est apud *Zanchium dicto lib. & lib. 3. de natura Dei c. 1. q. 1.*

28. Nos inficias non imus, inter ἐξουσίαν & δύναμιν aliqvod & aliqvando esse discrimen. Id enim indicat partim notatio, partim horum locorum diligens consideratio, *1. Cor. 1. 24. Luc. 4. 36.* Verùm licet in creaturis possit δύναμις ab ἐξουσία, & hæc ab illa sejuncta esse, ob

subjecti imbecillitatem, de *Deo* tamen loqvendo & θεανθρώπῳ nunqvam disjuncta est à divina & infinita virtute.

29. Idipsum, ut ad oculum pateat, duo demonstraturi sumus, I. Christo verè divinam & infinitam potestatem juxta humanitatem datam esse. 2. Cum hac ἐξουσία in Christo δύναμιν esse conjunctam.

30. Primùm evincimus hoc argumento: Qvæ potestas est Jehovæ propria, illa est verè divina & infinita. Sed hæc, qvæ hîc Christo data esse affirmatur, est Jehovæ propria. Ergò. Majoris connnexionem veram certam ac immotam esse, omnes sana mente præditi fatentur. Et ex abundanti potest confirmari ex *Es.42.8. Ps.83.18.*

31. Minor ita roboratur. I. Qvia est πᾶσα ἐξουσία, ut ait hic *Salvator, & Paulus 1. Cor.15.24.* sed hæc soli *Deo* est propria, *Devt. 10. 17.* II. Qvia dicente *Christo*, est potestas in cœlo & in terra, imò etiam sub terra, *Paulo* asserente, *Phil. 2. 10. Eph.1.20.21. Ebr. 2.8.* sed hæc soli Deo est propria, *1.Paralip.30.11. Matth.11.25. Act. 17.24.*

32. III. Qvia per istam potestatem in suo nomine omnes gentes baptizare jussit. *Matth.28.19.* Id autem *solius Dei* esse, nullum est dubium. Qvi enim illud potest, ille sacramenta instituendi potestatem habeat necesse est, qvod ipsum solius Dei esse qvis dubitabit? IV. Qvia vi illius potestatis misit Apostolos, qvi omnes gentes docerent servare omnia qvæ præceperat illis, ac etiamnum mittit verbi ministros, *Matth.28.19.20. Eph.4.11.* Id autem soli *Jehovæ* proprium. Vide saltem *Matth.9.38.*

33. V. Qvia est potestas, cui Ministri verbi & omnes pii contra furorem Diaboli & rabiem mundi tutò inniti qveunt, ut patet ex scopo & textûs cohærentia, *vid. supr. th. 15. & confer Ps.72.13.14.* Hæc autem soli Jehovæ competit, *Jer.1.8. seqq. Es.41.10.14.* VI. Hac potestate usqve ad consummationem seculi Ecclesiæ suæ est præsens, agitqve per ministros suos ut *Mediator*, hoc est, ut *Deus & homo*, *vers. 20.* confer *Marc.16.v.ult. 2. Cor.10.4.c.13.10.* qvia *Mediator* est secundum utramqve naturam. Ergò potestatem, qvæ Christo homini communicata est, divinam & infinitam esse oportet.

34. VII. Qvia est potestas, cui religiosæ adorationis honos debetur, *Matth. 28.17. confer Dan. 7.14. Apoc.5.13.* Hic autem soli Deo tribuendus, *Matth.4.10.* VIII. Qvia est potestas una & eadem cum potestate in throno sedentis, *Apoc. 5.13.*

35. IX.

35. IX. Qvia est potestas æterna, *Dan.7.14.* in secula seculorum, *Apoc.5.13.* X. Qvia est potestas vivificandi, *Joh.6.51.54.55.* qvod ipsum opus solius Dei esse, patet partim ex *1.Sam.2.6. Rom.4.17.* partim qvia per illam Christus demonstrat, se esse *Deo* coæqvalem, *Joh.5.21.*

36. XI. Qvia est potestas αὐτεξουσίως peccata remittendi, *Matth.9.6.* qvæ soli *Deo* propria, *Es.43.25.* XII. Qvia est potestas omnis carnis. *Joh.17.2.* qvæ soli *Jehovæ* propria, *Jer.32.27.*

37. XIII. Qvia est potestas judicandi omnes, *Joh.5.27.seq.* qvam majestatem esse *Jehovæ* propriam constat, qvia ad eam imprimis hæc tria reqviruntur, 1. Nosse omnia occulta, *Rom.2.1. Cor.4.* hoc est esse καρδιογνώστην. 2. Pronunciare sententiam justam. 3. Eandem latam exeqvi. XIV. Qvia est potestas miracula edendi, *Act.10 38. Joh.2.11. Luc.8.46.* Facere autem mirabilia *solus Deus* potest, *Exod.15.11. Ps.72.18.* & ex miraculis agnoscitur & demonstratur vera Christi *Deitas*, *Joh.5.20. c.10.37. c.20.31.*

38. XV. Qvia per hanc potestatem *filius hominis* etiam alia verè divina, hoc est, increatæ virtutis opera edit. Nam 1. dedit in redemtionem pro mundo animam suam, *Matth.20.28.* & sangvinem suum, *Eph.1.7. Ebr.9.12. 1.Petr.1.19. Apoc.5.9.* 2. Pacificavit per sangvinem crucis suæ omnia, *Col.1.20.* reduxit sempiternam justitiam, *Dan.9.24.* sua resurrectione, *Rom.4.vers.ult.* 3. Abitu suo ad *Patrem* SS. promeruit, *Joh.16.7.* qvem effudit visibiliter, *Act.2.33.* 4. Mundat sibi populum, *Tit.2.14.* regenerat per suam resurrectionem *1.Pet.1.3.* dat pœnitentiam Israëli, *Act.5.31.* dat fidem eamqve consummat, *Ebr.12.2.* sanctificat per proprium sangvinem, *Ebr.13.12.* ad serviendum *Deo vivo*, *c..9.14.* 5. Interpellat pro nobis, *Rom.8.34.35. Ebr.7.25.* 6. In eum credunt & confidunt pii & salvandi, *Ps.2.vers.ult. Joh.6.54.* 7. Eorum preces exaudit, eosqve defendit, *Ps.72.12. & 14.* resuscitabit, *Joh.5.28.29.* salvabit & glorificabit eosdem, *ibidem c.14.3.* Qvibus si qvis velit adjungere *Authoritatem patrum orthodoxorum*, ille eorum testimonia legere potest apud Dn. Dn. D.D. Chemnit. Hun. & alios.

39. Nos progredimur ad *secundum* membrum, probaturi ἐνωτικὴν οὐσίας, cum hac ἐξουσία θεανθρώπου δύναμιν infinitam esse conjunctam. Argumentamur ita: πᾶσα ἐξουσία aut est δυνάμει vacua: Aut ipsa παντο-

Syllogism. pbanc. Cum ἐξουσία ni Christ. Deus, cum ea conjunctam.

παντοδυναμία: Vel ipsam δύναμιν in se inclusam habet. Si prius, tum Christo non sunt omnia in manus data, nec pedibus ejus subjecta, qvod tamen scriptura dilucidè affirmat; Imò qvid ἐξουσία sine δυνάμει nisi nudus titulus? absurdum hoc & impium.

40. Si duo posteriora, tum falsum est, hanc ab illa in Christo esse disjunctam. Sed prius verò est consonum, ut patet partim ex dictis: partim ex eo, qvod alibi ἐξουσία appellatur δύναμις, *Luc. 22. 69. Act. 10. 38. Apoc. 4. 11.* partim ex effectis omnipotentis virtutis, qvæ ἐν ἐξουσίᾳ tribuuntur, ut imperare Diabolis, *Marc. 11. 28.* remittere peccata, *Matth. 9. 6.* dare vitam æternam, *Joh. 10. 18.*

41. *Posterius* etiam partim ex allegatis, partim ex absurdis contrarii elucescit: Nam si saltem nuda potestas & non infinita virtus ac potentia simul Christo homini data, 1. Scriptura est mendax, qvando dicit, ei *omnia* esse data & subjecta, *Joh. 3. 35. 1. Cor. 15. 27. Ebr. 2. 8.* πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος in illo habitare *Col. 2. 9.* hunc hominem verè esse *Deum*, *Matth. 16. 13. 16.* 2. *Hujus hominis* nativitas, passio, mors, resurrectio, redemtio, intercessio sunt finitæ virtutis. 3. Nostra spes, fiducia, imò invocatio, & consolatio sunt frustranea, si non certò scimus, nos ab *hoc homine* infinita virtute regi & conservari. Hæc autem omnia sunt absurdissima absurda & planè impia. Ergò & sententia ex qva fluunt.

42. His addimus *authoritatem*. 1. *Versionis syriacæ* qvæ hoc loco habet vocabulum שׁוּלְטָן, qvod non nudam ἐξουσίαν significare potentia ac virtute vacuam, constat vel ex *Dan. 4. 31.* ubi ipsi *Deo* tributum legimus. 2. *Vorstii Calviniani*, *qvi in responsione ad 2. part. discept. Sladi pag. 70.* ita scribit: Licet hoc loco, *Matth. 28. 18.* πᾶσα ἐξουσία non sit idem prorsus qvod πᾶσα δύναμις, hanc tamen sub illa contineri hic necessariò, nullum est dubium, cum illa alioqvi otiosa sit & frustranea, nisi per istam actu sese exercere possit. 3. *Sadeelis*, qvi hic notari imperium, jus & potestatem sive autoritatem ait, *lib. de verbum nat. 4.* *Rudolphi Gvaltheri*, locum *Joh. 3. 35.* qvi huic est παρεμβολή, de *Omnipotentia* explicantis *homilia 24. in Johannem.*

Objectiones removens. 43. In hunc nostrum *clypeum* varia ab Adversariis vibrantur spicula: Nos acutiora unius *Zanchii* tantum hic videbimus. Nam qvæ *Beza par. 1. respons. ad Coll. Momp. p. 132. 133.* opponit, videlicet vocis ἐξ-

ἐξουσίας significationem, cœli & terræ descriptionem, & aliorum locorum collationem, illa ex supra dictis facilè infringuntur.

44. *Zanchius* autem *tom. 8. Miscell. fol. 178. col. 2. seq. huic magno nostro clypeo* (qvomodo eum ipse vocat) inprimis seqventia obvertit. 1. Potestas (ait) non semper & in omnibus adjunctam habet potentiam. Ergò ex vi hujus vocis omnipotentia Christo secundum humanitatem tradita inferri non potest: Et hoc porrò probatum ex hujus loci circumstantiis potissimum temporis ὑφίστασιν urget, illustratqve partim *authoritate Tertulliani*, partim *his scripturæ locis*, *Johann. 17. 2.* Dedisti ei potestatem omnis carnis, hoc est, in omnes homines etiam gentiles, *Joh. 5. 27.* Dedit ei potestatem judicium faciendi, h. e. jus & autoritatem.

45. Resp. 1. Nos ex nuda voce argumentari, falsum est; contrarium ex supra dictis constat, & ipse *Zanchius* priori responsione diffidens id in initio secundæ haud obscurè agnoscit. 2. Circumstantiæ tantum abest ut nobis obsint, ut potius nostram sententiam firmiter roborent, vide *th. 32. seq. & thesin. 93.* qvæ, hæc respectu plenariæ usurpationis dici, te docebunt. 3. Nec obstat nobis ut nec duo illa *Tertulliani*, utpote qvi nudam potestatem non asserit, sic *authoritas Scripturæ* dicta. Nam *primum* probat talem potestatem, qvæ credentibus det vitam æternam, *vers. 2.* undè hic potestatem cum infinita δυνάμει conjunctam denotari patet. Nam actus secundus præsupponit primum. Similiter nec secundum nudum jus ac autoritatem infert. Nam *vers. 28.* dicuntur πάντες in monumentis audituri vocem *hujus hominis*, & *vers. 22.* πᾶσα κρίσις ipsi data esse affirmatur. Hinc *Rudolphus Gvaltherus in Commentar. super Johann. fol. 79. edit. Tigur. Anno 75. in fol.* in hæc verba ita scribit. Observabis autem istud qvoqve de Christo secundum naturam *humanam* dici, cui potestas *eadem* data est, qvam cum patre filius ab æterno habuit (qvam in præcedenti periodo irrefragabile divinitatis Christi argumentum esse ait.) Hæc ille verissimè.

46. 2. Potestas (ait 2.) *Mediatoris* est finita & creata. Potestas hæc Christo data est potestas *Mediatoris*. Ergò finita & creata, & proindè nihil facit ad communicationem realem infinitæ & increatæ potestatis probandam. Resp. Propositio negatur. Contrarium pro-

probatur, qvia est *Dei propria*, & infinitæ virtutis effecta producit, ut ex superioribus constat. Deindè si finita & creata, actum erit *de Opere redemtionis*, qvod per creatam officii potestatem confici non potuit: Actum erit de fundamento demonstrationis ab ipsomet Christo freqventatæ, qva ex operationibus vera astruitur Christi *Deitas*. Qvæ si non sunt verè divinæ, sed finitæ adeòqve creatæ, non verum Deum, sed Deum verò inferiorem creatum & alienum ostendent.

47. Instantia: Potestas Dei patris est suprema, immensa in infinitum etiam qvæ non sunt æterna. Mediatoris potestas est secundaria & vicaria. Ergò potestas Mediatoris non est potestas Dei *Patris*, hoc est, increata & infinita. Resp. 1. Propositio qvo sensu affertur, eo negatur. In *Trinitate* enim ut nihil est majus nec minus, ita neqve qvicqvam superius aut inferius. 2. Assumptio itidem negatur, cujus falsitas ex *Veterum Canone* patet: Inæqvalitas officii non tollit æqvalitatem essentiæ & proindè nec potestatis. Ut nihil dicamus ex ea concessa necessariò seqvi, Christum esse aut secundum alteram tantummodo naturam videlicet humanam nostrum Mediatorem, aut si secundum utramq;, divinam etiam esse idcircò inæqvalis potestatis, qvia secundum eam est *Mediator*.

48. Pergit *Adversarius*, & confirmaturus argumenti *Minorem*, affert I. Tria *scripturæ dicta*, II. *Autoritatem antiqvitatis*. Dictum primum extat, *1. Cor. 15. 27. seq.* indèqve format tria: 1. Qvia *vers. 27.* subjecta *Patris* potestati dicitur. Deindè ejus regnum describitur peculiari phrasi videlicet *sessione ad dexteram Patris*, qvæ solet iis tribui, qvi secundum à Rege in administratione Regni locum habent. Resp. 1. Committitur ignoratio Elenchi. In textu enim tantummodò dicitur, qvod *Pater* subjecerit *Filio* omnia secundum humanam naturam, secundum qvam erat minor & inferior *Patre*, non verò qvod secundariam & vicariam potestatem ipsi commiserit. Qvin verò contrarium ex eo patet, qvod omnia ei subjecit citra exceptionem ullam, nisi qvod se ipsum ei non subjecerit. 2. Committitur σόφισμα κήμα τῆς λέξεως, dum phrasis illa, qva modus traditi regni plenariè per hanc potestatem administrandi describitur, malè ad differentiam ipsius potestatis & regni trahitur; qvod ab

Ar-

Arrianis olim factum esse apparet ex *Basilii libro de SS. c. 6.* ubi iisdem respondens ait: *Dextrum non significare inferiorem locum, sed ex honorificis præsidentiæ nominibus scripturam nobis adumbrare Filii Majestatem.*

49. 2. Finita est, qvia est in res finitas, videlicet qvæ in cœlo & terra sunt. Resp. 1. Si ea est finita potestas qvæ in res finitas in cœlo & in terra existentes obtinetur, tum & *Dei patris* potestas erit talis, qvia & hæc in res finitas est, ut ostensum *ib. 31.* 2. Nulla potestas in res infinitas dari potest. Nam non sunt infinita alia præter hoc ipsum unum.

50. 3. Hæc potestas finem habebit, qvia filius tradet regnum *Patri* eiqve subjicietur. Resp. 1. Fall. secundum qvid. Finem habebit *Regnum Christi Mediatorium* non qvoad *δόξαν* sed *οἰκονομίαν*, undè tunc regnum gloriæ dicetur, id qvod nunc *regnum potentiæ & gratiæ* appellatur. Nunc per verbum & sacramenta illud administrat & subditis in eo competit militia, sicuti *Regi* eorum defensio contra hostes, qvibus tunc finis imponetur. Tradet igitur regnum non abdicando Majestatem & gloriam, sed triumphando de hostibus debellatis, ut ex verbis *seqq. & Psal. 110.* obvium est. 2. De subjectione qvod subjicitur, *vers. 28.* ad illud dicimus, hæc de Christo secundum humanitatem accipienda esse, qvomodo hunc locum exposuerunt *Theodoretus aliiq; Commentatores Græci.* Item *Augustinus contra Maximi. lib. 2. Qvod scriptum est (inqviens) cum ei omnia subjecta fuerint, secundum id dictum est, qvod homo; non secundum id, qvod Deus est.* Sensus igitur est: Etsi *filio* omnia subjicienda sint, qvà homini, non tamen per illam subjectionem filium, qvà hominem, vel *Patre* majorem, vel *Patri* æqvalem futurum, sed sicuti nunc *Patri* subjectus sit, ita tunc qvoqve, qvà hominem subjectum porrò futurum. Hæc de dicto primo: Seqvitur

51. 2. Ex *Eph. 1. 20. 21.* exaltatus (ait) esse dicitur supra omnes Angelos, non dixit supra Deum, neqve exæqvatum Deo: Item qvod sedit, non ubi pater, sed ad dextram patris, q. d. secundarium locum ac gradum ac potestatem tenens. Resp. 1. Si hæc potestatis descriptio infert potestatem mediam, divina inferiorem ac omnium creaturarum potestate superiorem, etiam ipsius *Jehovæ* potestas talis erit. Nam scriptura passim phrasibus honorificam præsidentiam notantibus ejus majestatem nobis adumbrat. vide *thesin. 31. 48.* 2. Christum, qvà homo est, supra Deum exaltatum esse, vel ei exæqvatum A-

postolus dicere nec potuit nec debuit. Nam tunc secundum naturam humanam ipso Deo fuisset major & non per gratiam unionis & exaltationis ad tantam majestatem evectus fuisset, qvod divinæ naturæ & universæ scripturæ ex diametro repugnat.

52. 3. Dictum est. *Matth. 28. Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationem seculi*, q. d. post non ero vobiscum hoc modo, ut *Mediator* pro vobis apud *Patrem*. Respond. Particula ἕως qvidem hîc terminum notat præsentiæ, non autem omnimodæ sed gratiosæ in hoc seculo, ubi dicitur nobiscum esse stylo scripturæ, *Joh. 14. 23.* hæc, seculo consummato, terminabitur & inchoabitur glorioſa, qvâ futuri esse dicimur cum ipso, *1. Thess. 4. 17.* Hinc verò neqvaqvam seqvitur qvod tunc Mediator esse desiturus sit. Nam est sacerdos in æternum, *Psal. 110. 4.* Licet ergò potestatem suam tum amplius non sit exerciturus Ecclesiam sibi per verbum & Sacramenta colligendo, pro nobis apud patrem intercedendo, tamen eandem exeret electos æternùm glorificando gloria morte & sangvine parta.

53. II. Ait *Adversarius*, omnes patres de Mediatoris potestate sic esse locutos. Testimonia non allegat præter unicum *Ignatii*. Nos tantùm Regulam *Leonis* fortiter commentum illud elidentem opponimus: *Verbum operatur qvod verbi est & caro qvod carnis.* Ad qvid opus ergò esset potestate & operatione media, qvæ nec divina nec humana? Cætera in responsione secunda qvæ ad locum *Dam. 7.* excipit & ex *Cyrillo* contra realem infinitæ potentiæ communicationem obvertit, in ipso conflictu *cum Deo* videbimus.

54. His præmissis ad argumentum ex *Matth. 28.* & aliis exstructum (vide *thesi 33. Argumentum sextum*) respondet in ejus conclusione plus esse qvam in præmissis, eò qvod 1. concludat illam potestatem, de qva *Matth. 28.* esse illam infinitam *Dei*, id à se negari ait, probatqve contrarium cùm *argumento*, tum *Cyrilli authoritate*. 2. Ex eo, qvod illam infinitam potestatem exerit per carnem, eam carni ut organo realiter communicatam esse inferat. Tandem vult notari qvod *Mediator* ut homo in ministerio finita tantùm egerit potestate.

55. Resp. In argumenti nostri conclusione plus qvam in præmissis esse, inficiamur. Primum enim malè ab *Adversario* negari supra demonstratum esse putamus. Probationem, qvam adfert, esse falsam docet λόγῳ ὑπάρξεως humanæ naturæ ut rei finitæ non qvidem

κατὰ φύσιν, sed καθ' ἕνωσιν communicata. *Antiqvitatem* & inprimis *Cyrillum* huic sententiæ patrocinari magis qvam adversari, apud *Dn. Dn. Chemnit. & Hun.* videre licet.

56. *Secundum* rectissimè etiam infertur. Nam organi conditio est, ut primarii agentis operationem suscipiat, atqve ita partim vi propria, partim vi primarii agentis operetur, qvod cum de organo separato sit verum, qvantò magis de hypostaticè unito ita est sentiendum. Nam ut humana natura operationum divinarum ὄργανον εὐχρηστον fieret, tantam τῶν θείων ἐνεργειῶν θεοδήκην in unctione & exaltatione sortita est. Deniqve *Mediatorem*, ut homo est, finita tantùm potestate egisse, & agere in officio suo, finis incarnationis, videlicet *Redemptio* & *ad dextram Dei exaltatio* fortissimè negant. Hæc ad argumenta *Zanchii* primaria aliqvantò prolixius diximus, qvia speciem aliqvam habere videntur. Cætera qvæ huic nostro *Clypeo* opponit partim ex thesibus, partim ex seqventibus observationibus facilè dilui posse confidimus.

57. 1. *Gratia unionis*, secundum scholasticos, est ista gratia, per qvam humana natura à filio Dei assumpta & per unionem personalem hypostaseos ejusdem est particeps facta. *vide* duntaxat *Scotum sup. 3. sentent. dist. 2. qv. 2. Durandum lib. 3. dist. 2. qv. 2.* Hoc qvia verissimum est, multa adversariorum argumenta naufragium faciunt. Nam λόγου ὑπόστασις & ejus *Majestas* realiter non differunt.

58. 2. Humana natura considerari potest vel respectu λόγου per eam operantis & ita organon in significatu laxo dici potest, non tamen ἄεργον, sed ἔνεργον, vide *Act. 2. 22. cap. 10. 38.* vel respectu ὑποτελέσματος, hoc est, salutis nostræ & gubernationis Ecclesiæ, imò totius mundi: Hoc modo non seorsim considerantur, sed in arctissima unione copulatæ, qvatenus per unam & eandem divinam virtutem τῷ λόγῳ propriam & carni in ἑνώσει communicatam operantur unamqve principalem causam constituunt, qva ratione propriè organum non erit appellanda.

59. Humana natura est omnipotens non *per essentiam*, sed *per unionis gratiam*. Hinc sicut non est dicenda omnipotentia, sed omnipotens, ita nec *Deus, aut Deitas*, sed λογοθεῖσα, θεοθεῖσα, *Deo* unita dicenda est. Subjectum enim unum unitorum non συνανύμως, sed ἀνανύμως prædicatur de altero.

60. 4. Regula patrum de *datis Christo* in tempore intelligenda & explicanda est, non de qvocunqve datorum genere, sed de iis, qvæ 1. sunt unionis personalis effectum. 2. Qvæ personam, cui data, locupletent, seu vires, gloriam ac Majestatem afferant. 3. Qvorum finis immediatè spectat officium Mediatoris, ut patet ex Regulæ propositæ occasione. Patres enim eam *Arrianis*, ex datis in tempore Christi *Deitatem* negantibus, inprimis opposuerunt & in dictorum de glorificatione Christi agentium enucleatione adhibuerunt.

61. 5 Scriptura loqvens de Majestatis communicatione, freqventer loqvitur de persona, 1. Qvia σύνολον compositum seu totum est notius suis partibus. 2. Qvia persona πρώτως sese offert, eiqve principaliter actiones & passiones assignantur. Qvi autem scripturam ὀρθοτομεῖν καὶ ἀναλύειν cupit, illum à persona ad naturam, à concreto ad abstractum descendere oportet, partim ob naturæ divinæ sufficientiam & humanæ indigentiam: partim ob scripturæ & Antiqvitatis ductum, qvem hic deserere nefas est. 3. Christus, qvà *Deus est*, se non exinanivit secundum Apostolum per hoc, qvod in statu exinanitionis potestatem hanc non semper & universaliter exeruerit per carnem, sed ita inanivit assumptam naturam. Propterea idem ut *Deus*, non resumpsit eandem potestatem ejus usum palàm in cœlo & in terra apud omnes exerendo, sed ita exaltavit humanam naturam.

62. Hactenus de secundo. Seqvitur 3. Cui sit data. Data est MIHI ait Salvator. *Mihi*, hoc est, θεανθρώπῳ personæ illi, qvæ est *Deus & Mariæ Filius*. Cum enim actiones & passiones sint suppositi, sive personæ (prout est principium *qvod, non qvo*) & ipsum τὸ δίδοσθαι, seu δοθῆναι, qvippe qvod est πάθημα, personæ esse consequitur.

63. Qvia verò in Christi persona est ἄλλο καὶ ἄλλο alia atqve alia natura, Christo sive personæ potestatem illam donatam esse affirmasse non sufficit, sed ulterius exprimendum est, secundum qvam naturam donatio illa sit facta, nisi duas personas statuere, vel Arrianæ impietati subscribere velimus. Si enim personæ data est hæc Majestas, & verò secundum hypothesin Adversariorum humana natura hujus non est realiter particeps, utiq; persona illa jam extra hanc humanam naturam existet: & divinæ naturæ tale qvid in tempore dari potuisse qvi asserit, ab Arrianismi suspicione se liberare non potest.

64. Deinde Christi persona non est ἕτερόν τι aliqvod tertium præ-

tes

ter & ultra illas naturas (aliàs enim foret non solius Dei patris nec solius Mariæ filius, sed & alius filius) verùm est θεάνθρωπος Deus & homo: Duæ naturæ personaliter unitæ sunt unus ille Christus, & vicissim Christus est natura divina τοῦ λόγου & humana personaliter unitæ. Ergò ejusmodi quid, quod ad personam tantùm, non verò vel ad utramque vel ad alterutram Christi naturam pertineat, dari, nullo idoneo exemplo confirmari potest.

65. Proindè non subsistimus in hac prædicatione dicendo, hæc esse personæ Mediatoris data, sed ulterius quærimus, secundum quam naturam omnis hæc in cœlo & in terra potestas sit Christo data? Hic cum scriptura respondemus, datam esse Christo homini sive quà homo, vel humanæ naturæ, sive humanitati vel carni, quatenus nimirum illa in persona τοῦ λόγου subsistit & ei personaliter unita est: Æquè ac prævia *scriptura & symbolo Apostolico* dicimus, Christum esse conceptum natum ex muliere, ex semine, esse passum, mortuum &c. secundum carnem *Rom. 1. 3. Gal. 4. 4. 1. Pet. 2. 24. c. 3. 18. c. 4. 1.* Christum esse æternum sed secundum Deitatem *Johann. 17. 5.*

66. Hæc nostra sententia confirmatur his argumentis: 1. Quicquid Christo datum 1. in tempore, 2. κατὰ χάριν, 3. Tanquam ἕξοχή καὶ ὕψωμα, 4. Ad sui perfectionem seu ut officium Mediatoris exequi posset, illud ipsi secundum humanam naturam est datum. Nam κατὰ φύσιν quà Deus omnia ab æterno habet, & est Schaddai, ejusque tanta est perfectio, ut nec per se, nec propter se, nec propter nos seu ratione officii exaltatione sui opus habuerit. Sed hæc potestas est ipsi data 1. in tempore, *Dan. 7. 13. confer. c. 9. 24. Joh. 17. 1. Ebr. 1. 3. 4.* 2. κατὰ χάριν ut constat ex voce ἐδόθη *Matth. 28. 18.* collata cum *Philip. 2. 9.* ubi per χαρίζεσθαι explicatur. 3. Tanquam ἕξοχὴ καὶ ὕψωμα *Philip. 2. 9.* 4. Ad sui perfectionem seu ut officium Mediatoris exequi valeret, ut patet partim ex hoc ipso loco & *Ebr. 1. 4.* partim ex absurdo contrarii: Si enim humana natura tam augusto muneri exequendo par fuisset potestate creata, incarnatione non fuisset opus. Nam Filius Dei per hominem ἀνθρώπατον creatâ potentiâ instructum, omnia quæ ad officium pertinebant, exequi potuisset. Ergò.

67. 2. Secundum quam naturam Christus est 1. Filius hominis, *Dan. 7. 13. Matth. 9. 8.* 2. habet carnem, *Joh. 6. 51. 54.* sanguinem *1. Joh. 1. 7.* manus & pedes *Ps. 8. 7. 1. Cor. 15. 27. Eph. 1. 22. Ebr. 2. 8. Joh. 3. 35.* 3. Est ico

leo de tribu Juda & agnus occisus, *Apoc. 5. 5. 6. 12.* 4. Ex mortuis resuscitatus (ut hoc loco *Matth. 28. 18.* textus ἐξουσία non obscurè innuunt) secundum illam illi hæc est data Majestas. Sed secundum humanam naturam &c. Ergò.

III. 68. 3. Christus Apostolis Ministerium Evangelii commendat, eosqve gratiosæ suæ præsentiæ promissione consolatur, etiam qva homo est, qvia pertinet ad ejus officium, qvod propter exeqvendum factus est Rex, Dominus, & caput corporis sui mystici *Act. 2. 36. Rom. 14. 9. Eph. 1. 22.* Ergò etiam qvà homo est, ipsi hæc potestas est data, sine qva qvæ promittit nunqvam præstare valeret.

IV. 69. 4. Secundum humanam naturam est unctus virtute miraculosè sanandi *Act. 10. 38. Mar. 5. 29. 30. Luc. 5. 17.* 2. Reqviescit in eo Spiritus fortitudinis *Es. 11. 3.* fortitudinis inqvam tantæ, qvanta opus est ad exeqvendum divinum judicium, *ib. v. 3. 4.* 3. Propositus est à Deo, ut fides in ipsum defigatur, seu ut esset propitiatorium per fidem in sangvine suo, *Rom. 3. 25.* 4. Accepit dona pro hominibus & dedit χαρίσματα *1. Cor. 12. 7. 8. 9. 10. 11. Eph. 4. 8. Act. 2. 4. 17. 18.* 5. Venturus est in gloria patris, videbitur ab omni oculo, sedebit super thronum gloriæ suæ, habebit ante se congregatas omnes gentes, statuet oves à dextris, hædos à sinistris, pronunciabit sententiam, *Matth. 16. 27. c. 25. 31. seq.* Ergò secundum eandem hanc accepit.

V. 70. 5. Secundum qvam naturam est inanitus, secundum eandem est exaltatus & ditatus. Sed secundum humanam. Ergò. Propositio firma est, ut liqvet 1. ex *Ps. 110. v. ult. Philip. 2. 9. Eph. 1. 20. Ebr. 2. 9. Luc. 24. 26. Rom. 14. 9.* 2. ex symbolo Apostolico. Assumptio probatur ex absurdo contrarii. Si enim secundum divinam etiam naturam exinaniri potuit, secundum eandem etiam exaltari potuit, qvod est impium & Arrianismum sapit. Ergò.

VI. Antiqvitatis Consens. 71. 6. His adjungimus consensum piæ Antiqvitatis, qvi in genere patet ex Regula Arrianis, Eunomianis, & reliqvis Christi hostibus opposita, qvam *Theodoretus Dialogo secundo* ita effert: Ὅσα λέγει ἡ γραφὴ ὅτι ἔλαβεν ὁ υἱὸς καὶ ἐδοξάσθη λέγει τὴν ἀνθρωπότητα αὐτὸν λέγειν ἃ τὴν θεότητα: partim in specie ex *Theophylacto in cap. 28. Matthæi, August. in Joh. tract. 105. Theodoreto in Ps. 8. &c.* illorum verba apud *Dn. Dn. Chemnit. & Hunn Gerhar.* legi possunt.

72. Apud Calvinianos sunt opinionum hac de re divortia, qvæ eorum

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027629733/phys_0028
Mecklenburg Vorpommern

rum sententiam non leviter suspectam reddunt, ἁπλῶς γὰρ ὁ λόγος ἀληθείας; καὶ τὸ ἀληθὲς ἓν, τὸ δὲ ψεῦδος πολυχιδές. Qvidam hanc potestatem Christo respectu humanæ naturæ datam esse largiuntur, ut *Danæus* contra *Chemnit. p. 361. Keckerm. in syst. Theol. p. 322.* sed qvi tergiversantur in qvintuplici possunt collocari classe.

73. 1. Qvidam Personæ Mediatoris datam esse dicunt, ibiq; subsistunt, ut *Trelcat. in locis pag. 58. seq. Sadeel in lib. de ver. hum. nat.* qvid his respondendum sit, vidimus thesi 62. seq.

74. 2. Qvidam omnis potestatis donationem ad Deitatem Christi referunt respectu manifestationis & declarationis, *Beza par. 1. respons. ad act. Coll. p. 133.* Resp. 1. Ejus naturæ gloria & Majestas in se manifestari potest, cujus gloria ac Majestas in se & per exinanitionem occultari potest. Sed hoc divinæ naturæ non competit. Ergò. 2. Qvæ potestas Christo ex gratia data, donata, tradita est, illa de eo respectu divinæ naturæ dici non potest. Sed hæc talis. Ergò.

75. 3. Qvidam donationem in tempore factam per restitutionem exponunt, ac referunt ad Deitatem non simpliciter, sed κατὰ propter antegressam exinanitionem, qvam & ipsam certo modo ad Deitatem referunt. *Georg. Sohn. in Exeg. A. C. p. 120. Beza par. 1. Resp. ad acta Coll. Mompel. p. 96. 97.* Deitas, inqvit qvodammodo se exinanivit. Resp. 1. Christus secundum Deitatem propriè nihil amittere potest. Ergò nec restitui ipsi qvid potest secundum eandem. 2. Christo secundum divinitatem Exinanitionis definitio, qvæ est in forma servili humilis subjectio ad mortem usqve crucis, *Philip. 2. v. 7. 8.* non competit. Ergò.

76. 4. Qvidam exaltationem referunt ad utramqve Christi naturam, ita tamen ut aliter eam definiant respectu divinitatis, aliter respectu humanitatis; sic *Sohn. in A. C. exeg. pag. 246. seq. p. 262.* dicit, Christum secundum utramqve naturam resurrexisse; *Anhaldini in Apol. Electoral. Theologis opposita pag. 403. in defensione argumenti 38.* Resp. Hæc opinio manifestè pugnat cum scriptura, qvæ ob divinæ naturæ perfectionem nullam in ea admittit κένωσιν, ἀλλοίωσιν, μεταβολὴν, προσλαγὴν.

77. 5. Qvidam referunt hanc potestatem ad officium Christi, statuentes illud secundum utramqve naturam in tempore Christo esse commissum, ut Calvinianus ille Anonymus in Antithrono *Dn. Schrö-*

Schröderi p.m. p. 182. & alii. Resp. Hanc potestatem ad officium Christi referendam esse, ipsi propugnamus, id autem secundum utramqve naturam in tempore Christo commissum esse negamus. Nam qvicqvid filio datum est à patre, datum est ei vel ab æterno, vel in tempore. Qvod ei datum ab æterno, datũ est ei vel per æternam generationem, cujusmodi sunt qvæ concernunt naturam ejus; vel per æternam patris adeoqve totius S. Triados ordinationem, cujusmodi est officium. Hinc dicimur ab æterno electi, *Eph. 1. 4. & 11.* gratia nobis data dicitur ante tempora secularia *2. Tim. 1. 9.* & ipse est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. *Ebr. 7. 17. Ps. 110. 4. confer. 1. Pet. 1. 20.* puta per SS. Trinitatis decretum. Qvod datum est ei in tempore, vel est officium, qvod secundum carnem ei datum; vel est δύναμις seu dona ad officii executionem necessaria.

IV. Modus.

78. Seqvitur 4. Modus, *qvomodo* sit hæc divina collata Majestas. Ut autem in mysteriis & rebus divinis facilius dicere habemus, qva ratione factæ non sint, qvam qvomodo sint factæ: Ita in hac donatione nobis contingit. Modum enim sicut ejus fontem & causam nempe unionem humano ingenio, imò angelico etiam captui incomprehensibilem & inexplicabilem esse, non obscurè innuitur *1. Cor. 2. 7. 1. Tim. 3. 16. 1. Pet. 1. 12.* Hinc *Justinus* & *Epiphanius* eam vocant μονότροπον καὶ ἐξαίρετον. *August.* singulariter mirabilem & mirabiliter singularem.

79. Ut tamen qvantum de hoc mysterio ex scriptura balbutire licet & cum aliis orthodoxis possumus, proponamus, in thesi modestiam asserendi, & in antithesi prudentiam sejungendi nostram confessionem ab heterodoxis adhibendam esse arbitramur. Proindè dicimus, hanc potestatem Christo homini datam esse 1. non verbaliter, qvia hujus dationis causa non in verbis & titulis tantùm, sed in rei veritate existit.

data est hæc potestas Christo homini. Num. 1.

80. Neqve 2. *accidentaliter*, qvia unio non est accidentalis. Neqve 3. *Figuratè, synecdochicè*, sive κατ' ἄλλο, qvia naturarum κοινωνία non est talis: Et ἀλλοίωσις illa naturas, απ' ἀλλήλων disjungit. Hæc rejicientes, à Nestorio, Jesuitis, & Calvinianis, eorumqve assecłis veram ac realem Majestatis μετάδοσιν negantibus, nos separamus.

81. Nec 4. ἐσιωδῶς. Qvod enim essentialiter est omnipotens, illud fuit ab æterno, qvod assumptæ carni non competit, ut notum ex *Luc. 1. 31. Gal. 4. 4.* Nec 5. ἐκτικῶς qvasi hæc Majestas humanæ naturæ sub-

subjectivè habitualiter & inhæsivè ineſſet. Abſit. Nam in ſe ſeorſim & ſeparatim non ſubſiſtit, ſed in perſona τȣ̃ λόγȣ.

82. Nec 6. per ἐξίσωσιν, σύγχυσιν, καὶ μεταβολήν. Nam divinæ naturæ eſt ac manet hæc Majeſtas ἀσιωδῶς: Humana ejus κοινωνός. 2. illa eſt αἴτιον ἐνεργητικόν: Hæc σύνεργον ἐνεργȣ́μενον 3. illa à ſe ipſa eſt & καθ' ἀυτὸ: hæc ab illa habet καθ' ἄλλο. 4. illa ab æterno: hæc in tempore accepit. Si illa retinet & usqve operatur: hæc Majeſtatem pleniſſimè non uſurpavit. Deinde λόγ☉ talis converſionis eſt expers *Malach. 3. 6. Jacob. 1. 17.* ac proindè hæc poteſtas nunqvam fit propria humanæ naturæ, qvia ἡ ἰδιότης ἄξιν ἀκίνη]☉.

83. Sed hæc poteſtatis collatio facta eſt 7. *realiter & perſonaliter*, per & propter unionem perſonalem. *Realiter* ſeu verè facta eſt, qvia ſcriptura ponit verba realitatem ſignificantia, ut hoc loco δόσις ſeu datio. Sic alibi τὸ χαρίζεσθαι ſeu donatio, ὑπερύψωσις ſeu ſuperexaltatio, μετάδοσις, ſeu traditio, δόξασις ſeu glorificatio, ὑποταγὴ ſubjectio, ποίησις factio, τελείωσις ſeu conſummatio, κληρονόμησις ſeu hæreditatio, βελτίωσις ſeu Melioratio &c. in his qvi deſerit ῥητὸν, vel realem perfectionem ſeu meliorationem non agnoſcit, næ ille veritatem deſerit & in media luce cæcutit. 2. qvia realis exinanitio fuit, qvæ reali donatione compenſanda erat.

84. *Perſonaliter* facta eſt: qvia ejus cauſa, videlicet unio eſt perſonalis. Ergò qvic qvid ex unione fluit (ut hæc collatio & alia) & per eam efficitur in natura humana, id omne dicitur de ea perſonaliter. Hunc modum *Damaſcenus etiam lib. 3. de orthodoxa fide c. 17.* ex antiqviorum ſententia pandit ſic ſcribens: *Caro Domini divinis actionibus ditata eſt, propter puriſſimam ad verbum unionem, qvæ eſt ſecundum ὑπόστασιν neqvaqvam naturalium proprietatum excidentiam (ἔκπτωσιν) ſuſtinens. Non enim ſecundum propriam actionem, ſed propter unitum ſibi verbum divina operatur, verbo per eam propriam manifeſtante actionem. Nam & urit ignitum ferrum non ratione naturali (Φυσικῷ λόγῳ) urendi poſſidens energiam, ſed ex unione ignis ad ferrum illud obtinet.* Complura Antiqvitatis teſtimonia videri poſſunt *in libello Dn. Schröderi p. m. contra Grabium, & apud alios.*

85. His fidei noſtræ ſimplicitatem declaramus, qvæ in ſcripturis revelata *neq; verbaliter neq; figuraliter*, ſed ut tradita ſunt, accipit, captivando intellectum ſuum in Chriſti obſeqvium; qvemadmodum etiam in

aliis mysteriis & fidei articulis τὸ ῥητὸν retinere, nec ad ἀλήθειαν, qvam scriptura non ostendit, deflectere cuiqvam Christianorum fas est.

86. Nihil obstat argumentum qvod hinc indè urgent: Qvicqvid non est persona, de illo τὸ personaliter dici non potest. At humana natura non est persona. Ergò. Resp. 1. τὸ personale & personaliter aut convenit rei κυρίως καὶ πρώτως καὶ καθ' αὑτὸ: aut δευτέρως, καθ' ἄλλο, ἢ ἓν δι' ἕνωσιν καθ' ὑπόστασιν. De priori acceptione Majorem concedimus: de posteriori negamus.

87. 2. Ad *Minorem* dicimus. Humana natura etsi non est persona, tamen est, ut Damascenus loqvitur, ἐνυπόστατος. Hinc ita argumentamur: 1. Qvomodo natura humana in persona τῷ λόγῳ subsistit, ita de ea prædicatur *personale & personaliter*. Sed subsistit in ea per unionem personalem, non per se. Ergo τὸ personale & personaliter non per se, sed per unionem personalem de ea dicitur. 2. *In conjugatis primitivum & inde ductum sunt unius & ejusdem naturæ*, inqvit Goclenius. At personatum esse prædicatur de humana natura Christi. Ergò etiam τὸ personale & personaliter.

88. 3. Si τὸ *personale & personaliter* de humana natura non prædicatur, sed tantum τὸ naturale; seqvitur 1. eam non subsistere, qvia non actu naturali subsistit & proprio. 2. eam λόγῳ unitam esse naturaliter. 3. hunc hominem non esse *Redemtorem nostrum & Regem cœli & terræ*, Christi sangvinem nos non emundare à peccatis, ejus carnem non esse vivificam &c. Nam actu naturali hæc illi non competunt, aliàs omnibus competerent hominibus. Hæc autem ἀθεόλογα sunt. Ergò stat conclusio nostra etiamnum fixa ac firma: *Christo homini personaliter, hoc est, per & propter unionem personalem esse datam potestatem ac Majestatem.*

89. 5. *De tempore*, qvando Christus juxta humanitatem ad tantam dignitatem sit evectus, nostrates videntur discrepare. Qvidam enim in primo incarnationis momento hujus divinæ virtutis ac infinitæ potestatis acceptionem ponunt. Qvidam post Resurrectionem ex mortuis demum, & qvidem in die ascensionis ad cœlum ei *hanc Majestatem* datam esse existimant. Hinc locum hunc Matthæi ita interpretantur: Deus pater mihi filio suo Jesu Christo à mortuis resuscitato & jam ad cœlum adscensuro, ut collocer ad dextram potentiæ, dedit plenam & liberam potestatem, authoritatem, jus, & facultatem

tem imperii sui in toto orbe terrarum atqve inprimis in sua Ecclesia exercendi.

90. Hæc αὐτίφασις φαινομένη ut tollatur, distingvimus inter hujus potestatis κτῆσιν, & ejusdem χρῆσιν ὁλικὴν καὶ ἀλληλεπῆ. De illa loqvuntur priores, de hac posteriores. Sicut enim David unctus à Samuele divino mandato regnum Israëliticum verè accepit, *1. Sam. 16. 13. conf. c. 15. 28.* verùm propter persecutionem Saulianam illud suum regnum non occupavit, donec mortuo Saulo solenniter primùm à tribu Juda *2. Sam. 2. v. 4.* post etiam à cæteris tribubus Israëliticis in Hebron inauguraretur *2. Sam. 5. 3.* Sic etiam Christus, cujus typum gessit David in plurimis, in primo incarnationis momento *Rex unctus*, sed *Regiam potestatem* propter mortẽ, qvam in exinanitionis statu subire debebat, non plenariè usurpavit, saltem radios qvosdam in miraculis emisit, flagitantibus id Dei gloria, officii commissi ratione, & hominum salute. *Nazianzenus tom. 2. tract. de fide fol. 134. declarat* id simili solis, cujus radii nubibus intercipiuntur, non autem tolluntur: Ita etiam hujus Majestatis radios inanitionis statu interceptos esse ait.

91. Qvando igitur Christus brevi post ascensurus cœlos ait hic: *Data est mihi omnis potestas &c.* non negat eam sibi anteà datam; sed subinnuit, qvod jam velit istam divinam virtutem & potestatem universaliter exercere, à cujus plenario usu anteà ut homo abstinuerat. *Hinc Dn. D. Hunnius super c. 2. ad Philip. ait: Dari idem* (nomen supra omne nomen) *illi dicitur ratione actus secundi per exaltationem in dextra virtutis, qvatenus qvod sub servili forma latebat hactenus, nunc innotescit & illustratur in gloria per plenissimam usurpationem divinæ Majestatis.* Hæc ille.

92. Ut autem iis, qvæ diximus eò firmius adhæreamus, tria brevissimis demonstramus, 1. Qvod Christus hanc potestatem jam indè à primo unionis personalis momento habuerit. 2. Qvod eam in statu inanitionis non plenariè usurparit. 3. Qvod demum inanitionis statu deposito eâ plenissimè utatur.

93. *Primum συντόμως* huic Enthymemati includimus. *Hic homo* 1. jam à primo incarnationis puncto est verè Deus *Luc. 1. 43. seq. Johan. 1. 14. 49.* 2. In se omnem plenitudinem habitantem habet *Col. 2. 9.* 3. Est Rex & Dominus de cœlo, *1. Cor. 15. 47. Matth. 2. 2. c. 21. 5.* cui omnia data *Joh. 3. 35. c. 5. 27. c. 13. 3.* 4. Particulariter divinæ & increatæ virtutis opera ante exaltationis statum edidit, ex aqva vinum ge-

generosum faciendo *Joh.* 2. 11 Lazarum ex mortuis excitando *Joh.* 11. 43. 44 corda hominum in obsequium flectendo *Matth.* 20. 34. mari ventisque potenter imperando *Matth.* 14. 32. morte sua nos redimendo &c. Ergò hic homo *Jesus Nazarenus* divinam & infinitam potestatem à primo incarnationis puncto habet ac possidet.

94. *Secundi firmitas ita astruitur: Christus juxta humanam naturam* 1. verè inanitus fuit *Philip.* 2. 7. *seq.* 2. Pauper natus & educatus *Luc.* 2. 7. *Matth.* 8. 20. 3. Furori hostium cessit *Matth.* 2. 13. 14. 20. 21. *Joh.* 4. 1. 3. *Luc.* 4. 29. 4. Fuit captus, ligatus, flagellatus, vulneratus, crucifixus, mortuus, & sepultus, ut tota Evangelistarum historia luculentissimè probat. Ergò *Jesus Christus* juxta humanam naturam plenariè & semper suam παντοδυναμίαν non exeruit.

95. *Tertium ita confirmatur: Christus ut homo* 1. Per exaltationem est Dominus (ὁλικῶς καὶ ἀληθείᾳ dominans; secùs & anteà ut homo erat Dominus *Matth.* 12. 8. 1. *Cor.* 2. 8. *Joh.* 13. 13.) factus *Act.* 2. 36. 2. Ei omnia sunt sub pedes subjecta *Ps.* 8. 7. *Eph.* 1. 22. *Ebr.* 2. 8. 3. Ut omnia impleret adscendit *Eph.* 4. 10. Ergò Christus ut homo παντοκρατορείαν καὶ πᾶσαν ἐξουσίαν in cœlo & in terra quoad plenarium Dominandi actum exercendum non ante sed post sui exaltationem accepit.

Pars Tertia.

96. Hucusque duas priores clypei partes persecuti sumus, restat porrò, ut, quomodo sit rectè usurpandus, videamus. Nam cum omnis scriptura θεόπνευστος sit utilis ad doctrinam, ad redarguitionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in justitia: Et eam ob causam præscripta, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus 2. *Tim.* 3. 16. *Rom.* 15. 4. nullo modo ambigendum est, & hæc verba, quæ numero quidem pauca, sed pondere gravissima, insignes has in se continere utilitates.

97. Nam 1. illa πρὸς διδασκαλίαν facere constat; siquidem docent nosse 1. nos ipsos. Si enim animæ nostræ vulnera aliter curari non potuerunt, quàm hoc nomine Jesu infinitam potestatem per unionem personalem possidente, & tamen ejus usu plenario se ad tempus abdicante, verè magna & lethalia ipsa fuisse oportet; quippe quæ tanta tanti Medici cura, inanitione, sudore ac labore opus habue-

buerunt. Morbi igitur atrocitatem iræqve divinæ magnitudinem adversus peccata agnoscentes, ingenuè confiteamur, nos ob peccata regno cœlesti exclusos esse, dicentes cum Acolasto *Luc 15. 21.* Pater peccavimus in cœlum & coram te, neqve posthac sumus digni filii tui vocari.

98. 2. Docent nos nosse *Christi personam & officium*, in cujus cognitione salus nostra consistit *Joh. 17. 3.* Multi putant, homini ad Christi cognitionem salvificam sufficere, si sciat & credat, eum esse Deum & hominem in personæ unitate, etiamsi non credat, imò totis viribus impugnet, Christum qvà hominem per unionem personalem & gloriosam exaltationem Majestatis infinitæ esse consortem factum, & eam plenissimè jam usurpare. Sed miserè eos falli, patet hinc clarissimè. Nam qvi est particeps divinæ naturæ & ὑποστάσεως τȣ̃ λόγȣ, is etiam propriorum & Majestatis ejusdem particeps sit necesse est, utpote qvæ necessariò cohærent, imò hic sunt unum ταυτὸ. Qvi ergò non credunt, hunc hominem esse hypostaticè omnipotentem & Majestatis divinæ ac infinitæ participem, illi etiam nunqvam credunt syncerè, eum esse verè Deum personaliter, qvas etiam verborum præstigias ad fidem suam seu potius incredulitatem ornandam excogitent. *Hoc namq; est unicum fundamentum, qvo Ephesinum concilium piè rectè & solidè contra Nestorium disputavit & pronunciavit*, ait *Dn. D. Hasenreff. in locis.*

99. *Deindè* qvi huic homini παντοδυναμίαν concedere recusat, qvomodo ille de Mediatoris hujus officio rectè credere ac statuere potest? Est enim officium divinum, qvod sine divina virtute, infinita Majestate perfici non potest. Nam tale est, cui nulla creatura par est, cum aliàs incarnatione non fuisset opus. Jam verò teste Apostolo *1. Tim. 2, 5. 6.* hoc officium subit non tantùm ut Deus, verum etiam ut homo. Qvis ergò credentium inficiari poterit, hunc hominem infinita Majestate ac potentia præditum esse? Nullatenus, inqvit *Fulgentius lib de Incarn. c. 4.* humana natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens atqve idonea fieret, nisi unione verbi Dei. Itaq; decuit, *teste Anshelmo lib. 2. Cur Deus homo c. 8.* ut de ipso, qvod victum erat, genere assumeret hominem, per qvem generis humani vinceret inimicum.

100. Nam absqve infinitæ Majestatis communicatione an nos *hujus Jesu* sangvis emundaret à peccatis *1. Joh. 1, 7.*? anne *hic Jesus* preces nostras

ſtras audiret & ſenſu noſtrarum infirmitatum afficeretur *Ebr. 4. 15.*? numnè *hic* in medio inimicorum nos protegendo, illos puniendo dominaretur *Pſ. 110. 1.*? Anne *illi* cum Stephano *Act. 7. 59.* in agone tutò Spiritum noſtrum commendare poſſemus? nunqvam. Eant ergò Calviniani crepitantes, ſe in ſalutis fundamento, qvod eſt Chriſtus, *1. Cor. 3. 11.* à nobis non diſſentire. Aliud per Dei gratiam de Salvatore noſtro, qvà etiam homo eſt, ex *Aphoriſmo* noſtro edocti ſumus, cui in vita ac morte tutò inniti qvimus; qvippe qvod ſuperſtructum eſt ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ſummo angulari lapide exiſtente ipſo Jeſu Chriſto, *Eph. 2. 20.*

ἔλεγχος

101. 2. Qvomodo πρὸς ἔλεγχον Calvinianorum, Jeſuitarum, & aliorum errantium ſit hic *noſter clypeus* utilis, ex ſupra dictis manifeſtum eſſe cenſemus. Qvo circa hic duntaxat, qvaſi indice digito notaturi ſumus, qvàm fœdiſſimam ἀχαριστίας maculam ſibi illi inurerent & qvantis periculis ſeſe objicerent, qvi neſcio cujus periculi formidine præoccupati, *huic de Majeſtate Chriſto homini data* διδασκαλίᾳ ὑγιαινούσῃ ἀντιλέγοντας ἀποτόμως ἐλέγχειν negligerent. Reges, principes ac Domini ſeculares non rarò vehementer commoventur, audientes, ſuæ dignitati aliqvid detrahi. Anne *Chriſtus Jeſus*, qvi etiam qvà homo, eſt *Rex Regum & Dominus Dominantium*, indignaretur iis, qvi hunc Majeſtatis titulum ipſi derogant? anne illos, qvi ad ignominiam ipſi illatam vindicandam vel jure triplici ſunt adſtricti, & tamen officii ſui ſunt obliti, laudaret & impunè dimitteret? non ita. Ut enim ſal infatuatus & vi mordicandi vacuus ad nil neqve ad ſterqvilinium ultra valet, vide *Matt. 5. 13. Luc. 14. 35. & confer Har. Chemnit.* Ita illi verbi præcones, qvi infatuati ſunt mordacitatem redarguitionum abjicientes à Deo, ut extorres regno cœlorum abjiciuntur.

102. Hæc dum in uſu ἐλεγκτικῷ monemus, neqvaqvàm probare volumus illorum intemperiem, qvi nulla ratione habita & Paulinæ admonitionis *2. Tim. 2. 24. 25.* & diſtinctionis *inter ſeducentes & ſeductos*, ſepoſitis ipſis rebus, à ſuis affectibus abrepti in perſonas invehuntur: ſed hæc ad vigilantiam in nobis excitandam unicè directa volumus, ut operam demus ſedulo, ne veritatis hoſtes Dominum ac Regem noſtrum optimè de nobis meritum ignominia afficere, & nobis *conſolationis theſauros*, qvi ex Majeſtate Chriſto homini data in credentes redundant, ſuffurari patiamur.

103. Qvi-

103. Qvinam inqvis, 3. sunt isti *thesauri παρηγιλήσεως*, qvi indè ad nos deferuntur? certè egregii & aurei. Nam 1. Si ille *πονηρὸς* sua ignita tentationũ spicula in nos vibrat *ad intra* conscientiam ob peccatistimulos irreqvietando, hunc ipsi possumus objicere clypeum. *Data est huic Jesu potestas omnis in cœlo & in terra.* Cur? ad dandam pœnitentiam & remissionem peccatorum, *Act. 5. 31.* Nam qvi crediderit in hunc & baptizatus fuerit, salvus erit, *Marc. 16.* Qvid ergò nimium ob peccata contristaremur? qvid trepidaremus? Profectò si unicum adhuc supereesset peccatulum, pro qvo hic noster sponsor Jesus non perfectissimè solvisset, nunqvam ex morte ereptus & ad tantæ potestatis pleniſſimam usurpationem evectus fuisset. Ergò potiùs lætabundi dicemus ex *Esa. 61. v. 10.* Omnino gaudeo in Domino Jesu meo, exultat anima mea in DEo meo, qvia induit me vestibus salutis, pallio justitiæ amicivit me.

104. 2. Si *ὁ πειραστὴς ab extra* modo persecutione & periculis te terret, modo miserias & innumeras hujus vitæ molestias exaggerando te pusillanimem reddit, noli trepidare ac animum abjicere. Ad *hunc converte oculos clypeum: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Christus, caro & sanguis tuus dominatur in medio inimicorum *Ps. 110. 1. 2.* Ergò & tuorum. *Hic* pretiosissimo suo *λύτρῳ* nos non propter hanc caducam & ærumnosam, sed ob beatissimam in cœlis exspectandam vitam redemit *1. Tim. 1. 15. Hic* propter eandem nos vocavit, sanctificavit. Etenim si in hac vita tantum in Christum *θεάνθρωπον* credimus & speramus, miserrimi omnium sumus *1. Cor. 15. 19.*

105. *Inprimis Ministris verbi* hoc solatium est apprimè notandum, Christus enim (ut particula *illativa οὖν v. 19.* ostendit) discipulis animum additurus, ne ob mundi Malitiam & Tyrannorum potentiam segnes evaderent, ac periculi timore officii commissi partes intermitterent, hæc verba: *Data est mihi &c.* ut solatii anchoram fortissimam ipsis substernit. Si ergò etiamnum ob fidele verbi divini præconium Mundus hoc vel illud tibi est intentaturus, hunc arripe *clypeum.* Qvia Jesus Salvator ac Dominus tuus non abiegavit te ad terras dominio suo exemptas. Ergò potentissimè te defendere poterit. Stephanus ob nomen Christi persecutionem patiens ad mortem usqve, oculos ad cœlum convertebat & Jesum à dextris virtutis stantem videbat *Act. 7. 56.* Qvid tu stas cogitabundus & trepidabundus? Stephani vesti-

vestigia lege, & oculos mentis ad cœlos reflecte, tum & tu conspicies Jesum fratrem tuum stantem à dextris virtutis Dei; stantem videbis, qvia paratum ad juvandum habebis. Huc Ecclesia indè ab initio respexit usqve in hunc diem; in hoc omne consolationis & insultationis suæ fundamentum posuit & servata hucusqve fuit, inqvit *Lutherus tom. 7. super Ps. 110.*

106. *Si* tentaris *ab Infra* Diaboli astutia, mortis truculentia, judicii ac inferni sævitia, noli diffidere moribunde, huc cor tuum converte: *Data est mihi omnis potestas, &c.* Hic per mortem suam destruxit eum, qvi habebat mortis Imperium, hoc est, Diabolum & liberavit nos, qvi timore mortis per totam vitam obnoxii eramus servituti *Ebr. 2. 14. & 15.* qvid ergò moriture timebis? An judicium? Hic Jesus à mortuis excitatus, nos ἀπὸ τῆς ὀργῆς τῆς ἐρχομένης liberat *1. Thess. 1. 10.* An infernum? Hic infernalem cohortem devicit *Ose. 13. 14.* An infirmitas tua te dejiciet? *Data est mihi*, inqvit, *omnis potestas.* Cur non Deus illam in nostra deposuit manu? *Ut hoc modo*, inqvit *Dn. Chemnit. Hær. c. 30. p. m. 183.* qvasi depositum nobis *conservetur in illam diem 2. Tim. 4. 8. Humana enim natura cum esset integra, bona illa, qvæ in manu sua habebat, non potuit conservare: Qvomodò igitur nunc posset? Pater itaq; depositum salutis nostræ certiori & tutiori custodiæ commendavit, deponens illud in manum filii modò fidem servemus, sicut Paulus inqvit 2. Tim. 4. 7.* Hæc ille. Hinc Paulus εὐφαλπώμεθα ait *Rom. 8.* In his omnibus ὑπερνικῶμεν, (an per nos? Non sed) per eum, qvi dilexit nos. Ergò lætantes dicere possumus ex *1. Cor. 15. 57.* Deo gratia, qvi dedit nobis victoriam per Christum Dominum nostrum.

107. Sed dicat qvis, solatium indè resultans fateor esse egregium & præstantissimum; verùm existimo, me non minus firmiter erigi posse, si ea mihi à Christo, *qvà Deus* est, promittam ac poscam, etiamsi non credam illi, qvà homo est, divinam & infinitam competere Majestatem! Miserrimè deciperis, si hoc tibi persvaderi passus fueris. Deus enim ignis consumens (videlicet non placatus) *Ebr. 12. 29.* qvomodo autem placatur? Qvomodò ille ignis exstinguitur? Sangvine hujus Jesu fide infuso exstinguitur *Rom. 3. 25.* Hinc mediatorem Deum & hominem esse necesse erat, qvi officium istud per operationes divinas obire & peragere posset. Qvi itaqve Christo homini divinam Majestatem communicatam esse negat, idem eum secundum humanam

naturam Mediatorem nostrum esse, negare necesse habet, nisi creata potestate illud officium confici ab eo, qva homo est potuisse, dixerit.

108. Nam Deus *omnia, qvæcunq; ad vitam æternam nobis sunt necessaria, non dat, nisi per manum filii sui incarnati, inqvit* Dn. Chemnit. *c. 30. Har. p. 182. qvia nos non sumus digni, qvi illa accipiamus, filius Dei incarnatus constitutus est Mediator, is meruit & dignus est, & nos propter filium diligit, & in manum ejus omnia illa dat, ita ut de ejus plenitudine nos accipiamus Joh. 1.* Hæc ille. Sicut igitur ὁ λογος *in, cum, & per* carnem assumptam opus Redemtionis est executus vitam acqvirendo, ita etiam vult *in, cum, & per eam nobis* vitam applicare, Ecclesiam defendere & ejus hostes singulos demum in extremo die funditus perdere *2. Thess. 1. 5. seq.* Hæc doctrina de Christo tam clarè, tam perspicuè nobis est in verbo Dei revelata, ut in medio meridie cæcutiat, qvi hæc videre & agnoscere nolit. Qvi ergò in hac doctrina de Christo non manet, Deum non habet *2. Johan. v. 9.* qvicqvid etiam sibi imaginetur. Sed satis de usu θεολογικῷ.

109. 5. Utilis est πρὸς ἐπανόρθωσιν pravorum motuum & vitæ flagitiosæ. Qvia enim *illi data omnis potestas in cœlo & in terra*, non inultum auferet, qvi impiè vivendo hunc fratrem contumelia affecerit & sic inimicis eum contemptim irritandi occasionem dederit. Hic Dominus veniet aliqvando cum sanctis millibus suis, ut ferat judicium adversus omnes, & redarguat, qvicunqve ex ipsis sunt impii, de factis omnibus, qvæ impiè patrarint, deqve omnibus duris, qvæ loqvuti fuerint adversus ipsum peccatores impii &c. *Epistola Judæ v. 14. 15. seq.*

110. 6. Πρὸς παιδείαν inserviat nobis qvæ est in justitia. Justum est, ut huic Domino cœli & terræ serviamus in justitia & sanctitate *Luc. 1. 75.* Lavit enim nos à peccatis nostris per sangvinem suum, & fecit nos reges & sacerdotes Deo & patri suo. Si ergò sumus sacerdotes, sistamus corpora nostra hostiam vivam sanctam placentem Deo *Rom. 12. 1.* assiduè per ipsum offeramus Deo sacrificium laudis, id est, fructum labiorum celebrantium nomen ejus *Ebr. 13. 15.* Si Reges, succenseamus nobis ob peccata, ac sumta universa armatura Dei, *Eph. 6. 13.* dominemur Diabolo, mundo, carni, & cupiditatibus pravis indè ortis.

111. Et ad hoc servitium huic cœli & terræ Domino præstandum non tantùm nos excitet beneficii ab eo accepti *memoria*, nec tantùm

futura ipsum amantibus danda *gloria 1. Cor. 2.* sed etiam inprimis inenarrabilis, ad qvam nostra in Christo natura evecta est, *excellentia*. Nã nunc supra omnes angelos honorati sumus, ut in rei veritate gloriari possimus: Caro mea est Dominus cœli & terræ & sangvis meus regnat in cœlo & in terra. Hunc honorem nulla creatura, nullus Angelus habet; inqvit *Dn. Lutherus*.

112. Et si Angeli & Archangeli, qvorum tamen naturam Filius Dei non assumpsit, nec in Majestatis thronum evexit, ipsum sedentem in throno adorant & glorificant, qvanto magis nos, qvorum semen assumpsit *Ear. 2. 16.* & ore ac opere glorificabimus? Venite ergò pia horum mediatione excitati, adoremus & procidamus coram Christo Rege ac Domino nostro: Magnificate Dominum mecum & exaltemus nomen ejus in secula, *Psal. 34. 3.* Acclamate mecum, sedenti in throno & agno occiso: Benedictio & honor & gloria & robur in secula seculorum, *Apoc. 5. 13.*

DISPUTATIO II.

CURRUS CHRISTI TRIUMPHALIS: Vel BREVIS REPETITIO SANÆ DOCTRINÆ, DE GLORIOSA CHRISTI *IMMANUELIS* NOSTRI *ASCENSIONE* IN COELOS, ET *MAJESTATICA SESSIONE* AD DEXTERAM PATRIS.

IN NOMINE J. C.

Thesis Prima.

DE ἀνυπαθεία qvæ Ichneumoni, muri Indico, cum Crocodilo intercedit, referunt naturæ mystæ, qvòd illæ in os hujus, vel somno sepulti, vel in utramvis aurem penes littus cubantis, sese ingerat, & corpore suo limo priùs illito & lubrico facto ventrem Crocodili ingrediatur, ingressus erodat umbilicum, viscera & hepar depa-

pascat, benè pastus vivus incolumisqve evadat, crocodilo interim enecto, *Herodot. lib. 2. mihi pag. 51. Plin. lib. 8. c. 24. mihi pag. 373. Ælianus lib. 8. c. 25. mihi pag. 506. D. Franz. histor. animal. pag. 287. 290. &c.*

2. Hæc ad unum salutis nostræ vindicem *Christum Jesum*, ejusqve beneficia (qvorum memoriam hoc tempore publicâ solennitate Ecclesia recolit) ita accommodamus, ut Ichneumonem cum *Christo*, Crocodilum cum *Diabolo* conferamus.

3. Ichneumon investigatorem notat: *Christus* Dominus noster salutis nostræ modum per redemtionem optimè investigavit.

4. Crocodilus notat fugientem crocum; fugit & Satanas Ecclesiæ crocum, de qvo *Cantic. 4. v. 13.* tanqvam plantam cœlestem *Matth. 15. v. 13.*

5. Perpetua est Crocodili & Ichneumonis inimicitia: Nulla est communio Christi cum Belial *2. Cor. 6. 15.* seminis mulieris cum serpente *Genes. 3. v. 15.*

6. Levis est vermis Ichneumon; Christus est factus vermis nostri causa *Ps. 22. v. 7.* Crocodilus vastum animal est; alicubi tricubitali magnitudine *Herod. lib. 4. mihi pag. 125. Ælian. lib. 17. c. 6.* Satanas vastus magnusqve est, & doli multiplicitate, *1. Pet. 5.* & regni amplitudine *Ephes. 2. v. 2.*

7. Lubricam sibi alvum reddit Ichneumon illito limo; Humanitatis nostræ limum *Gen. 18. v. 27.* assumpsit Dei Filius, *Heb. 2. 16.*

8. Devorari se patitur Ichneumon; Idem patitur Dei Filius, qvando moritur, qvando à Judæis Crocodili infernalis geniminibus *Matth. 3.* penitus exossatur. Vid. passionis tragœdiam.

9. Hepar & qvicqvid principalium est viscerum depascit Ichneumon, illæsus ventre prorumpit, triumphatoqve Crocodilo insultat: Noster cœlestis Ichneumon, *Jesus* noster, capitale membrum regni Satanæ, peccatum abolevit, factus pro nobis peccatum *2. Cor. 5. 20. Heb. 2. v. 14.* Illæsus elapsus est, perruptoqve terræ ventre *Joh. 2.* hosti nostro & suo insultat: O inferne, O mors, ubi victoria, aculeus tuus ubi *1. Cor. 15.*

10. Hujus gloriosæ victoriæ capitis nostri, bipartitus veluti colophon est; *Ascensio in cœlos & sessio ad dexteram patris.* De utraqve breviter, ad scripturæ canonem & semitam.

11. Discipuli sursum evectum Dominum suum stabant intuentes

in monte Oliveti *Luc. 24. v. 50. Actor. 1. v. 12.* Nos etiam Christi genuini discipuli *Joh. 8. 31.* stantes, hoc est parati, ex phrasi Scripturæ, in monte Oliveti h. e. Ecclesia (in qva sponsi hujus spiritualis nomen est instar olei effusi *Cantic. 1. v. 2*) videbimus, considerando nimirum, (ex stylo scripturæ) ascensionem & gloriosum *Christi* in alto triumphum.

12. Manus tuas, O pie *Christe*, ascensurus tollebas, discipulisqve tuis benedicebas: Eleva super nos qvoq; manum digitumq; tuum, qvi Spiritus tuus est, & nostro etiam instituto ex alto benedic, ad tui nominis gloriam!

13. Veteris pacti summus Pontifex, semel annuatim sanctum sanctorum ingrediebatur, hircorum vaccarumqve sangvine pollutus: Noster summus Pontifex *Heb. 7. c. & seq.* ingressus est semel sanctum sanctorum proprio sangvine, q. andо ascendit in cœlum, ut nobis omnibus in sangvine conculcatis *Ezech. 16. v. 6.* cœli penetralia aperiret.

14. Hujus doctrinæ duplex erit ἔξεννα. Una theoretica, altera practica.

15. Prior complectitur hos articulos: Genus, Causam efficientem, Materiam, Formam, Finem fructumqve, subjectum & Adjuncta ascensionis.

16. Primum articulum qvæsitumqve credimus & docemus propriissimè, qvâ ascensio hæc verè motus fuit, latioq; de loco in locum, vi textuum limpidissimorum, ἀνεφέρετο, ἀνελήφθη, ἐπήρθη, διέστη, apud Lucam in utroqve libro.

17. Non ergò ἀφανισμὸς fuit, neqve raptus Photinianus, neqve metamorphosis, neqve objectio alicujus phantasmatis, qvam posteriorem sententiam *Beza* D. Brentio affricat per calumniam. *Volum. 1. Tract. Theol. mihi fol. 583. Bergius in Analys. cont. de pers. Christi c. 19. Thes. 257.*

18. Causa efficiens ascensionis est totus *Christus* secundum utramqve naturam. Idem enim est, qvi descendit & ascendit *Ephes. 4. vers. 9. 10.*

19. Cave Patrem & S. Sanctum ab operis hujus communione seqvestres, cujus ut una est cum λόγῳ essentia, sic virtus & operatio una.

20. Illud sudes est in Calvinianorum oculis, qvi propria virtute hu-

humanam naturam ascendisse negant, *Tilenus part. 2. Syntag. mihi p. 456.* scilicet ut antiqvum obtineant, operationum communionem negent, secundum Adamum septimo Patriarchæ *Genes. 5. 24.* æqviparent.

21. Lubricus est *Tilenus l. d.* humanam naturam instrumentum ascensionis asserens. Instrumenti enim vocabulum homonymum est, & Nestorianæ impietatis latibulum, nisi commoda vocis distinctio accedat. *Damasc. in Phys. c. 9.*

22. Non simpliciter dicit Lucas: Nubes suscepit eum, sed relatè, *ab Oculis*, h.e. occultavit, qvæ Syri exegesis est.

23. Materia, est humana natura, cui latio competit, qvæ divinæ non nisi per συγκαταβασιν convenit.

24. Forma duo ἀναλογικῶς complectitur: Visibilem Christi κένωσιν, de qva in genere, & ascensum Christi invisibilem, qvem Jessæus Propheta indicat *Psal 68. 19.* & Benjamiticus Apostolus suo calculo approbat *Ephes. 4. 8.*

25. Non hæc adversis frontibus concurrunt, sed ἐναλλὰξ sunt, non contraria, ut non nemo colligit, *D. Berg. d. l.*

26. Finis alius est *Cujus*, Christi nimirum ingressio in sanctissimum, in gloriam *Luc 24.* Filii Dei declaratio, triumphatio: Alius *Cui*, nostra salus, intercessio pro nobis *Rom. 8. 34.* hostium captivatio & donorum bonorumqve cœlestium largissima effusio, *Ps. 68. Eph. 4.*

27. Elias sursum raptus, pallium suum Elisæo legavit; *Christus* in cœlum conscendens innocentiæ pallium donavit nobis *Esai 61. v. 10.* qvod in sangvine ovis lavit *Genes. 49. 11.* qvando in divinæ iræ torcular delatus *Es. 63. 3.* & peccatorum nostrorum prælo subjectus, ut vitis cœlestis, salutiferum sudoris vinum sudavit *Joh. 15. v. 1. Luc. 22. 44.*

28. Ad subjectum referimus locum ascensionis, cui triplicem substernimus terminum, A qvo, Per qvem, Ad qvem.

29. A qvo, mons Oliveti est, *Act. 1 v. 12.* ut penultimi vatis prædictionem exitus ipse comprobaret *Zach. 14. v. 4.*

30. Scissio, cujus Propheta meminit, non est physica, sed mystica, seu anagogica, Ecclesiæ nimirum dilatatio & amplificatio, scissis Apostolorum, *Actor. 2.* lingvis facta.

31. Versùs plagarum mundi qvadrigam facta est hæc ruptura, qvia in omni mundi plaga est filiorum Dei genitura. *Esai. 43. 6. c. 66. 19.*

32. Lucas sibi optimè constat, qvando, in Evangelio *c. 24.* in Bethaniam discipulos abductos scribit à Christo *v. 50.* & ex eo loco Dominum ab iisdem disjunctum esse, qvod in monte Oliveti factum esse, idem scribit *Act. 1. v. 12.*

33. Etenim Bethania ad montis Oliveti radices sita fuit, teste *Marc. c. 11. v. 1. Joseph. Brocardo Monach. in descript terræ S. mih. p. 226.*

34. Terminus per qvem, Aëris regio fuit.

35. Terminus ad qvem alius visibilis fuit, nempe nubes, qvæ Dominum oculis discipulorum ἀτενιζόντων subduxit; alius invisibilis (voce termini abusivè sumpta) cœlum *Luc. 24. v. 51. Act. 1.* altum *Psalm. 68. 19.*

36. Cœlum hic intelligimus, non Aërium, non sidereum, non Zvvinglicum illud locale, *Martyris, Bullingeri & Bezæ*, ultra octovam sphæram, qvod partim ex Scholasticorum lacunis, partim Poëtarum fabulis de campis Elysiis, de fortunatis insulis apud Zetzem, de hortis Alcinoi, natum est.

37. Sed *cœlum* intelligimus *beatorum sublime*, ita tamen, ut sit supra omnes cœlos.

38. Hujus secreta, qvi discutiunt, qvi rimantur, næ eorum oculi & aures beatiores, qvàm Esaiæ, qvàm Pauli, utpote qvi vident, audiuntqve, qvod neminem unqvam mortalium vidisse, audivisse, percepisse, dicunt duo testes ἀξιοπίστατοι *Esai. 64. 4. 1. Cor. 2, 9. 2. Cor. 12. 2.*

39. Qvi vocabulum cœli, loci, mansionis urgent, suo se gladio jugulant, & sanctissimas gravissimasqve res inscitiæ phraseologicæ culpâ deterunt.

40. Locus in *Actis c. 3. 21.* localitatem Calvinisticam non confirmat; qvod patet ex Phraseωs proprietate, scopi Apostolici qvalitate. *Christi Luc. 19. 12.* & Pauli *1. Cor. 15. 25.* τὸ δέχεθζ per τὸ βασιλεύειν explicantis, interpretatione.

41. Ad adjuncta referimus; qvod semel facta est ejusmodi localis ascensio *Christi*, contra nuperum Photinianæ Gangrænæ commentum, Christũ tempore qvadragesimalis tentationis *Matth. 4.* localiter in cœlum ascendisse, ibidemqve Theologiam suam didicisse, ut ἀχρόφως & ἀνυχρόφως asserunt, *Smalcius de divinit. Jesu Christi c. 4. p. 11 Ostorod. in Instit. Germ. c. 16. Enjedinus in expl. locor. V. & N. Test. Socinus in tract. de Deo & in explic. locorum script. pag. 87.* qvos refutat *Marcus cap. 1.*

42. Tem-

42. Tempus ascensionis est qvadragesimus post resurrectionem dies. Totis enim qvadraginta diebus cum discipulis conversatus est Dominus *Act. 1. v. 3.* non tamen continuè, sed contiguè.

43. An verò ut Pontificiam traditionum Cabalam discipulis proponeret, qvod Bellarmini augurium est? Minimè; sed ut se vivum exhiberet, ut de regno Dei cum suis verba faceret, *Luc. 24. 27. 53. Actor. 1. 3.*

44. Beatissimi hujus triumphi comites *alios* habuit Christus *in polo*, currus DEI *Psalm. 68. 18.* angelos nempe *(conf. 2. Reg. 6. 17.)* qvi ut Christum viderant nascentem, patientem, ita nunc ascendentem.

45. Horum duo apparent, forma visibili, in vestibus candidis, in innocentiæ angelicæ documentum, qvam innocentiam in hominibus etiam albedo notat *Esai 1. Psal. 51.* & nostræ cum *Christo* in vestibus albis futuræ ambulationis *Apoc. 3. 4.* præludium, & cœlestis lætitiæ τεκμήριον.

46. *Alios in solo*, qvi ut cum Christo resurrexerant; Ita cum eôdem in cœlestem gloriam commigrarunt, ex sententia piæ Antiqvitatis.

47. Jacob Patriarcha in baculo Jordanem trajecit, reversus duobus agminibus comitatus fuit; Christus Jordanem, h.e. judicii divini fluvium in crucis baculo trajecit, nunc duplici comitatus comitatu.

48. Benedictio Christi, in qvo omnis nostra benedictio est *Gal. 3. 22.* certa est ex *Luc. c. 24. v. 51.* Benedictionis verò illius tessera, an signum crucis fuerit? (ut *Bellarm. in expl. Symb. pag. 85.* vult) incertum est.

49. Altum hîc silentium, de Pontificiæ ordinationis pompa theatrica, Chrismate sacro, characteris impressione mystica, capitis rasura Baalitica. Christus benedicit tantum his, qvos testes mox emissurus erat ad extremum terræ *Actor. 1. v. 8.*

50. Praxis hujus doctrinæ est, ut cogitemus scalam Jacobi nunc cœlo appositam esse *Joh. 1. v. ult.*

51. Ascendite, ascendite, Veri Jacobitæ. Salvator vester ascendit! caput præcessit, membra seqventur.

52. Vita hæc peregrinatio est *Psal. 39. 13. 1. Pet. 2. 11. 2. Cor. 5. 6.* Vera patria, locus verus in cœlo nobis paratus *Joh. 14. 2.*

53. Cogat nunc atras nubes princeps ille aëris, decumanos calamitatum fluctus glomeret mundus, aërem obscuret, terrorem ostentet,

tet,unius æstimabimus assis,qvamdiu hunc portum, Christi ascensione partum,cogitabimus,anhelabimus.

54. Nubes Christum oculis discipulorum subduxit, ut penetraret nubem,de qvâ *Thren. 3. 44.*

55. In Bethaniam migrat Dominus, & ex ejusdem oppidi monte in cœlum ascendit: In Bethania hujus vitæ, tanqvam domo afflictionis,versamur,ascendamus & nos montem, *1. Sinai*, ut peccata nostra, omnium malorum semina,agnoscamus,*2. Sion*,ut ad verum medicum confugiamus *Exod. 15. v. ult.*

56. Adamo primo paradiso egrediente, angelus stricto gladio aditum hominibus prohibebat: Adamo secundo paradisum cœli introeunte,angelus præsto est, & blandis verbis homines compellat,ut indicet, pacem inter homines & angelos nunc restitutam esse,qvo nonnulli referunt illud *Coloss. 1. v. 20.*

57. Hæc de gloriosa *Christi ascensione*; qvam supremus & postremus exaltationis gradus individuo nexu excipit, triumphalis ejusdem *ad dexteram patris sessio.*

58. Hujus doctrinæ orthodoxiam tribus includemus problematis. *1. Qvid dextera Dei? 2. qvid sessio ad dexteram Dei? 3. Secundum qvam naturam sederit Christus ad dexteram Dei?*

59. *Dextera Dei* non est anthropomorphitica situatio, nec Calvinisticus in cœlo locus, ut statuunt *Bulling. in Tract Verb.* in domo patris mei, *Idem Tom. 1. Serm. 8. mihi pag. 25. Tigurini contra Brent. Beza & complices reliqvi.*

60. Nec electorum beatitudo tantùm, ex sententia Bellarmini: Ita enim omnes beati sederent ad dexteram Dei, contra Apostolum, *Heb. 1. v. 4.*

61. Nec finita potentia est dextera Dei,ut blasphemè,scribit *Bullingerus Tom. 1. Serm. 8. fol. 26.* cum aliis, qvos arietat in eâdem Schola *Tilenus part. 2. Syntag. m. pag. 463.*

62. Nec inferiorem qvandam potentiam intelligimus, per dexteram DEI, qvod ii sentire videntur, qvi sedere ad dexteram, minùs olim honorificum habitum fuisse scribunt ex *Anton. Nebriß.*

63. Sed dextera DEI, est infinita majestas, gloria, potentia, iisdem, qvibus Deus ipse, regionibus atqve terminis circumscripta, hoc est, nullis.

64. Non

64. Non gratis hoc dicimus, ad utriusqve fœderis tabulas provocamus, qvæ ita nobis dexteram hanc describunt, 1. Ab infinitis effectis *Exod. 15. 6. Psalm. 21. 9. Psalm. 77. 11. Psalm. 108. 7. Psal. 139. 10.* & passim alibi.

65. 2. Epithetis infinitam majestatem arguentibus, *Luc. 22. 69.* Virtutis DEI; *Eph. 1. 20. Col. 3. 1. Hebr. 1. 3. c. 8. 1.* Majestatis & sedis DEI.

66. 3. Synonymis, qvalia sunt; Thronus in seculum *Dan. 7. 14.* Thronus patris *Apoc. 3. 21.* Thronus sicut dies cœlorum *Psal. 89. 30.* sicut Sol, *v. 37.* Thronus in seculum seculi, h. e. æternum *Heb. 1. 8.* solium æternum & perpetuum *Psal. 45. 7.*

67. 4. Dexteræ hujus periphrasibus. Vates enim Daniel jam multò ante in Spiritu (ut David *Matth. 22. 43.*) glorioſum Christi ascensum, & triumphalem ad dexteram patris confessum prævidens, eundem potestate, gloria, regno, populorum omnium servitio, potestate seculi, non corrumpenda, non auferenda, describit *cap. 7. 14.*

68. Subscribit eidem gentium Doctor, qvando Christum in dextera Patris collocatum dicit in cœlestibus supra omnem principatum imò supra omne nomen, h. e. rem, (Hebraismo peculiari) qvod vocatur non solum in hoc, sed etiam in futuro seculo.

69. Qvod si supra omnem rem & nomen exaltatus est Christus, ergò etiam supra omnem locum, omnem potestatem, qvid ad hanc lucem addi potest?

70. Glorioſæ hujus sessionis auspicium & exercitium tum demum factum esse dicimus, qvando Christus noster, verus David, infernalis Saulis persecutiones priùs expertus, ejus morsum perpessus, caput exaltavit *Ps. 110. v. ult.* inqve regnum suum ingressus est glorioſum. Hanc periodum, hanc Epocham ipsa scriptura ostendit *Marc. 16. v. 19. Heb. 1. v. 3.* ex qva hujus inthronisationis tempora & momenta discere, tutum est. Nova intercalatione opus non est.

71. Alterum problema qværit: *Qvid sit sedere ad dexteram DEI? Bullingerus l. supra d.* illud, *Sedere*, per τὸ qviescere in certo cœli loco explicat, cum complicibus, qvi pueriliter sapere videntur non nemini ex eadem Schola, *D. Bergio c. 12. Analys. cont. de pers. Chr. th. 151.*

72. At verò illa Calvinianorum sessionis interpretatio est 1. Contra dexteræ Dei descriptionem superiùs luculenter assertam, 2. Pauli A-

li Apostoli interpretationem, qvi sedere & regnare pro synonymis habet *1. Cor. 15. 25.* 3. Multis modis absurda est: *1. Theologicè*, qvia duos thronos Majestaticos, in hoc articulo, Christo assignat; unum, respectu divinitatis, estqve Majestatis infinitæ; alterum, humanitatis, & potentiæ finitæ.

73. 2. *Logicè* absurda qvoqve est illa sententia. Etenim exempla, qvibus talem localem sessionem statuminare volunt, elencho parium laborant.

74. Exemplum Betsabes non patrocinatur causæ adversæ. Etenim longè alia est ratio dexteræ DEI & dexteræ Salomonis: Tùm mater ad dexteram filii ita sessum ivit, ut illa tamen hoc superior fuerit. Idemne de Christo dices? Absurdè!

75. Qvocircà, *Sedere* est *regnare*, D. Paulo teste & paraphraste *1. Cor. 15. 25.* & Davide Scholiaste *Ps. 110.* qvi spiritualis hujus regni & regis, cladem inimicorum, *v. 2.* (de qva *Esai. 11. 4.*) subditorum devotionem, *v. 3.* spiritualis sacerdotii naturam *v. 4.* regni hujus effecta, *v. 5. 6.* & conseqventia glorioſa *v. 7.* graphicè depingit.

76. Sedet ergò Dominus noster, Immanuel noster, hoc est, regnat, pari cum Deo Patre & S. Sancto, majestate, gloria, in regno potentiæ, gratiæ, gloriæ, qvicqvid etiam malitiosi, hujus regis, hostes obganniant.

77. Illa verò ducis nostri promissio de statuendis in throno suo iis, qvi vicerint, *Apoc. 3. 21.* non de *ἰσοτιμίᾳ* intelligenda est.

78. Sed, ut alibi scriptura enucleat, in talibus sessuri erunt pii Thronis, in qvibus mundum judicent, *Matth. 19. 28. Luc. 22. 30.* regnent, *Rom. 5. 17. Apoc. 5. 10. c. 20. 4.*

79. Cæterum: *Secundum qvam naturam Christus sedit ad dexteram DEI Patris?* Hæc tertii problematis materia est.

80. Calviniani dupliciter circa hoc caput impingunt, *1. Ex parte subjecti. 2. Ex parte prædicati.*

81. *Ex parte subjecti*, qvando asserunt, Christum etiam secundum divinam naturam sedere ad dexteram patris.

82. *Ex parte prædicati*, qvando sessionem illam, finitorum donorum mensurâ, itemqve verbali idiomatum communicatione definiunt & metiuntur. *Tilen. in Synt.* alii.

83. Nostra autem orthodoxia ita habet: Christum, qvoad humanam

nàm naturam tantùm sessum iviſſe ad dexteram patris sui, non verò secundum divinam naturam.

84. Argumenta pro sulcienda thesi sunt, *Biblica*, *Catechetica*, *Ecclesiastica*, *Historica*.

85. *Biblica sunt* 1. A natura DEI, qvæ non mutari, dextera DEI, qvæ non exaltari potest. Atqvi divina filii natura est ipsa dextera DEI. E. secundum eam non sedit ad dexteram DEI.

86. 2. Ab operum Christi consequentia & cohærentia. Passionis & mortis Christi consequens est sessio ad dexteram DEI, *Ps. 110. v. ult. Philipp. 2. 8.* Illius ergò naturæ in persona Christi erit consequens τὸ sedere, cujus erat antecedens, nempe pati, mori. Atqvi antecedens erat humanæ, ultro fatentibus adversariis. Ergò humanæ in Christo naturæ competit etiam consequens, nempe *Sedere*.

87. Ipse Dominus hanc sessionem, cum ultimo adventu suo in nubibus conjungit: *Matth. 26. 64.* Illius ergò naturæ in *Christo* sedere, cujus est visibiliter in nubibus redire. Atqvi posterius hoc competit humanæ in Christo naturæ. Ergò etiam prius. Confer. Apostol. *Heb. 1. v. 3. & seq.*

88. 3. A perspicua phraseologia. Ex gratia donatum hoc nomen (ἐχαρίσατο) scribit Apostolus *Philip. 2. 9.* Secundùm eam ergò naturam Christus ad dexteram patris consedit, secundum qvam ex gratia aliqvid accipere potuit. Atqvi juxta assumptam naturam ex gratia aliqvid accipere potuit. E.

89. Qvi secus sentit, errat, & eandem cum Arrio tibiam inflat.

90. *Catecheticum* argumentum est, qvod series articulorum suppeditat. Nam secundum carnem passus, mortuus, sepultus, resurrexit. Ergò secundum carnem etiam ad dexteram patris consedit Christus.

91. *Ecclesiastica argumenta* 1. Qvoties dicit scriptura, qvod acceperit Filius aliqvid, & glorificatus sit, propter humanitatem i psius sic loqvitur *Athanas. apud Theodoret.* Διαλ. *2. mihi p. 131.*

92. Atqvi in tempore datum est Christo τὸ sedere, vide Apostolos, *Eph. 1. 20. Act. 2 36.*

93. Ergò invictè concludo; secundum humanitatem sedet Christus ad dexteram Patris.

94. Testimonia piæ antiqvitatis alii recensuere. Qvædam eo-

rum habet *Theodoretus* Διαλ: 2. d. l. ad qvæ commentator *Beumlerus* ne gry qvidem, *pag 132. edit. Tigur. anno 1593.*

95. At verò videas adversarios frontem caperare severitudine, audias excipere, Christo respectu officii sui etiam secundum divinam naturam aliqvid in tempore datum esse, jurisdictionem puta ecclesiasticam.

96. Sed & illa propositio est ἄγραφος, qvomodo hoc ex unico scripturæ canone probabunt?

97. Qvæ potius jurisdictionem hanc non semel disertis verbis assignat etiam λόγῳ ἀτάκτῳ.

98. Et ex sententia adversariorum illa pullulat absurditas, ut dicendum sit, Christum fuisse caput ecclesiæ V. Testamenti, & tamen non habuisse jurisdictionem, sed eam demum in tempore accepisse; qvod est oppositum in appositio dixisse.

99. *Deniq; historicum* argumentum est, pro nostra sententia, qvod hæretici omnibus temporibus data Christo in tempore *Deitati* adscripserunt. Ex qvo consequitur, ut, qvi idem cum hæreticis faciat, pars ejus cum hæretico ponenda sit.

100. Undè patet liqvidissimè, qvantoperè errent illi à veritatis semita, qvi secundum divinam naturam, hanc sessionem Christo attribuunt. Nostræ verò sententiæ perstat veritas.

101. Qvippe qvæ in solo Dei Verbo, qvod veritas est. *Joh. 17.* fundata, radicata, ædificata supra petram scandali illam, de qva *Esa. 8. 14. Rom. 9. 33. 1. Pet. 2. 8.* In hanc licet calumniarum imber irruat, convitiorum inundatio perstrepet, venti concutiant & velut domum illam *Matth. 7. 24.* conqvassent: Nilominus tamen stabit illa, stabit inqvam & Satanæ

Spernet inulta minas, malesanaq; verbera linguæ.

Tu optime Jesu, sanctifica nos in veritate, sermo tuus veritas est, & ecclesiæ naviculam inter publicos fluctus luctusq; hos immunem serva. *Amen.*

COROLLARIA ET PROBLEM.

1. *Esai. 10. 15.* Rex Assyriæ securi & serræ comparatur. At verò eo in textu nihil præsidii Calvinianis relinqvitur, qvi efficacissimam Dei voluntatem intervenire asserunt, cum per impios agit. *Beza Volum. 1. Tract. Theol. mihi fol. 374.*

2. *Esai.*

2. *Esai. 53. v. 9.* D. Lutheri versio planissima est; qvicqvid etiam glossarum ab aliis assuatur.

3. *In eodem c. v. 8.* Communis versio habet: Generationem ejus qvis enarrabit? Meliùs vitæ durationem, ut alias דור significat *Psal. 49. 20. Esai. 34. 10. c. 38. 12.*

4. In Epistola ad *Philipp. c. 2. v. 6. & seq.* 1. Forma Dei non ipsam *Deitatem*, sed *Deitatis gloriam*, Forma servi, non ipsam humanitatem, sed *humanitatis vilem conditionem* denotat. 2. Humana natura fuit æqvaliter Deo, ut in textu Apostolico ἴσα pro ἴσως accipiatur, qvo significatu syntactico etiam apud bonos authores occurrit *Thucyd. lib. 3. mihi fol. 88. & alios. Homer. od. v.*

5. *Esai. 52. v. 15.* Interpretum qvidam exponunt: Asperget multas gentes, scilicet stupore. Melior ea videtur enucleatio, qvæ τὸ adsperget, perpurificat, emundat, exponit. *1. Pet. 1. 2. Heb. 9. 19. Apoc. 19. 13.*

6. Vox סריס vel Eunuchus etiam aulicum conjugatum denotat, sobolem procreantem.

7. Nulla est contradictio *Matth. 22. v. 32. & Rom. 14. 9. Esai. 42. 4. & Matth. 12. 18. Jerem. 22. 30. & Matth. 1. 12. Jerem. 7. 21. & Exod. 3. 18. & pass. 2. Samuel. 24. 15. & Heb. 10. 31.*

8. Qvomodo Christus dicatur semetipsum sanctificare, qvi est sanctus sanctorum? *Johan. 17. 19. Dan. 9. 24.*

9. An ex *2. Chronicor. 16. 14.* probari possit, olim etiam magnorum virorum corpora fuisse combusta?

DISPUTATIO III.
DE
CHRISTO.

Thesis Prima.

CHRISTI cognitio revelata consistit in personæ & officii ejus consideratione.

2. In persona Christi considerandæ duæ naturæ, Divina & Humana,

na, earundem personalis Unio, & hinc resultans idiomatum communicatio.

3. CHRISTUM verum DEUM esse demonstrant irrefragabilia sacrarum literarum testimonia. Qvorum 1. desumitur ab appellationibus. Vocatur enim absolutè, Jehova, qvod est essentiale DEI nomen *Zach. 11. vers. 13. Jerem. 23. vers. 6.* absolutè DEUS *Joh. 1. v. 1. c. 20. v. 28. Acter. 20. v. 28. 1. Tim. 3. v. 16.* DEUS benedictus super omnia *Rom. 9. v. 5.* DEUS magnus, *Tit. 2. v. 3.* DEUS verus *1. Joh. 5. v. 20.* Pulchrè *Cassianus lib. 3. de incarnat.* Qvando Paulus dicit, Christum esse DEUM, hoc sufficit Christianis: Qvando verò addit, esse DEUM super omnia, eo omnem blasphemiam perfidæ assertionis excludit.

4. Secundum desumitur ab Unitate essentiæ cum Patre, *Joh. 10. v. 30. 1. Johan. 5. v. 7.* Tertium à proprietate hypostatica, *Ps. 2. v. 7.* Qvartum à proprietatibus essentialibus, ut æternitate *Joh. 1. v. 1.* Qvintum ab operibus divinis, ut creatione *Ps. 33. v. 6.* Sextum à cultu verè divino, qvi illi exhibendus, *Joh. 5. v. 23.*

5. Qvare *Photinus* id negans rectè fuit damnatus in *Concilio Sirmiensi, Anno 356.* Imperatore Constantio. *Arius* presbyter Alexandrinus, Anno 320. idem negans, damnatus fuit ab Universali concilio Niceno, Anno 325. & tandem miserrimè periit justissimo DEI judicio, *Tripart. histor. lib. 1. cap. 12. Nicephor. lib. 8. cap. 5.*

6. CHRISTUS etiam homo est, *Joh. 1. v. 14.* Conjunge, *Rom. 1. v. 3. Hebr. 2. v. 14. Gal. 4. v. 4.*

7. Est autem humana in Christo natura *1. Sancta.* Conceptus enim est Christus cœlesti modo, & cœlesti operatione Spiritus Sancti, non autem terrena generatione, qvia Maria concepit novo & miraculoso modo, absqve virili semine, *Luc. 1. v. 35.* *2. Vera*, qvia ex substantia & sangvine Mariæ humana Christi natura formata est; & hinc semen Mulieris, *Gen. 3. v. 15.* fructus ventris ejus, *Luc. 1. v. 42.* factus ex David secundum carnem, *Rom. 1. v. 3.* Filius Abraham & Davidis, *Matth. 1. v. 1.* Filius hominis passim in Sacra Scriptura dicitur. *3. Integra*, adeoqve constans anima rationali, *Matth. c. 26. v. 38. Johann. 10. vers. 15. c. 12. v. 27.*

8. Undè clarissimum evadit, duas in Christo naturas esse perfectas, Divinam & Humanam, atqve essentiis & proprietatibus semper manere distinctas.

9. Proin-

9. Proindè valeant Valentinus & Marcion, contendentes, Christum è cœlo secum attulisse corpus sidereum ac cœleste, non autem ex Maria veram ac nobis consubstantialem carnem assumpsisse: Valeat Manes, somnians, Christum habuisse non verum sed imaginarium corpus: Itemqve Apollinaris, negans, Filium DEI assumptisse carnem animâ rationali præditam: Et Eutyches, negans, post factam unionem humanam Christi Naturam nobis esse consubstantialem.

10. Sicut igitur duæ sunt in Christo Naturæ cum suis proprietatibus distinctæ: ita duæ voluntates & operationes, una divinæ, altera humanæ naturæ, absq; confusione & conversione.

11. Hæ duæ Naturæ integræ cum suis proprietatibus sunt unitæ, sed inconfusè, immutabiliter, indivisè & insegregabiliter.

12. Et hoc opponendum est illis, qvi disputant, personam Filii, non Naturam divinam, si propriè loqvi velimus, esse incarnatam. *Bez. part. 1. resp. ad colloq. Mompelg. pag. 183. Dan. in Exam. contra Chemnit. pag. 81. Sohn. in Exegef. Augustan. Confeß. pag. 192.*

13. Qvid hoc aliud est, qvàm naturam divinam de incarnationis articulo sacrilegis artibus auferre, & proindè omnem consolationem turbatis conscientiis surripere?

14. Qvinimo sacrosancta Scriptura Naturæ Divinæ mentionem facit, *Coloss. 2. v. 9.*

15. Et an non Natura & essentia divina ita communis est Trinitati, ut tamen tota & indivisa sit in singulis personis? Undè eleganter *Thomas, par. 3. qvæst. 3. art. 4.* Tota Natura divina dicitur incarnata: non qvia incarnata in omnibus personis, sed qvia nihil deest de perfectione naturæ divinæ, personæ incarnatæ.

16. Deniqve ὑπόστασις & essentia divina non differunt realiter, in qvalibet Trinitatis persona, aliàs pro Trinitate introduceretur qvaternitas, pro simplicitate cujuslibet personæ introduceretur compositio. Nobis assentiuntur veteres: *Dionysius, Athanasius, Cyrillus*, & ex iis *Damascenus, lib. 3. orthod. fid. cap. 6.*

17. Qvod ipsum qvoqve opponendum est illis, qvi impiè scriptitant, *totum λόγον ita esse in carne, ut tamen etiam sit extra carnem, Zanchius lib. 2. de natur. Dei cap. 6. pag. 157. Pezel. part. 1. object. pag. 177.*

18. Atqvi Apostolus unionem hypostaticam, *Coloss. 2. v. 9.* definit, per omnis plenitudinis Deitatis in assumpta humana natura inhabitatio-

tionē, qvæ efficit, ut post factam incarnationē, nec λόγῳ sit extra carnem, nec caro extra λόγον, siqvidem duæ in Christo naturæ ἀδιαστάτως sunt unitæ. Absit etiam, ut locorum διαστήματα separent, qvod summum unionis vinculum conjunxit.

19. Et sanè, stante adversariorum sententiâ, tollitur illa, qvam Scriptura ostendit, Naturarum, in Christo ἀφυχώρησις, neqve tam arcta erit inter λόγον & assumptam Naturam ἀφυχώρησις, qvam est inter corpus ἔμψυχον & animam ἐνσώματον, qvia durante corporis & animæ unione, nec corpus est extra animam, nec anima extra corpus.

2. Negatur vel ex toto vel ex parte τῷ λόγῳ ἐνυπάρκωσις.

20. Duæ sunt in Christo naturæ, & tamen unus Dominus Jesus Christus, *1. Cor. 8. v. 6.* unus mediator, *1. Tim. 2. v. 5.* unus Christus pro nobis mortuus, *2. Cor. 5. v. 15.* unus vir *2. Cor. 11. v. 2.* Qvia autem Christus non est unus essentiâ (est enim DEUS & homo) sed unus personâ, sive ὑποστάσει, hinc unio personalis. Est in Christi persona ἄλλο καὶ ἄλλο, sed non ἄλλῳ καὶ ἄλλῳ: Est unio naturarum, sed non naturalis, est unio personalis, sed non personarum.

21. Hinc *Damascenus l. 3. c. 9.* concludit, Naturam humanam non esse ἰδιοσύστατον nec ἀνυπόστατον, sed ἐνυπόστατον. Ratio est, qvia natura humana in Christo non assumpsit personam divinam, nec persona divina assumpsit personam humanam: Sed ipsa λόγῳ ὑποστάσει humana natura subsistit, qvi est actus ejus personalis: Et persona Filii DEI, seu, qvod idem est, tota natura divina in persona τῷ λόγῳ assumpsit naturam humanam.

22. Ex unione hypostatica divinæ & humanæ naturæ sequuntur 1. Propositiones personales: Filius DEI est Filius Mariæ, & vicissim, Filius Mariæ est Filius DEI, DEUS est homo, & homo est DEUS. Arguunt enim unionem personalem duarum naturarum in Christo. Recte qvoqve *Calvinus lib. 2. Inst. c. 14. sect. 4.* & ex eo *Chassiano lib. 2. locor. comm. c. 1. sect. 3.* contra suos asseclas affirmant, Christum secundum humanam naturam esse & dici Filium DEI per unionem personalem.

23. Ex unione hypostatica divinæ & humanæ naturæ, sequitur (non tempore, sed ordine) communicatio idiomatum.

24. Cum verò persona agat omnia juxta cujusqve Naturæ proprietatem; deindè, cum natura divina perfectissima, Humana verò, ex hypostatica illa unione, præter supra & ultra essentiales proprietates,

tates, qvas retinet, divinas ἐξοχὰς sortita sit, deniqve, cum utraqve Natura agat cum communicatione alterius, hinc tria communicationis genera nascuntur.

25. Primum genus communicationis idiomatum dicitur à veteribus ἰδιοποίϊα, & est, qvando propria unius naturæ tribuuntur personæ in concreto. Ut, cum Dominus gloriæ crucifixus, *1. Cor. 2. v. 8.* Auctor vel Dux vitæ interfectus dicitur, *Act. 3. v. 15.*

26. In hoc genere qvandoqve particulæ distinctivæ adduntur, qvæ ostendunt, secundum qvam Naturam personæ aliqvid tribuatur: Ut, Filius DEI γενόμϕ@ est ex semine David secundum carnem *Rom. 1. v. 3.* itemqve hîc ponitur nomen personæ, non autem, absolutè, nomen alterius Naturæ.

27. Proindè valeant illi, qvi vociferantur, passam & mortuam esse alteram TANTUM naturam, nempe humanam, ut *Herborn. rudim. l. 2. p. 100. Martinius contra D. Menzer. in spic. p. 184.* Actiones enim & passiones sunt suppositi, sive personæ.

28. Secundum genus communicationis idiomatum dicitur à veteribus, μεταποίησις, & est, qvando divina natura Filii propriam suam gloriam & excellentiam humanæ naturæ communicavit, sine humanæ naturæ destructione, & Eutychiana confusione.

29. Enimverò humana natura habet idiomata illa, non in semetipsa, veluti in subjecto, sed in persona τȣ̃ λόγȣ sibi realiter communicata possidet. Qvemadmodum enim humana Christi natura non subsistit in seipsa, sed in persona τȣ̃ λόγȣ, sic qvoqve idiomata illa non in semetipsa habet, sed in persona τȣ̃ λόγȣ.

30. Sunt autem qvatuor præcipuè idiomata, qvæ humanitati Christi, ex unione hypostatica, communicata, contra Calvinianos, Theologi recensent.

31. Primum, omnipotentia, *Matth. 28. v. 18.* qvæ in qvatuor veluti surculos dispescitur, nempe 1. in virtutem vivificandi, *Joh. 6. v. 33. & seqq.* 2. Virtutem miracula edendi, *Act. 10. v. 38.* 3. Δύναμιν peccata remittendi, *Matth. 9. v. 6.* 4. Potestatem judicandi, *Joh. 5. v. 27.*

32. Secundum, omniscientia *Joh. 3. v. 34. Coloss. 2. v. 3.*

33. Tertium, omnipræsentia: Qvanqvam, accuratiore locutionis genere, omnipræsentiam ad officium Christi referendam esse, cum *D. Menzero*, fateamur. Hîc verò observandum 1. qvod totus

Christus, & secundum divinitatem, & secundum humanitatem, Ecclesiæ suæ adsit præsentissimè, *Matth. 18. v. 20. c. 28. v. 20.* 2. Qvod totus, Christus & secundum divinitatem, & secundum humanitatem, suis etiam hostibus extra Ecclesiam constitutis, omnibusq; creaturis aliis, adsit præsentissimè, *Ps. 110. v. 2. Eph. c. 4. v. 10.*

34. Qvartum, cultus adorationis *Phil. 2. v. 9. 10.* conjunge, *Heb. 1, v. 6.*

35. Differt hoc genus à primo, qvia illic propria naturarum assignantur toti personæ, ita tamen, ut suæ qvæqve Naturæ per particulas distinctivas, sive expressas, sive intellectas, vindicentur; Hîc verò docetur, qvâ gloriâ, potentiâ & majestate ornata sit natura Christi humana, propter unionem hypostaticam.

36. Tertium genus communicationis dicitur à veteribus κοινωπωία, & est, qvando utraqve Natura, ut definit *Concilium Chalcedonense*, in Christo agit cum communicatione alterius, qvod cujusqve est proprium.

37. Etsi igitur utraqve Natura suas proprias & naturales habeat & retineat operationes, tamen hæ naturæ in operibus officii agunt non διηρημένως, sive *disjunctim*, sed ἡνωμένως, sive *conjunctim*, atqve concurrunt ad unum ἀποτέλεσμα: Nam divina natura utitur operatione humanæ Naturæ, sicut operatione sui instrumenti: Et similiter humana Natura participat operationem divinæ naturæ, sicut organon, qvod conjunctum vocant, principalis agentis.

38. Et hinc axiomata hæc Theologica: Persona Christi operatur secundum utramqve naturam. Itemqve persona Christi operatur in utraqve forma, nempe, Natura divina & humana.

39. Distinctum hoc genus à duobus prioribus, qvandoqvidem hîc concurrunt utriusqve Naturæ in Christo proprietates & operationes, in officio Redemtionis; ut commune ἀποτέλεσμα exurgat, qvod neqve ad humanam naturam tantùm, neqve ad divinam Naturam tantùm, sed ad utramqve simul refertur.

40. Hinc Christus salvum facit populum suum à peccatis eorum *Matth. 1. v. 21.* dissolvit opera Diaboli, *1. Joh. 3. v. 8.* est mediator inter DEUM & homines, *1. Tim. 2. v. 5. &c.* de qvibus, DEO duce & auspice, in oratione de Officio Christi, pluribus dicam. Huic Jesu Christo θεανθρώπῳ, unico humani generis Redemtori, sit benedictio, Gloria & κράτος in secula, Amen.

DIS-

DISPUTATIO IV.

Exhibens

XI.

QUÆSTIONES THEOLOGICAS DE BAPTISMO.

QUænam sit Baptismi necessitas, satis dilucidè *CHRISTUS*, ejus autor & institutor apud *Joannem c. 3. v. 5.* his verbis ostendit: Nisi qvis renatus fuerit ex aqva & spiritu non potest intrare in regnum Dei. Qvæ verba veteres unanimi consensu interpretando de baptismo, exindè docuerunt, hominis regenerationem fieri per baptismum. Audi *Basilium lib. de spiritu Sancto c. 3.* sic scribentem: Christiani undè nos? utiq; per fidem? servamur autem qvomodo? nimirum generati per gratiam, qvæ confertur in baptismo. Nam unde alioqvi? idem *in sermone in aliqvot scripturæ locos*, peccatum, inqvit, gratia per baptismi regenerationem nobis data abolet. Et *in sermone de sancta Trinitate* citat de baptismo hunc locum Joh. 3. Nisi qvis renatus fuerit, &c. *Gregorius Nazianzenus in oratione dicta in funere patris*: Accedebat, inqvit, ipse ad regenerationem, qvæ fit per aqvam & spiritum, per qvam confitemur Deo cum desiderio fervido ac spe præclara. *Ambrosius lib. de Sacramentis cap. 6. de vocatione gentium c. 8.* Baptismum nominat Sacramentum regenerationis, qvem admodum Divus *Paulus ad Titum 3.* baptismum vocat lavacrum regenerationis, Augustinus *in pluribus locis* verba Domini intellexit & citavit de Baptismo, præcipuè *lib. 1. de peccatorum meritis & remissione c. 18.* Eandem sententiam qvoqve defendunt qvotqvot è modernis orthodoxi. Nec est, qvare *Calvinus lib. 4. inst. c. 16.* contra manifestissimam veritatem verba in sensum allegoricum torqveat. Christus enim, ut ex toto illo sermone satis apparet, non proponit Nicodemo allegoriam, sed doctrinam de hominis regeneratione, qvomodo homo in baptismo possit regenerari, videlicet, per aqvam & Spiritum, qvæ sunt partes essentiales baptismi. Nam omne Sacramentum constat duabus rebus, terrenâ & cœlesti juxta Beati Irenæi regulam. Sic materia & res baptismi terrena, est aqva, cœlestis verò, est unà cum patre & filio, Spiritus San-

ſanctus. Hic concurrit ad baptiſmum tripliciter: 1. ratione efficientis, qvia eſt autor baptiſmi, 2. materiæ, qvia eſt, ut reliqvæ Trinitatis perſonæ, res cœleſtis, 3. Uſus & effectus, qvia hominem baptiſmo ſuſcipit, à peccatis emundat & ad novam ſpiritualem vitam regenerat. O magnam baptiſmi neceſſitatem, ſine cujus adminiſtratione infans nec à peccatis emundari, nec ad novam ſpiritualem vitam regenerari poteſt! De hoc ergò videbimus diſputatione præſenti, qvæ illuſtres qvæſtiones de baptiſmo continet.

I. Qvæſtio.

An Baptiſmus ſit Sacramentum? & qvomodo?

Cum ambiguitas ſit mater erroris, merito eam, qvæ in vocabulo Sacramenti latet, explicandam duxi. Accipitur verò ſacramentum, vel politicè, I. generaliter, pro ſolenni juramento, ſive obligatione interveniente juramento militari ad præſtandam Imperatori fidelitatem, II. ſpecialiter, pro pecunia à contendentibus duobus apud pontificem depoſita, hac conditione, ut qvi vinceret, ſuum Sacramentum (pecuniam) auferret, victi autem ærario cederet; vel Theologice I. generaliter, pro qvavis re arcana vel myſterio: ſic (in latina Bibliorum translatione) ſumitur circa gentium vocationem *Eph. 3. v. 3.* Chriſti & Eccleſiæ conjunctionem *Eph. 5. v. 32.* Chriſti incarnationem *1. Tim. 3. v. 16.* II. Specialiter, pro ſigno externo, qvod continet & ſignat res divinas & ſacras. Hoc ſignificatu granum, ſemen, gemma, &c. poſſunt dici Sacramenta regni cœlorum, *Matth. 13. 23. 31. 46.* Sic *Auguſt. lib. 19. contra Fauſtum c. 14.* Signum crucis inter Sacramenta numerat. III. Specialiſſimè, pro ſigno gratiæ à Deo inſtituto ad applicandam & obſignandam promiſſionem Evangelii efficaciter. Et hæc ſignificatio potiſſimum competit Baptiſmo. Qvi I. dicitur *ſignum*, non nudum, ut Calviniani volunt, ſed verum & vivum, non tantùm σημαντικὸν, ſed & μεταδοτικὸν gratiæ. Id qvod probamus I. Per qvod ſalus & vita æterna nobis verè donatur, non poteſt nudum ſalutis & vitæ ſignum vocari. [illegible] Per baptiſmum ſalus & vita æterna nobis verè donatur *Tit. 3. v. 5. 1. Pet. 3. v. 21.* E. II. Qvod eſt medium & ὄργανον noſtræ παλιγγενεσίας, illud non pot-

potest dici nudum ejus signum. At scriptura disertè affirmat baptismum esse medium & ὄργανον nostræ παλιγγενεσίας *Tit. 3. v. 5. Joh. 3. v. 5.* qvo mundemur à peccatis, *Actor. 2. v. 38.* qvo salvemur *1. Pet. 3. v. 21.* Sepeliamur in mortem Christi *Rom. 6.* Christum induamus *Gal. 3.* &c. idq; non σημαντικῶς sed καὶ ἀληθῶς. E. III. Et sanè si baptismus tantùm esset nudum signum, minor ἐνέργεια adscriberetur baptismo, qvàm lotionibus veterum. Sic enim plus profuit aqva Jordanis leproso Naamo *4. Reg. 5. Luc. 4.* Piscina probatica ægrotis *Joh. 5.* qvàm hoc Sacramentum nostræ novæ vitæ ac salutis æternæ, ut baptismum vocat *Augustinus lib. 2. contra Crescent. Gramm. c. 18.* Hinc ulterius infertur, falli itaq; Calvinianos, qvi existimant, infantes piorum parentum ante baptismum esse in gratia & fœdere, cum non nisi per baptismum recipiantur in gratiam & fœdus. Id qvod probat baptismi typus, Circumcisio, per qvam fiebat receptio in gratiam & fœdus Dei *Gen. 17.* E. inqvam etiam per baptismum. II. *à DEO institutum Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 16.* III. *ad applicandam & obsignandam promissionem Evangelii Marc. 16. Act. 2.* Errant itaq; Heidelbergenses, Basileenses & Bremenses, qvi inter Sacramenta exqvisitè dicta referunt arborem scientiæ boni & mali, contra qvos clarissimus Præses *in disputatione de Bapt. th. 2.*

II. Qvæstio.

An Laicus in casu necessitatis baptizare possit?

Calviniana cohors acriter negat, cui hæc opponimus, I. Qvod valet in re pari, valet etiam in compari. Atqvi in circumcisione, in cujus successit locum baptismus, fieri potuit, ut circumcisio à mulieribus fuerit usurpata urgente necessitate, à Zippora *Ex. 4. v. 25.* à mulieribus sub tyrannide Antiochi. *2. Macc. 6. v. 10.* E. & in baptismo. II. Qvibus publico & ordinario docendi munere prohibito, ob id privatum & extraordinarium docendi munus non illico prohibetur, sillis etiam licet publicum & solemne baptizandi munus prohibeatur, ob id privatum, & in necessitatis casu extraordinarium, non interdicitur, Nam ubi eadem ratio, ibi idem jus. Atqvi Laicis publico & ordinario docendi munere interdicto *1. Corinth. 14. v. 34. 1. Tim. 2. v. 12.* privatum non prohibetur, qvin potius conceditur, non obstante expressa solemnis muneris prohibitione. Unde docuisse affirmantur Aqvila & Priscilla *Act. 18. v. 26.* confer Rom. 16. v. 3. E. Et huc pertinet commu-

nis regula: Ubi casus necessitatis, ibi communis ordo cessat. Ordo enim sacramentis non dominatur, sed iisdem subservit, siqvidem ordo propter Sacramenta, non sacramenta propter ordinem instituta. Nil obstat, qvod Baptismus sit Ecclesiastici muneris pars. Resp. in administratione baptismi esse duos modos, qvorum alter dicitur ordinarius, alter extraordinarius. Ordinarius tantùm pertinet ad Ecclesiastas, qvibus ut publicè docendi ita publicè baptizandi data est potestas; extraordinarius non tantum ad Ecclesiastes, verum etiam ad qvosvis Laicos, modò integram Christi institutionem observent.

III. Qvæstio.

An Hæreticus verum baptismum administrare possit?

Hæretici sunt in duplici differentia vel ordine: Qvidam de substantia Baptismi rectè sentiunt, & in substantialibus Christi institutionem servant, licet in aliis articulis graviter errent: Qvidam substantialia baptismi mutant & articulum Trinitatis non solùm abiiciunt, verum etiam horrendas blasphemias in adorandam Trinitatem spargunt. Illi verum baptismum administrant, hi verò non. Qvo dicta *Ezech. 16. vers. 20. 21. & c. 23. vers. 37.* referimus, qvibus Deus testatur Judæos (idololatras) filios Deo genuisse, puta, per circumcisionem. Hinc apparet, Pontificos verum baptismum administrare, qvia substantialia baptismi non mutant, licet multa superstitiosa Baptismo adjiciant. Contra verò Arrianos, Photinianos, & ipsorum asseclas, qvando essentialia baptismi immutant, verum baptismum conferre negamus.

IV. Qvæstio.

An in casu necessitatis, loco aqvæ, mulso, vino vel alio liqvore sit utendum?

Calviniani partem affirmativam defendunt Ii verò, qvibus de meliore luto finxit præcordia Titan, ad castra partis negativæ meritò deflectunt: Cum qvibus, agite, hastas nostras vibremus: 1. Essentialia baptismi non sunt mutanda. Nam mutatis essentialibus mutari rem necesse est. Aqva & Spiritus sunt essentialia baptismi *Joh. 3. v. 5. Eph. 5. v. 26.* E. 2. Mutatio elementi in Sacramento, qvæ nullum mandatum nullumqve exemplum habet in SS. ea non est admittenda. At hæc mutatio baptismi in vino vel alio liqvore nullum man-

mandatum, nullumqve exemplum habet in Sacra Scriptura. E. Hæc mutatio & baptiſmi in vino vel alio liqvore non eſt admittenda. 3. Si in caſu neceſſitatis non licitum eſt Laico baptizare, multò minus in caſu neceſſitatis, loco aqvæ, uti alio liqvore licitum erit. Hoc enim eſt de eſſentia, illud non. At prius ſecundum Calvinianos non licitum. 4. Qvod homini eripit fundamentum, qvo ſe erigere poteſt in tentationibus contra Diabolum, illud merito removendum. At hoc fundamentum eripit ſubſtitutio peregrini liqvoris pro aqva in S. Baptiſmo. Qvid enim homo Diabolo tentanti reſponderet? Qvid ſic prementi? Cur omiſiſti inſtitutionem Chriſti? Cur non uſus es aqvâ, qvam Chriſtus in Baptiſmo inſtituit? Annon perturbaretur miſer homo? 5. Qvo elemento Chriſti Apoſtoli & eos ſecuti pii Epiſcopi in primæva Eccleſia baptizarunt, eodem & nos baptizare debemus. At Chriſti Apoſtoli & eos ſecuti pii Epiſcopi in primæva Eccleſia non alio elemento, qvam aqvæ baptizarunt. E. Nec obſtat, qvod neceſſitas nullis legibus ſubjecta dicitur. Reſp. In ſubſtantialibus baptiſmi neceſſitatem eſſe legi ſubjectam, qvia ſubſtantialia non poſſunt mutari juxta Regulam: Sublata eſſentia tollitur res, idcircò in ſubſtantialibus talem caſum neceſſitatis fingere non licet.

V. Qvæſtio.

An infantes Chriſtianorum ſint baptizandi?

Anabaptiſtæ omninò clamitant, baptiſmum tantum pertinere ad adultos, idqve probant ex *Joh. 3.* ubi Chriſtus ad adultum Nicodemum tantùm loqvitur: Niſi qvis renatus fuerit ex aqva & Spiritu non poteſt ingredi in regnum Dei. Sed qvàm longè à ſcopo veritatis aberrent, oſtendit locutio univerſalis: *Niſi qvis* renatus fuerit ex aqva & Spiritu. Hac ratione univerſali, luce meridiana clarius apparet, Omnes homines, adultos & infantes, doctos & indoctos, divites & pauperes &c. contineri. Et ut res illuſtrior fiat, infantes Chriſtianorum baptizandos eſſe probabimus tribus argumentis: 1. Reſpectu mandati, de omnibus gentibus baptizandis *Matth. 28. v. 19.* 2. Reſpectu exempli: Si infantes in Vet. Teſtamento ſunt circumciſi, merito, in Novo Teſtamento, ſunt baptizandi. Ut enim circumciſio fuit ſignum fœderis, qvo Abraham & ſemen Abrahami Deus in gratiam recepit: Ita baptiſmus nobis eſt ſignum gratiæ Dei abluentis

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027629733/phys_0061
Mecklenburg Vorpommern

tis nos à peccato & donantis baptizatos æterna salute. At infantes in V.T. sunt circumcisi. E. 3. Respectu privilegii. Ad qvos pertinet promissio fœderis, ad illos pertinet etiam baptismus: Qvia Relati & Correlati hactenus connexio est arctissima. Atqvi ad infantes pertinet promissio fœderis *Matth. 19. v. 14.* E. Patres qvoqve sententiis & praxi huic sententiæ subscribunt. Nobis instar omnium erit *Cyprianus*, qvi sub Galieno Imperatore, circa annum Christi 260. floruit, *in l. 3. Epist. ad Fidum*, ubi hæc verba usurpat: Porro si etiam gravissimis delictoribus, & in Deum multò ante peccantibus, cum postea crediderint, remissio peccatorum datur, & baptismo atqve gratia nemo prohibetur, qvantò magis prohiberi non debet infans, qvi recens natus nihil peccavit, nisi qvod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiqvæ prima nativitate contraxit. Hunc Cypriani locum S. Hieronymus *in fine libri 3. adversus Pelagianos* de verbo ad verbum descripsit, & citantur eadem verba à *S. Aug. c. 20. lib. de Origine animæ.*

VI. Qvæstio.

An certum & definitum tempus baptizandi sit præscribendum?

In Veteri Testamento Deum certum tempus circumcisioni præscripsisse in aprico est, qvando *Gen. 17. v. 12.* masculum octavo die circumcidi jussit. Ultra diem octavum circumcisionem parentibus liberum non erat differre, sed præstitutum diem observare oportuit. Nos verò ad illas leges ceremoniales non sumus alligati, nec necesse est, ut baptismum in octavum diem differamus, vel certum & definitum tempus baptizandi instituamus. Observandum tamen est, ne nimis diu baptismum differamus, sed primo qvoqvo die eo utamur. Id qvod *B. Greg. Nazian.* probè intellexisse videtur, qvando suos auditores diligenter admonuit, ne baptismum diu differrent. Qvod si tibi infans est (inqvit) non surripiat malitia tempus, ex puericia sanctificetur, ex ungvibus Spiritu consecretur. Hinc *Gerundensis Synodus circa annum Christi 500.* statuit, ut in tota Diœcesi Terraconensi parvuli eadem die, qva nati sunt, baptizentur. Et *in decretis sexti Concilii Constantinopolitani & Toletani octavi*, hæc verba habentur: Infantes nondum rationis capaces baptizamus, & parvulo imbecilli nullo modo

modo baptismus denegatur; si qvis neglexerit ejus morientis animam, ipse pro ea reddet Deo rationem. Idem qvoqve *D. Jacobus Andr.* sentit, *in Colloq. Momp. p. 197.* cum inqvit: Omnibus parentibus summo studio in eam curam est incumbendum, ut, nulla interposita longiori mora, recens nati infantes baptizentur, & per baptismum in fœdus recipiantur, qvod Christus de æterna vita nobiscum pepigit, secundum dictum Christi *Joh. 3. v. 7.* Pessimè ergò errant Anabaptistæ, qvod infantibus baptismum denegant, adultis verò porrigunt. Nec est qvod instar Achilleæ panopliæ objiciant: Si homines sunt priùs docendi, qvam baptizandi, certè infantes non sunt baptizandi. At illud est *Matth. 28. v. 19.* E. & hoc. Resp. 1. Distingvendum inter tempus, in qvo Apostoli vixerunt, adeòqve Ecclesiam propagandam, & inter tempus, in qvo jam nos vivimus, adeòqve Ecclesiam propagatam. Apostoli vivebant tali tempore, in qvo commercium habebant cum adultis convertendis, & à Ceremoniis Mosaicis avocandis; illos debebant prius docere, qvàm baptizare. Et hunc veteris Ecclesiæ morem fuisse, ut Catechumeni ante baptismum de omnibus fidei Christianæ partibus publicè erudirentur, ex historiis manifestum est. Hinc *S. Hieronymus ad Pammachium* inqvit: Consvetudo apud nos istiusmodi est, ut his, qvi baptizandi sunt, per 40. dies publicè tradamus Sanctam & adorandam Trinitatem. 2. In græco est verbum μαθητέυσατο q. e. discipulos facite. Μαθητὴς enim discipulum denotat. Ut sit sensus: Euntes facite discipulos omnes gentes. Qvod sanè fieri potest, & solet, tam per baptismum, qvam prædicationem Evangelii. Idcircò μαθητέυειν est vocabulum generale, complectens utramqve speciem, tàm prædicationem Evangelii qvàm initiationem baptismi.

VII. Qvæstio.

An Deus omnes homines velit baptizari?

Ut qvæstio rectè solvatur, distingvendum est, cum orthodoxis Theologis, inter voluntatem Dei antecedentem & conseqventem. Priori modo certum est, Deum velle, omnes homines baptizari, idqve probo. Si Deus vult omnes homines salvos fieri, vult etiam omnes homines baptizari, qvia baptismus est principium nostræ salutis, sed illud est verum *1. Tim. 2. v. 4.* E. & hoc. Posteriori modo vult eos,

qvi per ætatem audire Evangelium possunt, prius doceri informariqve, ut post informationem baptizentur. Qvi verò hoc modo se baptizari non patiuntur, & contemnunt ordinationem Christi, illi obicem Spiritui Sancto ponunt, nec baptizari possunt.

VIII. Qvæstio.

An Infantes credant, & fidem habeant?

Ut qvæstio rectè examinetur, sciendum est, nos non statuere (qvemadmodum Calviniani nobis falso illam opinionem affricant) Infantes ante baptismum habere fidem, sed credere in baptismo & per baptismum. Qvando enim Infantes in nomine S. S. Trinitatis asperguntur, tunc fide donantur. Qvare fidem infantum aliqvot argumentis probabimus. 1. Qvicunq; laudant Dominum, habent fidem *Rom. 10. v. 14.* Infantes laudant Dominum *Psal. 8. v. 3.* E. 2. Qvicunqve Christum speciali suâ præsentiâ habent, illi certe fidem habent, qvia Christus hactenus non est otiosus in illis, in qvibus est. At Infantes Christum speciali suâ præsentiâ habent: qvod probo: qvi Christum induerunt, specialem Christi præsentiam habent. Infantes baptizati Christum induerunt *Gal. 3. v. 27.* E. 3. Qvicunqve placent Deo, habent fidem. Nam sine fide nemo Deo placere potest. *Hebr. 11. vers. 6.* At infantes Deo placent *Matth. 18. v. 3.* E. 4. à testimonio Christi qvi dicit, Infantes credere *Matth. 18. vers. 6.* Ac ne qvis hîc Sophisticari possit, CHRISTUM tantùm de adultioribus pueris loqvi, apud *Lucam* vocantur *cap. 18. v. 15.* τὰ βρέφη, id est, infantes adhuc lactentes. E. Nec est cur qvis objiciat: Infantes nondum habere usum rationis. Resp. Nihil hoc impedire. Nam fides non est effectum humanæ rationis, sed gratiæ Spiritus Sancti. Vide clarissimum D. Mentzerum *t. 2. disput. Gieß. p. 547.* Errant itaqve Pontificii (cum qvibus Calviniani idem jugum trahunt) qvando dicunt, Infantes tantùm potentiâ fidem habere, non actu.

IX. Qvæstio.

An Infantes sine baptismo decedentes pereant?

Infantes dupliciter considerantur: Alii extra Ecclesiæ pomœria nascuntur, qvos Dei judicio committimus *1. Corinth. 5. v. 12.* Alii in Ecclesia, de qvibus potissimum qvæstio instituitur. Tantum igitur abest, cum summo necessitatis casu excluſi baptizari non possunt, ut eos

eos damnemus, ut potius hæredes esse vitæ æternæ statuamus. Id qvod probabimus: Si infantes in Vet. Test. qvi ante octavum diem sine circumcisione moriebantur, non damnantur, neqve Christianorum infantes in Novo Testamento, qvi, summo necessitatis aliqvo casu excluſi, hoc sacro lavacro tingi non possunt, sed absqve baptismo moriuntur, damnari concludetur. Sed illud est verum. E. & hoc. Et huc pertinet Augustini Regula. Non privatio sed contemptus Sacramenti damnat. Imprimis verò pii parentes fœtum in utero piis precibus Deo commendare debent, certò statuentes, infantes suos sic absqve baptismo mortuos factos esse hæredes vitæ æternæ.

X. *Qvæstio.*

An Baptismus penitus aboleat peccatum originis?

Pontificii pro parte affirmativa militant, qvando sic argumentantur. Ubi nihil est damnationis, ibi nullum peccatum. Sed in baptizatis nihil est damnationis, *Roman. 8.* E. Resp. ad maiorem, negando consequentiam. A sublatione damnationis ad sublationem peccati non est argumentandum. Non enim extinctis relationibus fundamenta statim extingvuntur. Sic in baptismo tollitur damnatio peccati. *Romanor. 8. vers. 1.* Sed non aboletur penitus ipsum peccatum. 2. Peccata in baptismo tolluntur dupliciter: 1. Condonatione seu reatus abolitione. Nulla enim est condemnatio his, qvi sunt in CHRISTO JESU. *Roman. 8.* 2. Mortificatione. Nam Spiritus Sanctus simul effunditur in credentes, qvi paulatim evellit peccati fibras, & contra renovat hominem ad imaginem DEI. Objicit Pererius disputatione prima in Epistolam ad Romanos octavo: Si per baptismum morimur peccatis, non tantùm peccata baptismo teguntur, ita ut non imputentur, sed penitus delentur ac tolluntur. Sed antecedens apud Paulum *ad Roman. 6.* E. & consequens. Resp. Peccata dupliciter considerari: 1 ἀπλῶς vel absolutè, pro vitiosa qvalitate, qvæ naturæ nostræ tenacissimè inhæret. 2. σχετικῶς vel relativè, pro reatu, qvo homo æternæ damnationis reus fit, & qvatenus peccatum regnat. Hac distinctione observatâ argumentum *Pererii* vanitatis obeliſco confoditur. Non enim si per baptismum morimur peccatis, ἀπλῶς, sed σχετικῶς peccata delentur. Baptismus enim facit, non ut peccatum

non amplius sit, aut immutetur in rem bonam vel indifferentem, sed ne obsit vel damnet. Et huc spectat illud Augustini *tom. 9. tract. 41. in Evang. Johan. col. 309.* Nam ait (nempe Apostolus *Rom. 6. v. 12.*) non sit, sed non regnet. Qvamdiu enim vivis, peccatum necesse est esse in membris tuis: saltem illi regnum auferatur, non fiat, qvod jubet. Et *tom. 7. lib. 1. de nupt. & concupiscentia cap. 25. col. 124.* Dimittitur concupiscentia carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur.

XI. Qvæstio.

An Exorcismus, ubi viget, possit abrogari?

Ut Laconismum æmuler, distingvo inter Exorcismum in se, & cum conditione consideratum; in se consideratus est res adiaphora & Ceremonia libera, qvæ vel retineri vel abrogari potest. Conditio mutat naturam adiaphororum. Ecclesiæ integrum est, ceremonias recipere, qvæ sunt utiles ad ordinem & ædificationem: eas ceremonias communi Ecclesiæ consensu introductas, nemo privato ausu corrigere potest, sed sicut penes totam Ecclesiam introductio, ita & penes eandem, est earundem abrogatio. Qvod etiam de Exorcismo dici debet. Observanda tamen est, ne qvis in gratiam Calvinianorum Exorcismum abroget, distinctio: aliam esse rationem In statu confessionis, aliam extra statum confessionis. Extra statum confessionis Ecclesia suo jure uti potest in retinendo & abrogando Exorcismo, sed ne infirmis scandalum præbeatur, diligenter est præcavendum: In statu Confessionis, qvando homines pertinaces nostram fidem frangere conantur, mutatione Exorcismi & aliarum ceremoniarum, ibi verò ne latum ungvem cedendum est adversariis propter libertatem Christianam *Gal. 5. v. 1.* Ut rem paucis complectar Syllogismo qvæstionem absolvam. Qvod neq; est contra fidem, neqve contra bonos mores, id bona conscientia retineri potest. Exorcismus non est contra fidem, neqve est contra bonos mores, E.

Corollarium.

Pontificii Joannis Baptismum forma & substantia à nostro diversum fuisse docent. Contra: Baptismus Joannis aut fuit Sacramentum V. T. aut Novi. Disjunctum firmum est: qvia inter vetus & novum fœdus nullum fuit interjectum, cujus peculiare sacrum Joannis baptismus esset. Deinde

de qvod hæc duo, mutua succeſſione, tertium excludant. *At non fuit Sacramentum V. Teſtamenti:* Nam Lex & Prophetæ duraverunt uſqve ad Joannem. *Ergò fuit Sacramentum Novi Teſtamenti.* Hinc infero: *Aut duo ſunt baptiſmi N. T. aut falluntur Pontificii, Joannis Baptiſmum ab hoc noſtro ſecernentes. Sed duo Baptiſmi N. T. non ſunt. Eph. 4. v. 5. una fides, UNUM BAPTISMA. Ergo Pontificii fallunter.*

Q. D. B. V.

Proœmium de Locorum Communium Theologicorum Collectione.

QVomodò Loci Communes Theologici colligi & conſcribi debeant, de eo aliis aliud viſum fuit. Nobis videtur hæc ratio eſſe optima & maximè bona futura ſi conſcribantur partim Loci Communes Biblici, partim Homiletici, partim Dogmatici. Biblici qvidē ita: Ut 1. qvis ſibi compingenda curet Biblia & Latina & Germanica, & ſingulis pagellis ad minimum duas pagellas chartæ mundæ inſerendas. 2. In prima facie primæ pagellæ mundæ ſummam capitis & diſpoſitionem Logicam conſignet. 3. In altera facie illius paginæ difficultates & ſignificata vocabulorum difficiliorum in ipſis fontibus occurrentium. 4. In ſubſeqventis paginæ facie Concordantias inſignium dictorum cum aliis dictis adſcriptione tantùm numeri, ut & uſum capitis illius varium. In Homileticis vel Concionatoriis hæc methodus obſervari poteſt: 1. Poteſt ſibi qvis compingere librum in qvarto chartæ mundæ, qvem ſecum portare poſſit commodè. 2. Titulus ſupra vel ſecundum *Polyantheam Langii*, vel Evangelia Dominicalia conſtituatur. 3. Pagellas per lineam diſtingvat. 4. In una parte virtutes, in altera vitia ſcribat. Diſpoſitiones Evangeliorum Dominicalium, ut & Epiſtolarum dictorumqve cum Evangeliis & Epiſtolis Concordantium integras notet, ut lectas vel auditas aſſignatis dictis ad qvamcunqve partem præcipuis vel ipſe diſpoſitionis Evangeliorum Dominicalium ut & Epiſtolarum aliorumq; Scripturæ dictorum ſingulis ſeptimanis componat, viresqve ſuas periclitetur, ut ſi neceſſitas flagitaverit, diſpoſitiones illas depromere & ad uſum transferre poſſit. 7. Notet exempla aſſignato nomine, tantùm & nume-

numero ubi existent. 8. Historias maximè jucundas ad movendum auditores ut plurimum facientes. Tandem qvoqve similia & allegorias, qvæ mirificè concionem exornare & illustrare solent. Dogmatici conficiantur h.m: Curet 1. sibi qvis compingendos locos communes Theologicos D. *Gerhardi* insertis pagellis chartæ mundæ, vel in defectu hujus *Hafenrefferi* (qvod ipse svadere videtur in præfatione ad Lectorem in fine ferè) pluribus pagellis chartæ mundæ insertis. 2. Pagellæ distingvantur per lineam, ut alteri parti thesis, alteri verò Antithesis tribui possit. 3. Statum controversiæ accuratè observet. 4. Argumenta pro thesi adsignet, ut medius terminus probatione adscripta magis confirmetur. 5. Eadem dividat in manifesta (α) dicta Scripturæ (β) rationes evidentes (γ) Autoritates Patrum. 6. Objectiones brevissimis tantùm lineis ex Authoribus decerpat, auctoremqve notet, ex qvo desumptæ sunt, ut pro ratione temporis qvæstiones, si latius diducendæ & urgendæ, ibidem legi possint. 7. Ad qvamlibet objectionem notetur responsio, itidem brevissimis tantùm lineis adumbrata, adsignatis Authorum libris & librorum paginis, qvibus liberior continuatur tractatio. 8. Deniqve Canones Theologicos ultimo loco adsignet, certis, ubi opus est, limitationibus & distinctionibus. Hæc commodissima videtur esse ratio conscribendi Locos Communes Theologicos, qvam si qvis observaverit, non dubitamus, qvin ipsi futura sit longè utilissima. Ut autem juventus nostra causam habeat, & occasionem, manum eò citius huic labori admovendi, præsertim in Locis Theologicis Dogmaticis, controversias præcipuas continentibus, operæ pretium me facturum arbitratus sum, si Locos Theologicos, Controversias insigniores in Thesi, qvæ vel in ipso *Hafenreffero*, vel in aliis probatis & orthodoxis authoribus habetur, & Antitheti, qvæ ex variis qvæstionibus hincindè collata & comportata, ut & observata est, additis responsionibus & rerum momentis, examinarem, viamqve hac ratione ad aliorum qvæstionum Locorum Biblicorum & Homileticorum collectionem perveniendi, inqve iis non sine fructu obsecuturo singulare genus exercendi monstrarem & adumbrarem. Qvod autem ut benè fiat, ardenter & toto pectore Deum doctrinæ Christianæ Authorem unicum oramus, ut ipse sicuti hactenus, ita & porro gratia sua nobis adesse, laboribus nostris benedicere, nosqve in omnem veritatem ducere velit,

velit, ut ad ipsius gloriam, nostram verò utilitatem vergant singula, propter Filium suum dilectum. AMEN!

QVÆSTIONES CONTROVERSÆ NOBILIORES PRÆLIMINARES DE THEOLOGIA IN GENERE.

QVÆSTIO PRIMA.

An præter disciplinas humanas opus habeamus doctrina Theologica?

AFFIRMATUR.

I. *A Definitione Theologiæ.* Est enim Sapientia rerum divinarum, qvâ maximè indigemus.

II. *A mandato DEi*, jubentis ut audiamus Filium *Matth. 3.17.* qvo simul omnibus præcipitur verbi studium, qvod in Theologia dextrè proponitur.

III. *A fine hominis*, qvi ideo creatus est à DEo, ut ab illo agnosceretur & celebraretur.

IV. *A fine politicæ societatis*, qvæ omnium maximè, ut alii alios de religione docerent, est instituta.

V. *A promissionibus DEI*, in qvibus expressè dicitur, DEum tantùm hoc unico modo in hominibus velle efficacem esse, si doctrina ab ipso tradita cognoscatur, *Joh. 14. 23.*

VI. *Ab effectu.* Primò enim est exindè vera cognitio & celebratio DEI. 2. Certa & firma consolatio animorum in omnibus hujus vitæ calamitatibus. 3. Norma omnium cultuum DEO placentium.

VII. *Ab erroris multiplicatione*, qvæ ex defectu Theologicæ notitiæ oritur.

IIX. *A miserrima conditione hominis*, Theologiam ignorantis.

NEGATUR.

I. Dantur notitiæ naturales, & exindè orta Dei cognitio. E. Theologia revelata non est opus. *Rom. 2. 19.* ubi τὸ γνωστὸν *dicitur manifestum esse in Ethnicis.*

II. A mi-

II. A misericordia Dei, qvi omnium hominum vult misereri, qviq; promptus est miseris succurrendi.

III. *Syr. 3. 21.* prohibet, ne altiora nobis inqviramus, digito qvasi intento revelatam hanc rerum divinarum cognitionem improbans.

IV. *Rom. 11. 34. Qvis cognovit sensum Domini?*

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter cognitionem Dei (1) Confusam & Distinctam. 2. Imperfectam & Perfectam.* Illa est ex naturalibus notitiis, hæc non ita.

Ad II. Distingv. inter misericordiam Dei absolutam & conditionatam & inter voluntatem Dei antecedentem & consequentem. Sicuti enim voluntate Dei antecedente omnium hominum vult misereri: Ita consequente contemptores verbi vel osores Theologiæ revelatæ vult punire.

Ad III. Esse fallaciam divisionis: Immediatè enim subjungitur: *Sed qvæ præcipit tibi Deus, illa cogita semper.* Si à Deo sunt revelata per fidem sunt suscipienda.

Ad IV. Dist. inter sensum & judicia Dei occulta & in verbo ejus revelata. Non de his, sed illis loqvitur Apostolus.

QVÆSTIO II.

An ab aliqvo, qvi cum fructu in rerum sacrarum studiis vult versari, diligens reqviratur meditatio? Aff. in Textu ex *Psal. 119. v. 97.* Qvam diligo legem tuam, tota die meditatio mea est.

NEGATUR.

I. Dicto *Esa. 54. 13. Erunt omnes docti à Deo.* Qvid E. opus est meditatione?

II. *Os. 2. 14. Ducam eam* (sponsam meam) *in solitudinem & loqvar ad cor ejus.*

III. *Philip. 3. 15. Si qvid aliter sapitis & hoc vobis revelabit Deus.*

IV. *1. Joh. 2. 27. Non necesse habetis, ut qvis doceat vos, ipsa unctio docet vos de omnibus.*

RESPONDETUR.

Ad I. Esse fallac. oppositionis. Omnes enim erunt docti à Deo (1) in hac vita mediatè scil. verbo, qvod diligenter scrutandum, *Joh. 5. 39.*

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027629733/phys_0070
Mecklenburg Vorpommern

5.39. non autem immediatè vel (2) intelligitur dictum de altera vita æterna in qva omnes sanè à Deo docti erunt & illuminati.

Ad II. Esse fallaciam φράσεως. *Ad cor enim loqvi*, est Phrasis Scripturæ, qvæ non significat internas vel occultas inspirationes extra verbum, sed idem est ac efficaciter consolari tristes, ut interpretatur *Hieronymus*.

Ad III. Distingv. inter causam revelationum efficientem & intermedias. De ea loqvitur *Paulus*, sed intermediis non excluſis.

Ad IV. Johannes per *unctionem* Spiritum S. intelligit, qvi nos docet omnia, sed per verbum, qvod hic neutiqvam excluditur, per fallaciam oppositionis.

QVÆSTIO III.

An à futuro Theologo reqviratur oratio? Affirm. in Textu, *Col. 3. 17. Qvodcunq; facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu gratias agentes Deo & Patri per ipsum* Et *c. 4. 2.* Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actionem.

NEGATUR.

I. *Prov. 1. 28. Sapientia Dei non invenitur à qværentibus.*

II. *Jacob. 4. 3. Petitis & non accipitis*; Cur ergò orandum, si nihil ad nos indè perveniat commodi.

III. Multi non orant & tamen in studio Theologico optimos faciunt progressus.

RESPONDETUR.

Ad I. Esse fallac. causæ. Non enim ideò non invenitur à qværentibus, qvod eam qværant, sed qvod eam qværant ad curiositatem tantùm summamqve levitatem.

Ad II. Distingv. inter petitionem cum fide & sine fide factam. De hac non autem illa loqvitur *Jacobus*.

Ad III. Esse fallac. Accidentis. 2. Distingv. inter jus & factum. Non de hoc sed de illo qværitur.

QVÆSTIO IV.

An à futuro Theologo reqviratur TENTATIO? Aff. in Textu.

NEGATUR.

I. Tentatio non est à Deo, sed à propria concupiscentia, *Jacob. 1. 13.*

II. Nec adducit ad Deum, sed ad perditionem & desperationem, ut testatur experientia.
III. Orat aliqvis qvotidiè: Ne inducas nos in tentationem.
IV. Non competit omni & soli Theologo.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. inter tentationem probationis ad bonum, & deceptionis ad malum. De hac, non illa loqvitur Apostolus.
Ad II. Valet de deceptionis tentatione per fallaciam à Dicto secundum Qvid, qva Satanas mille artifex variis fallaciis homines aggreditur eosdemqve ad peccandum contra Deum instigat.
Ad III. Oramus (ut *Lutherus* explicat) ne à tentatione vincamur, sed ut tandem vincamus ac triumphemus.
Ad IV. Distingv. inter vocem Teologi latè ac strictè dictam. Non de hac, sed illa intelligitur objectio.

QVÆSTIO V.

An sit aliqvis usus Philosophiæ in Theologia? Aff.

I. Qvia facit ad ingenii acuitionem, qvoad didascaliam, ἔλεγχον & ἐξήγησιν.
II. Terminorum explicationem in Theoreticis & Practicis disciplinis occurrentium.
III. Qvæstionis citiorem perceptionem, & secundariam confirmationem.
IV. Expeditam adversarii refutationem.
V. Accuratam deniqve S. Scripturæ interpretationem.

NEGATUR.

I. Ab Authoritate Pauli svadentis & dicentis ad *Coloss. 2. 8: Cavete vobis à Philosophia.*
II. Contradictoriè opposita est Theologiæ, ut patet exemplis. Theologia dicit: Virginem parere, Philosophia negat. Theologia dicit, ex nihilo aliqvid fieri, Philosophia autem negat.
III. Est inimica adversus Deum, *Rom. 8. 7.*
IV. Per Philosophiam inanis redditur crux Christi *1. Cor. 1. 17. Conf. v. 19. 20.*
V. Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum *1. Cor. 3. 19.* VI. Pa-

VI. Patres rejecerunt Philosophiam, nominantes eam inventum Diaboli, ut *Clemens Romanus* & alii.

VII. Qvia est ambigua, incerta & ex parte falsa, id qvod testantur tot Philosophorum sectæ, tot discrepantes opiniones, tot pugnantes sententiæ.

RESPONDETUR.

Ad I. Esse fallac. Divisionis. Omittitur enim vox *inanis deceptio*, qvæ est explicatio vocis Philosophiæ. 2. Non intelligit Philosophiam sanam, sed vanam Pharisæorum, Sadducæorum & Essæorum, qvorum doctrina antiqvitus Philosophia fuit appellata, qvemadmodum totus contextus hoc ipsum convincit. *vide Part. 1. Syntag. Disp. 1. p. 4.*

Ad II. Esse petitionem principii. 1. Non conveniunt in uno genere. 2. Ambæ sunt positivæ. 3. Dicenda esset Philosophia falsa, & sic Deus esset Autor mendacii. 4. Non sunt de iisdem, agnoscunt objecta distincta. 5. Nec secundum idem, qvia distincta habent principia, ut ita secunda distinctio fiat inter contradictionem veram & apparentem. Hæc, non illa hîc conceditur.

Ad III. Disting. *inter Sapientiam in se & simpliciter spectatam, & sapientiam carnis.* Hæc, non illa h. l. inimica adversus Deum nominatur.

Ad IV. Distingv. *inter usum, & abusum Philosophiæ.* Per hunc, non per illum crux Christi inanis redditur.

Ad V. Distingv. *inter Philosophiæ & Sapientiæ hujus magisterium, & ministerium*; de illo loqvitur Apostolus, qvatenus nonnulli Philosophica cum mysteriis confundunt, iisdemqve Magisterium supra mysteria committunt.

Ad VI. Esse fallac. à Dicto secundum Qvid. Non Philosophiam ipsam rejecerunt Patres, sed partim adulterinos plerosqve Philosophos oppugnarunt, partim temerariam Philosophandi rationem rejecerunt, partim eos damnarunt, qvi nimium dediti erant & occupati secularibus doctrinis, spernentes interim veræ sapientiæ fructus.

Ad VII. Distingv. *inter Philosophiam, & Philosophorum opiniones.* Hæ multis absurditatibus sunt refertæ, Philosophia verò semper sibi consonat.

APPENDIX
LOCUS I. DE DEO.

QVÆSTIO. I.
Qvid de Methodo hac sit statuendum qva Author hîc utitur?

Excusari qvidem potest, sed non per omnia defendi. Respexit enim Methodum honorariam, qvâ ab objecto excellentiori initium fit: Si verò accuratam Methodum respicias, omninò defendi neqvit. Cum enim Deus sit agnoscendus & colendus, prout se in Sacra Scriptura revelavit, seqvitur maximè de principio cognoscendi, nimirum Sacra Scriptura priori loco esse agendum.

Contra

Obj. In disciplinis practicis à fine est incipiendum, non verò ab objecto. Sed Deus non est Finis Theologiæ (qvæ Practica est) sed subjectum. Ergò.

Resp: 1. Deus in Theologia consideratur non tantùm per Casus rectos, ut qvid sit Deus, sed etiam obliqvos, ut illa, qvæ Dei sunt, qvæ Deo competunt, & qvæ per Deum facta sunt, &c. & sic non tantùm est subjectum, sed etiam finis Theologiæ. Subjectum qvatenus simpliciter Deus intelligitur, finis qvatenus est colendus.

2. Ad minorem. Disciplinæ Theoreticæ & Practicæ ita nominantur non ex objecto, nec fine subordinato, sed ultimo, qvi in disciplinis Theoreticis est contemplatio, in Practicis actio. Jam ultimus finis Theologiæ est contemplatio illa Dei, qvæ in hac vita qvasi inchoatur in altera verò perficitur. Ideòqve Theoretica est nominanda Theologia, qvamvis non negemus, multa Practica in illa etiam occurrere.

QVÆTIO II.
Cur Author non definitionem Theologiæ præmiserit?

Resp. Etiam hic excusari potest, pro ipso enim idem respondemus, qvod olim *Eccio* respondebant Augustanæ Confessionis Authores. Cum enim *Eccius* objiceret, omnia hîc *ἀμεθόδως* tractari inprimis cum velint confessionem conscribere & tamen qvid illa sit non explicent, tunc illi responderunt, sibi non esse mentem, qvid sit Confes-

fessio qvoad syllabas explicare, sed Articulos Christianæ fidei proponere & dilucidare; Idem etiam hîc dicimus, Authorem scilicet nostrum voluisse saltem Articulos Christianæ doctrinæ explicare, &c. 2. Dico ex *Zaba rel. lib. de Definit.* qvod Divisiones sæpè sint explicationes definitionis, imò interdum loco ipsarum definitionum, id qvod multis ibidem ex Aristotele deducit. Cum igitur Author noster Theologiam dividit, hinc definitionem ejus vult innuere.

QVÆSTIO III.

An naturaliter notum sit esse Deum? Affirm.

in Textu.

NEGATUR.

I. *Psal. 14. 1. Dixit insipiens in corde suo? Non est Deus.*

II. *1. Cor. 1. 21. Mundus per suam stultitiam Deum non cognovit*, id est, per notitias & demonstrationes naturales, ut *Chemn. t. 1. Loc. Com. p. 22.* explicat.

III. Ab exemplo Americanorum, in qvibus certè non sunt deprehensa indicia alicujus innatæ de Deo, Deiqve cultu notitiæ.

IV. Credere dicimur, non scire Deum. Si autem naturaliter nobis notum esset, esse Deum, sciremus, non crederemus.

V. Ab exemplo Lutheri, qvi affirmavit, nunc post lapsum nos nihilo plus scire, esse Deum, qvam ipsas pecudes.

VI. Frustranea esset cœlitus patefacta doctrina, si natura notum esset, esse Deum.

VII. Scriptura *Jer. XXXI. 33. & alibi* pro singulari beneficio pollicetur inscriptionem Legis Dei, igitur abolita est, alioqvin cur denuò inscriberetur.

IIX. Si naturaliter notum esset, Deum esse, undè sæpè tantæ dubitationes, qvantas omnibus momentis pii etiam reperiunt in semetipsis?

IX. Non nisi ex patefactione Dei novimus esse Deum, *Rom. 1. 9.* Ideò naturali notitia id non scimus.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. 1. *inter negationem Dei, qvæ fit orè per dissensum*, & opere *per peccatum.* De posteriori, non priori locus intelligitur. 2. Distingv. *inter negationem Dei perpetuam & temporalem.* Hanc non illam

concedimus. 3. Fallac. esse Figur. dictionis in vocabulo אמר *dixit*, per qvod intelligitur velle, ut hic sit sensus: Optat impius, vult & desiderat, ne sit Deus, qvi facta perversa videat & vindicet.

Ad II. Disting. *inter gentiles* (qvi per mundum h.l. intelliguntur) *Philosophos s. eruditos & Idiotas.* De his, non de illis loqvitur Apostolus. 2. Distingv. inter cognitionem Dei naturalem & salutarem, Theoreticam & Practicam. Non illam, sed hanc intelligit Apostolus. 3. Distingv. inter notitiam Dei langvidam, confusam & insufficientem, & plenam, distinctam, vel sufficientem. Illam habere possumus per naturam, hanc per solam Scripturam.

Ad III. Distingv. *inter notitiæ latentiam, & absentiam;* latuit in *Americanis*, non abfuit.

Ad IV. Fallaciam oppositionis esse, & distingvendum inter articulos fidei puros propriè sic dictos, & mixtos. In illis tantùm credimus, in his & scimus & credimus.

Ad V. Distingv. 1. *inter locutionem absolutam, & comparatam.* 2. In respectu ad voluntatem Dei Evangelicam vel opus redemtionis, & sanctificationis.

Ad VI. Esse petitionem principii. Opus enim erat verbo & Doctoribus, 1. Ob notitiæ Dei naturalis imperfectionem. 2. Ob animarum renovationem. 3. Ob vitæ æternæ consecutionem.

Ad VII. Distingv. *inter inscriptionem legis*, qvæ *duplex* est: Altera non est nuda sine viribus obediendi. Altera gratiæ est practica, qvæ cum viribus benè operandi à Spiritu S. inhabitante datis conjuncta est. Illam asserit Apostolus *Rom. 2. 15.* hanc promittit Dominus, *Jerem. 31. 33.*

Ad IIX. Distingv. *inter dubitationē de Deo*, qvod *sit, & qvod gratiosè adsit;* Prior potest vix cadere in hominem, posterior frequens est, præsertim sub cruce, ubi nonnulli ambigunt de gratia Dei, non verò ejus existentia.

Ad IX. Committi ἔλεγχον æqvivocationis. Duplex enim est Dei patefactio, una gratiæ, qvæ fit per opera Creationis & naturæ opera, de qva *Paulus* loqvitur in loco allegato. Altera, patefactio specialis, qvæ fit per verbum & miracula: Prior patefactio Ethnicis tribuitur, posterior derogatur.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

An ex libro Scripturæ Deus cognosci possit? Aff.

in Textu.

NEGATUR.

I. 1. *Tim. 6.16.* dicitur, qvod *Deus inhabitet lucem inaccessam*, undè illum nullus homo viderit, nec videri possit.

II. *Joh. 1. 18. Nemo vidit Patrem nisi Filius, nemo qvoqve eum cognovit*, cum cognoscere & videre h.l. videantur esse unum.

III. Deus est incomprehensibilis.

IV. Dictis Patrum, *Damasceni* dicentis *l. 1. de orthod. fide c. 1. nulli mortalium aut visam aut notam simplicissimam illam Dei essentiam*, cum *sibi sola nota Trinitas sit*, creaturam autem nullam, ne Angelicam qvidem intellectum ejus assеqvi; & aliorum.

V. Exemplo Atheorum, Turcarum, &c. respuentium Scripturam S. & tamen cognoscentium.

RESPONDETUR.

Ad I. Deus *dupliciter intelligitur*, seu *consideratur, vel* ut *est in sinu essentiæ suæ*; sic dicitur habitare in luce inaccessibili; vel *ut se revelavit in verbo suo*, ex qvo verè cognosci possit & potest.

Ad II. Distingv. *inter visionem à priori, & à posteriori*; De illa, non hac loqvitur Christus. 2. Fallacia est divisionis; additur enim statim: & cui Filius revelavit.

Ad III. Distingv. est *inter cognitionem & comprehensionem*; cognosci qvidem, Deus potest, non comprehendi. Id enim propriè comprehenditur, cujus nihil est extra.

Ad IV. Distingv. *inter Dei notitiam in suo genere perfectam, & omnibus numeris absolutam*. Non de illa, sed de hac *Damasc.* & alii PP. loqvuntur.

Ad V. 1. Est fallacia accidentis. 2. *Distingv. inter jus & factum.* 3. *Inter cognitionem Dei confusam & distinctam*: Illam extra Scripturam, non verò hanc habere possumus.

QVÆSTIO V.

An Deus possit definiri?

NEGATUR.

I. Authoritate Scripturæ, *Exod. 33. 20: Non poteris videre faciem meam*, h.e. imperscrutabilem essentiam in eo videre.

II. Qvia

II. Qvia Deus est in nullo prædicamento, & ita neqve genus accuratum, neqve differentia ejusdem dari potest.

III. Qvia Deus est simplicissimus ut definitionem non admittat, qvæ qvippe est compositorum.

IV. Accedunt testimonia Patrum benè multa, qvæ legi possunt apud *Chemnitium part. i. Loc. Comm. p. 26.*

AFFIRMATUR.

I. Qvia definitio est oratio juxta Philosophos, qvæ qvid res sit, explicat. Qvalis verò res sit Deus, cognoscitur ex Scriptura.

II. Patet ex definitione *Hafenrefferi* & aliorum.

III. Ab absurdo. Ita enim nobis in hac vita constare non posset qvid Deus esset.

IV. Datur in definitione *Hafenrefferi* verum genus, videlicet Spiritus. E.

RESPONDETUR.

Ad I. Esse fallaciam à dicto secundum qvid &c. Qvid sit Deus, non tantùm ex accurata definitione, sed etiam descriptione haberi potest.

Ad II. Distingv. *inter definitionem perfectam & qvalemcunq; descriptionem.* Descriptio est qvaliscunqve Autoris nostri, non autem perfecta definitio, uti seipsum explicat in subseqventibus.

Ad III. Esse fallaciam à dicto secundum qvid &c. Potest enim ex descriptione qvoqve constare, etiamsi non adsit perfecta & accurata definitio, Qvid sit Deus?

Ad IV. Distingv. *inter genus adæqvatum & analogicum.* Non illud sed hoc adhibetur in definitione Dei. Competit enim uni primariò & alteri secundariò.

QVÆSTIO VI.

An Deus sit Spiritus? Aff. in Textu.

NEGATUR.

I. Qvicqvid est, oportet habere causam producentem, nihil enim sit sine causa.

II. De Deo prædicatur differentia temporis, qvod fuerit, qvod sit & qvod futurus sit.

III. Deus morti obnoxius est *Ezech. 18. 32. Si vivo, nolo mortem peccatoris.*

IV. Mu-

IV. Mutabilis, *Job. 30. 21. Mutatus est mihi in crudelem.*

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter Creaturas & Creatorem*; de iis, non de hoc valet objectio.

Ad II. Esse fallaciam causæ. De Deo enim differentia temporis prædicatur, non ac si tempore efficiatur, vel tempori subjaceat, sed fit ad captum nostrum; tempore enim non mensuratur temporis Creator.

Ad III. Distingv. *inter locutionem categoricam & hypotheticam.* Non categoricè, sed hypotheticè loqvitur Deus: *Si Vivo*, &c. 2. In textu Hebraico, verba prorsus aliter habent; inspice textum, & res erit clara.

Ad IV. Respondet *Lyra*, qvod non tam mutatio sit facta *in qvalitate judicis, qvàm mente patientis*, cujus respectu dicitur mutatus.

QVÆSTIO VII.

An Deus sit infinitus? Affirm. in Textu.

NEGATUR.

I. Qvia Deus ratione substantiæ suæ tantùm est in cœlis, s. cœlesti Paradiso, qvi propriè domus & locus & habitaculum illius in Scripturis dicitur.

II. Videbitur olim à nobis à facie ad faciem, *1. Joh. 3. 2.*

III. Scriptura Sacra Deum nullibi absolutè & simpliciter infinitum appellat.

IV. Majestas Dei postulare videtur, ut substantiam suam ab his terrenis abstractam habeat, qvæ aliàs ut pars immiscerctur. Indignum autem Deo est, in antro formicæ, aut locis sordidis totâ essentiâ suâ adesse.

V. Omne qvod actu est, hoc aliqvid est in seipso finitum, & certum aliqvod Entis genus qvasi contractum est.

VI. Si Deus infinitus, seqvitur, Deum infinitum esse extensum.

VII. Nihil in natura potest esse infinitum. E. neqve Deus.

IIX. Angeli & Beati Deum vident. E. non erit infinitus, *Matth. 8. 10.*

RESPONDETUR.

Ad I. *Aliud esse, qvod Deus sit in cœlo, aliud verò qvod tantùm sit in cœlo.* Hoc enim scriptum nullibi legimus.

Ad II. Distingv. *inter visionem corporalem, & cognitionem in suo genere perfectam.* Hæc non illa hîc locum habet.

Ad III. Distingv. *inter vocis alicujus apices, & dictiones æqvipollentes.* ῥητῶς qvidem Scriptura non dicit: Deus est simpliciter infinitus, utitur tamen particulis æqvipollentibus *Ps. 145. 3.*

Ad IV. Esse petit. principii & causæ. Deus enim adest essentiâ suâ in omnibus creaturis, non ut ab eis contineatur, afficiatur & inqvinetur, sed potius ut conservet, & contineat tanqvam suprema causa in suis effectis, tanqvam Creator & Conservator in rebus creatis ad conservandum.

Ad V. Esse fallaciam æqvivocationis. Infinitum Græcè dicitur ἀόριστον, & sic opponitur definito, vel dicitur ἄπειρον & sic opponitur finito; priori modo largimur contradictorium esse ἀόριστον, & hoc aliqvid esse, posteriori modo negamus.

Ad VI. Distingv. *inter infinitam extensionem, vel qvantitatem molis, & essentiam vel perfectionem.* Non illo, sed hoc modo Deus infinitus est.

Ad VII. Esse fallaciam causæ. Qvæ enim hîc adducitur causa, nulla est. Cur non eâdem ratione inferri potest: Creatura non creavit cœlum & terram. E. neqve Creator Deus.

Ad IIX. Distingv. *inter visionem, & comprehensionem.* Angeli & Beati qvidem vident Deum, sed non comprehendunt.

QVÆSTIO VIII.

An Deus sit verax? Affirm. in Textu.

NEGATUR.

I. Dicitur Deum pœnituisse, qvod fecerit homines, *Gen. 6. 6.*

II. Deus multa prædixit, qvæ non servavit, ut Ninivitarum exempla testantur *Jon. 1.*

III. Voluntas est naturâ suâ mutabilis, E. & Deus.

VI. Deus aliqvid jubet, qvod posteà retardat, ut videre est in immolatione filii Abrahami, *Gen. 22. 12.* ut videatur potius contrarium voluisse.

V. Deus promissiones corporales non semper exeqvitur, qvia pios videmus maximas calamitates contingere, qvibus tamen ille maxima promisit bona.

RESPONDETUR.

Ad I. Pœnitentia Deo non tribuitur propriè, sed Metaphoricè, non secun-

secundùm affectum, sed (vide uberiorem explicationem harum vocum affectivè & effectivè in qvæst. 2. resp. 2.) effectum, ut loqvuntur. Internus enim dolor in Deo non est, ideò nec propriè pœnitentia.

Ad II. Distingv. *inter prædictiones Dei absolutas & conditionales.* Hæ si non semper eveniant, non est causa voluntatis divinæ mutatio, sed nuda conditionis impletio.

Ad III. Distingv. inter voluntatem Dei & hominum. Non illa, sed hæc multis de causis mutabilis est.

Ad IV. Distingv. *inter hypocrisin, & paternam simulationem.* Hæc, non illa de Deo affirmari potest. 2. Fallacia est causæ, simulat enim ut juvet, non ut perdat, aut destruat.

Ad V. Distingv. *inter promissiones corporales*, qvibus addita est conditio, s. exceptio crucis & castigationis, *& spirituales ac æternas*; Illæ, non hæ sunt mutabiles.

QVÆSTIO IX.

An Deus sit misericors? Aff. in Textu.

NEGATUR.

I. Misericordia est accidens, qvod in Deum non cadit.

II. Deus est Deus ultionum, *Ps. 94. 1.*

III. Non competit Deo testari de alterius malis, qvod misericordiæ proprium est.

IV. Natura boni (misericordiæ) est nemini immittere mala, Deus autem immittit bella, famem &c. qvæ omnia sunt mala.

V. Deus dicit, *miserebor cujus miserebor Rom. 9. 15.* E. ergà qvosdam tantummodò misericors est.

RESPONDETUR.

Ad I. Misericordia consideratur vel in hominibus, vel in Deo. In illis, non in hoc considerata, est accidens.

Ad II. Esse fallaciam à dicto secundum qvid. Ultionum enim Deus est adversus pertinaces & perversos homines, non verò contritos & humiles.

Ad III. Distingv. *inter affectum & effectum.* Licet non ratione illius (scilicet affectus) misericordia Deo competat, effectus tamen, qvi est malum & miseriam alicujus depellere, omninò Deo competit.

Ad IV. Distingv. *inter malum culpæ, & pœnæ.* Qvod enim pœnas immittit interdum, non fit studio perdendi, sed juvandi.

Ad V. Distingv. *inter ipsam propensionem* ad misericordiam, *& actum commiserationis ipsum*, de qvo dictum loqvitur.

QVÆSTIO X.

An Deus sit justus? Aff. in Textu.

NEGATUR.

I. Qvia malis in hac vita benè esse permittit, ut crescant instar lauri, ut Psalmista ait *Ps.* 37. 35.

II. Sinit bonis esse malè, qvibus varias immittit calamitates.

III. Dicit se visitaturum iniqvitatem Patrum in filios in tertiam, & qvartam generationem, *Exod. 20. 5.* qvod est contra omnem justitiam.

IV. Non servat æqvalitatem in puniendo: inæqvaliter enim punit Diabolum peccantem, & genus humanum lapsum.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. 1. *inter benè esse interius, & exterius.* Prius de malis negatur. 2. Nec omnibus malis benè est. 3 Nec semper. 4. Qvod malis benè est, magis obest qvàm prodest.

Ad II. Distingv. inter bona bonorum hominum externa & interna. Illorum, non horum respectu illis malè est. 2. Nec omnibus bonis malè est. 3. Nec perpetuò. 4. Qvod illis malè sit, bono ipsis est, ut ex variis crucis calamitatibus notum est.

Ad III. Distingv. inter filios parentum suorum peccata seqventes, & ab iis desistentes. Non hos, sed illos Deus punit. 2. Inter pœnas temporales, & æternas. Illis, non his Deus justo consilio suo interdum liberos propter peccata parentum castigat.

Ad IV. Justus æqvalitatem servat in puniendo, si adest æqvalitas delictorum, qvæ h. l. non datur.

QVÆSTIO XI.

An Deus sit omnipotens? Aff. in Textu.

NEGATUR.

I. Impossibile est, Deum mentiri, *Hebr. 6. 18. 19.* Cui addit *Plato* mori. Sic factum infectum reddere neqvit. E. non est omnipotens.

II. Non potest vi divinæ justitiæ suæ damnatos ex inferno liberare.

III. Po-

III. Potentia ejus non extendit se ad impossibilia.
IV. Vincitur à Jacobo, ut diceret: *Sine me, & absiste, Genes. 32. 26.*

RESPONDETUR.

Ad I. Disting. *inter id, qvod est potentiæ, & impotentiæ.* Impotentiæ tribuitur mentiri, est enim non posse veritatem dicere.

Ad II. Distingv. *inter potentiam Dei absolutam, & ordinatam.* Illâ, non hâc eos liberare potest.

Ad III. Fallaciam esse secundum non causam. Nam potentia Dei non extendit se ad impossibilia, qvæ non vult, tanqvam naturæ suæ contraria, qvemadmodum est, factum infectum reddere. Hoc enim factum infectum fieri neqvit, non est ita accipiendum, qvasi illud, qvod factum est, non possit rursus destrui, aut qvod destructum est, non possit rursus refici; in sensu namqve hoc falsum est: Sed ita est intelligendum, qvod factum est, illud ipsum non potest esse non factum. Exempli gratia, Si culter frangatur, potest qvidem culter refici, sed hoc fieri non potest, ut culter ille postqvam fractus est, non sit fractus: Sic enim esset simul fractus & non fractus, qvod implicat contradictionem.

Ad IV. Vinci illud non fuit necessitatis & infirmitatis, sed liberæ voluntatis.

QVÆSTIO XII.

An Deus sit sapiens & omniscius? Aff. in Textu.

NEGATUR.

I. Ubicunq; objectum scibile non est infinitum, ibi etiam ipsa scientia non est infinita, siqvidē scientia est rei scibilis scientia. Sed verum est prius, qvippe omnes res, qvæ à Deo creatæ sunt, & qvas Deus novit, sunt finitæ. E. etiam scientia Dei non videtur esse infinita
II. Deus haud rarò alicujus obliviscitur, *Es. 49. 14. Mich. 7. 19.*
III. Non habet scientiam non-Entium.
IV. *Ps. 72. 11.* dicitur, *qvomodò scit Deus, etsi est scientia in excelso?*
V. Patet exemplo: Deus scivit, mundum esse creandum, anteqvam creatus fuit, jam verò non scit eum esse creandum, sed creatum, E. non scit omnia.
VI. Non est sapientis, pœnitentiâ alicujus rei capi. Non enim est sapientis dicere, *non putaram.*

VII. A qvocunqve aliqvid qværitur, is non est omniscius. De Deo verum est prius. E. & posterius.

IIX. Tribuitur sapientia etiam aliis creaturis. E. Deo non est propria.

RESPONDETUR.

Ad I. Negando Minorem propositionem, propterea, qvod non solus Deus res creatas, sed etiã semetipsum perfectissimè novit & intelligit. Licet igitur res creatæ non sint infinitæ, tamen ipse est infinitus atq; sic omninò datur objectum scibile infinitum. Dicitur etiã scientia Dei infinita, qvod à nullo objecto scibili terminetur, vel terminari potest. Non tantùm enim scientia Dei omnia, qvæ sunt, sed etiam qvæ futura sunt, exactè novit. Qvapropter & hoc respectu scientia Dei meritò immensa & infinita dicitur.

Ad II. Distingv. *inter locutionem propriam & metaphoricam*, qvalis hæc est. Dicitur enim oblivio de Deo metaphoricè, & intelligitur, qvod aliqvid non curet, vel non faciat. Dictum Prophetæ *Mich.* apud qvem Deus dicitur obliviscì iniqvitatum nostrarum, qvod attinet, fit hoc non affectivè, sed effectivè, h. e. non qvasi Deus aliqvid nescire incipiat, sed qvia pœnas peccatorum non immittit, atqve sic effectus peccatorum non seqvitur. Itaqve phrasis illa: *Deum oblivisci peccatorum nostrorum*, sensui æqvipollet isti: Deum non punire peccata nostra.

Ad III. Non-entia sunt duplicia. Qvædam absolutè & simpliciter sunt talia, qvæ nec actu nec potentia sunt orta. Qvædam verò secundum qvid sunt talia, qvæ cum actu non sunt, tamen vel olim extiterunt, vel fieri possunt. Ad hanc, non illam Non-entium cognitionem omninò sapientia Dei se extendit.

Ad IV. Distingv. *inter locutionem propriam & mimeticam*: Per μίμησιν in Psalmo Atheorum mores h.m. exprimuntur.

Ad V. Distingv. *inter Dei scientiam in se consideratam, & ejus objectum.* Illa est & manet immutabilis, hoc verò potest mutari.

Ad VI. Pœnitentia tribuitur Deo impropriè, non propriè, velut *B. Lutherus* loqvitur, & hunc locum explicat, *formulas sc. ejusdem Deo tribui, non qvod Deus sic loqvatur, sed qvia tales sunt cogitationes & affectus eorum, qvi in ministerio versantur.*

Ad VII. Negando majorem: Qvia interrogatio non ignorantiam rei præ-

præsupponit, sed sæpissimè propterea instituitur, ut homines propriâ confessione fortius arguantur, & convincantur.

Ad IIX. Distingv. *inter sapientiam originaliter*, vel essentialiter & participativè, seu accidentaliter consideratam. Illo modo soli Deo, hocce verò etiam creaturis tribuitur.

QVÆSTIO XIII.

An Deus sit ubiqve præsens? Aff. in Textu.

NEGATUR.

I. Deus dicitur in Scripturis descendere & venire, *Gen. 11. 7.*

II. Deus habitat in cœlo *Ps. 2. 4.* Cœlum solium ipsius *Ps. 113. 6.*

III. Deus esset extensus & magnus.

IV. Deum esse in hoc vel illo, in antro Scarabæi, aut lapide unius pili (ut *Vorstius* loqvitur) est ampliſſimam Dei essentiam in angustam cogere, & ex maximo & immenso Deo minimum & pusillum efficere.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter locutionem propriè dictam & metaphoricam.* Qvando Deo in Scripturis tribuitur motus qvidam localis, significatur singulare opus, qvod eo loco se manifestavit.

Ad II. Deus habitat qvidem in cœlo, sed non tantùm in cœlis dicitur esse. 2. Esse fallaciam causæ, qvia in illis locis suam potentiam & majestatem exerit.

Ad III. Distingv. *inter magnitudinem molis, & perfectionis, seu virtutis.* Hâc, non illâ dicitur Deus magnus & consequenter nullo modo extensus est.

Ad IV. Confundi præsentiam localem, & circumscriptam cum illocali, & incircumscripta. Deus est in qvalibet re minima, intus tamen ita, ut sit & extra eam.

QVÆSTIO XIV.

An Deus sit unus? Aff. in Textu Ex *Devt. 6. 4.*

NEGATUR.

I. Trinus est. E. non unus.

II. Sunt Dii multi in cœlo & in terra. *1. Cor. 8. 5.*

III. Deus neqve unus est in genere, neqve in specie. E. planè non est unus.

RESPON-

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter unitatem essentiæ & unitatem personarum*; illo, non hoc modo Deus dicitur unus.

Ad II. Esse fallaciam æqvivocationis. Dicuntur 1. Angeli dii (α) propter officiũ, qvod in defendendis piis sustinent. (β) Comparatè respectu nostri, qvoad dignitatem naturæ, qvâ nos longè antecellunt. 2. Magistratus dicuntur dii *Ps* 82.7. propter officium, qvod vice Dei in terris administrant. 3. Diaboli appellantur dii, 2. *Cor* 4. 4. sed hujus seculi, ob potentiam, qvam habent in filios incredulitatis. Deus autem verè, & propriè dicitur Deus.

Ad III. Esse insufficientem enumerationem. Datur enim adhuc numero unum, qvemadmodum Deus.

QVÆSTIO. XV.

An Deus sit trinus in personis? Aff. in Textu.

NEGATUR.

I. Vocabulum Trinitatis non legitur in Scripturis.

II. Est contradictio, Deum unum esse trinum.

III. Ab absurdo. Seqveretur enim, dari qvoqve tres essentias. Nam qvot sunt personæ, tot sunt essentiæ.

IV. Deus esset compositus ex tribus.

V. Daretur numerus in Deo, ac ideò in Deum caderet accidens.

VI. Dantur qvatuor relationes, generare & generari, spirare & spirari; E. qvatuor sunt personæ.

RESPONDETUR.

Ad I. Disting *inter vocabulum TRINITATIS explicitè, qvoad literarum apices, & implicitè qvoad sensum consideratum.* Non illo, sed hoc modo intelligendum venit, & in scriptura habetur. 2. Vocabulum in concreto & abstracto confunditur. Vocabulum enim TRES in concreto habetur, 1. *Joh.* 5.7. Adde, qvod vocabulum TRINITATIS adhibeamus, non qvia Scriptura dicit, sed qvia non contradicit.

Ad II. Distingv. *inter contradictionem veram, & apparentem.* Videtur qvidem non verò est contradictio, cum non fiat eodem modo & respectu.

Ad III. Distingv. *inter personas creatas & increatas*; de iis, non his valet objectio.

Ad IV. Distingv. *inter Trinum & triplex.* Hoc diciur compositum ex tri-

tribus. Illud verò unum & idem essentia, tres verò habens existendi modos.

Ad V. Esse petitionem principii. Trinitas enim h. l. propriè dicendo non est ternarius numerus, sed significat nihil aliud, qvàm trium suppositorum unitatem essentialem juxta Etymologiam vocabuli.

Ad VI. Limitanda est propositio: Qvot sunt relationes realiter oppositæ & cuilibet personæ propriæ, tot sunt personæ. Spiratio verò competit & Patri & Filio. E. non est talis relatio.

QVÆSTIO XVI.

An Spiritus S. sit verus Deus? Affirm. in Textu.

NEGATUR.

I. Non est æternus, *nondum enim erat Spiritus Sanctus, Joh. 7. 39.*

II. Datur, tollitur, distribuitur, qvod de Deo vero affirmari non potest.

III. Gemit pro nobis, *Rom. 8. 26.*

IV. Contristatur per obscœna verba, *Eph. 4. 30.* qvales perturbationes in Deum non cadunt.

V. In Symbolo Apostolico solus Pater dicitur verus Deus, E. non Filius, vel Spiritus S.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter Spiritûs S. essentiam & visibilem ejus effusionem*, factam in die Pentecostes. Non de illa, sed de hac loqvitur Apostolus.

Ad II. Distingv. *inter Spiritûs S. personam, & dona.* De his intelligitur objectio.

Ad III. Distingv. *inter affectum, & effectum.* Tunc enim ingemiscit pro nobis, qvoniam pios gemitus & suspiria ad Deum immittit nobis, & preces nostras serias & ardentes reddit.

Ad IV. Distingv. *inter locutionem propriam, & impropriam seu figuratam.* Impropriè enim hæc πάθη de Spiritu S. dicuntur.

Ad V. Aliud est proponere & docere aliqvid explicitè & κατὰ λέξιν, aliud verò implicitè & κατὰ διάνοιαν. Qvod neutro verò modo dicatur in Symbolo Apostolico, illud meritò suspectum esse debet. 2. Vox Dei sumitur dupliciter: Personaliter & essentialiter. Non illo modo, sed hoc in Symbolo Apostolico usurpatur.

APPENDIX

LOCUS II. DE CREATIONE.

QVÆSTIO I.

An omnia, vel omnes res positivæ subsistentes à Deo ad mundi integritatem sextiduo sint productæ?

Aff. in Textu.

NEGATUR.

I. Qvia iris vel arcus cœlestis post diluvium primum est conditus.

II. Qvia corpora à Filio Dei & Angelis assumpta in V. & N.T. de novo qvoqve sunt producta.

III. Anima qvoqve Christi, qvam generatam seu propagatam vix dicemus, cum absqve virili semine Christus ipse sit conceptus & natus, huc pertinere videtur.

IV. Tribuli etiam post lapsum è terra geniti & producti sunt, ut docet Moses, *Gen. 3. 18.*

V. Insecta itidem creata non leguntur.

VI. Venenata & noxia non commodè sub creationis censum venire posse videntur, cum omnia opera Dei sextiduo creata, fuerint valdè bona.

VII. Deus mortem & peccatum non fecit.

RESPONDETUR.

Ad I. Dubium est, annon Iris etiam fuerit ante diluvium, qvæ post diluvium novum tantùm significandi officium accepit. Vel posito, iridem non fuisse, nihil tamen efficitur contra qvæstionem. Non enim iris fuit substantia, sed accidens. Est itaqve ἑτεροζήτησις.

Ad II. Corpora à filio Dei & Angelis assumpta de novo producta & creata fuisse pleriqve negant, cum vel potuerint assumi mortuorum hominum corpora, vel ex aëre qvoqve condensari, inq; aërem resolvi, ut itaqve sit petitio principii. Addo, nil absurdi esse, si creata dicamus: Deus enim qvievit tantùm ab ordinariarum specierum creatione.

Ad. III. Anima Christi miraculosè qvidem fuit producta, non tamen ex nihilo, sed ab animæ ipsius materia, sicuti Evæ anima ab Adamo.

Ad IV. Distingv. *inter rem, & rei qvalitatem.* Hæc, non illa post lapsum mutata est.

Ad V. Esse fallaciam à dicto secundum qvid, &c. Multa enim insecta propa-

propagatione crescunt. 2. Dubium est adhuc, annon & illa, qvæ nobis ex putredine nasci videntur, ex semine nobis qvodam occulto regenerentur, & Tertiò licet non actu fuerint insecta, fuerunt tamen in causis suis. 4. Deniqve pleraqve fuerunt lapsus consequens, seu pœna, & sic in mundo corrupto producta.

Ad VI. Distingv. *inter rem qvoad essentiam vel in se spectatam, & ratione accidentium.* Illâ, non hâc ratione omnia bona sunt. 2. Inter gradus bonitatis. Qvædam enim majori, qvædam minori bonitate sunt prædita. 3. Inter usum indefinitum, & determinatum. Qvamvis enim non omnia hominibus prosint, aliis tamen prodesse possunt. 4. Inter causam per se, & per accidens. Diaboli enim malitiâ hæcce mala sunt producta initio, non Dei voluntate. 5. Inter usum & abusum. Terra, inqvit *Plinius lib. 6. c. 63.* nobis remedium genuit, nos illud vitæ fecimus venenum.

Ad VII. Distingv. *inter Ens, & non-ens.* Peccatum & mors sunt entia privativa, de qvibus qvæstio nostra non loqvitur.

QVÆSTIO II.

Utrum Deus mundum ex nihilo creaverit?

Affirm. in Textu.

NEGATUR.

I. Mundi materiam corpora naturalia sensibilia statuunt Philosophi.

II. Ex nihilo nihil fit.

III. Qvicqvid fit ex nihilo, materiæ propriè est expers.

IV. Scriptura Canonica nuspiam dicit mundum ex nihilo esse creatum.

V. Omnis mutatio est in aliqvo subjecto E. & creatio.

VI. Impossibile, infinitam distantiam pertransire. Atqvi inter ens & non-ens (nihil) infinita est distantia E.

VII. Mundus ex rudi & indigesta mole est creatus.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter mundum constituendum, & constitutum.* Non illius, sed hujus materia corpora sunt sensibilia naturalia.

Ad II. Distingv. *inter rei productionem naturalem, & supernaturalem.* Naturaliter ex nihilo nihil fit.

Ad III. Esse petitionem principii, cum Creatio sit productio entis ex non-ente, corporis ex non-corpore, machinæ ex non-machina.

Ad IV. Distingv. *inter mentionem alicujus rei implicitam, & explicitam.* Non hoc, illo tamen modo habetur in libris Canonicis. 2. Licet non eadem verba, æqvipollentia tamen in iis habentur, *Rom. 4, 17. Ebr. 11. 3.*

Ad V. Negando creationem esse mutationem, nisi secundum modum intelligendi. In creatione enim immediata non potest accipi aliqvid idem aliter se habens, non etiam prius, ut in motu fit, nisi secundum intellectum duntaxat.

Ad VI. Distingv. *inter potentiam creatam & increatam, naturæ & Dei.* Illius, non hujus ratione est impossibile.

Ad VII. Confundi creationem mediatam, & immediatam; de illa, non hac loqvitur objectio. Dicitur enim mundus à Deo creatus ex nihilo, non qvod omnes partes immediatè sint ex nihilo productæ, sed qvod illud, ex qvo creatura est producta, ex nihilo immediatè est creatum.

QVÆSTIO III.

An mundus initium habuerit, an verò sit æternus?

Affirm. prius in textu.

NEGATUR.

I. Si motus aliqvando cœpit, per alium motum necesse est cœperit. E. qvi primus dicitur, non est primus motus, ideòq; nullus primus.

II. Deus & natura amant ordinem & proportionem. At in finito tempore non fuisse motum, deindè verò cœpisse, caret proportione. Infiniti enim ad finitum nulla est proportio.

III. Si Deus non semper actu fuit causa efficiens mundi, aliqvando cœpit esse causa, & ita non simpliciter est immutabilis, qvod absurdum.

IV. Natura facit id, qvod est optimum, melius autem est esse, qvàm non.

V. Omne bonum est communicativum sui. Deus ab æterno est, & fuit bonus. E.

VI. Si Deus ab æterno mundum non fecit, fuit otiosus ab æterno. Hoc autem non est dicendum.

VII. Deus mundum hunc ab æterno condere aut voluit, & non potuit

tuit, & sic non est omnipotens: Aut potuit, & non voluit, & sic fuit invidus, neutrum de hoc affirmari potest.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter generationem, & creationem.* De illâ, non hac procedit propositio.

Ad II. Deus (1) naturæ legibus non alligatur. (2) Finiti non est proportio ad infinitum physicè, in divinis verò & supernaturalibus talem propositionem efficere potest.

Ad III. Distingv. *inter mutationem factam in Creatione, & Creaturis.* Non in illa, sed in his ob creationem facta fuit mutatio.

Ad IV. Distingv. *inter opera solius naturæ, & simul Dei liberè agentis*; qvi scivit convenientius esse mundum cœpisse, qvàm non cœpisse.

Ad V. Omne bonum est (1) communicativum sui, sed liberè. (2) Distingv. inter communicans, & communicativum, qvod propendet ad communicandum, licet non semper actu communicet, qvod posterius de Deo affirmatur.

Ad VI. Distingv. *inter actus Dei externos, & internos.* Hi enim (ut operationes personales) æterni fuerunt.

Ad VII. Esse fallaciam causæ. Non voluisse Deum ab æternitate mundum condere ob invidiam, falsum est. Sapientiæ ipsi⁹ summo consilio hoc reliqvendum est. Deus ergò non necessitate agit, nec ulli⁹ rei indiget, sed in seipso beatus est.

QVÆSTIO IV.

Annon omnia à Deo creata sint bona & utilia?

Affirm. in textu.

NEGATUR.

I. Appetitus Evæ à Deo creatus maximè malus fuit.

II. Diabolus est malus, uti vocatur, & tamen à Deo creatus.

III. Venenata animalia, qvæ magis obsunt, qvàm prosunt, & mala & noxia sunt.

IV. Si omnia bona, utiqve & peccatum bonum erit.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter appetitum, & appetitûs abusum*; ille bonus, hic verò malus fuit.

Ad II. Distingv. *inter Diabolum, qvatenus Diabolus est, & à Deo defecit, & qvatenus adhuc est essentia spiritualis.* Non hoc, sed illo modo malus est.

Ad III. Distingv. *inter venenatorum animalium essentiam & accidentia*; qvoad illam minimè noxia sunt.

Ad IV. Omnia intelliguntur Entia positiva, non privativa, qvale est peccatum.

QVÆSTIO V.

An omnia in mundo entia creata, propter hominem sint creata? Affirm. in Textu.

NEGATUR.

I. Ab animalibus indomitis, à qvibus homo damnum magis reportat, qvàm utilitatem, ut sunt Leones, Balenæ.

II. Omnia sunt condita propter gloriam Dei.

III. Nec animalcula despecta, ut culices & muscæ homini in utiiitatem cedunt.

IV. Nec res venenatæ in plantis mineralibus, &c.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. inter usum verum ante, & post lapsum. Ante lapsum indomita animalia ad ministerium homini fuerunt subjectissima, qvantumvis adhuc qvoqve subjecta esse cogantur per varia artificia.

Ad II. Distingv. *inter finem ultimum, & subordinatum.* Gloria Dei est finis creaturarum ultimus, hominum utilitas subordinatus

Ad III. Distingvendum *inter creaturas hominum usui immediatè & manifestè servientes*, ut oves, boves, &c. mediatè vel obscurè, qvæ aliis nobis inservientibus inserviunt, ut culices & muscæ, sine qvibus hierundines aliæqve aves, qvæ nobis prosunt, vivere vix, vel non possunt.

Ad IV. Noxia videntur earum usum ignoranti. Sicuti verò & Sapienti prosunt ferè omnes, si non alibi, tamen in medicina, in qva habent manifestum usum.

QVÆSTIO VI.

An aqvæ super cœlestes sint à Deo creatæ?

AFFIRMATUR.

I. A manifesta descriptione Mosaica, *Gen. 1.7.*

II. Dei sapientia & potentia, qvi jussit discerni aqvas interjecto medio firmamento.

III Com-

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027629733/phys_0092
Mecklenburg Vorpommern

III. Communi Theologorum sententia, qvi cataractas cœli, qvas Moses jussu & virtute Dei apertas fuisse memorat, non alias fuisse statuunt, qvam has ipsas aqvas, *Gen. 7. 11.*

IV. Testimoniis Doctorum Ecclesiæ, *Augustini, Lutheri* & aliorum.

NEGATUR.

I. A natura aqvæ, qvam, cum sit corpus grave non sursum, contra naturæ ordinem, sed deorsum tendere, ac commorari necessum est.

II. Essent ibi frustrà, & nullus earum usus. Deus autem & natura nil faciunt frustrà.

III. Phraseos proprietate. In Hebræo enim habetur *desuper expansum.* E. qvædam pars elevata est super infimam aëris regionem, qvædam depressa est infra eam.

IV. Scripturæ dictis *Job. 26. 8. Ps. 148. 4.*

V. Authoritate *Augustini l. 2. c. 4. de Genesi. Zanchii* & aliorum.

RESPONDETUR.

Ad I. Esse petitionem principii concludendo à cursu naturæ ad creationem, cujus planè singularis & particularis est ratio.

Ad II. Distingvend. *inter finem proprium & communem.* Communis, qvod nimirum cadat in materiam laudis divinæ, *Ps. 148. 4.* exprimitur (2) A nostra ignorantia ad rei negationem, N.V.C.

Ad III. Invertendum est, Si enim Phrasis Ebraica habet desuper (meal) *expansum*, jam expansum est ipsissimum cœlum stellatum, & omninò desuper illas aqvas esse constitutas dicendum.

Ad IV. Dictum allegatum nihil probat. Nihil aliud enim nisi potentia Dei monstratur; nihil enim de aqvis transcœlestibus habet.

Ad V. *Zanchii* Authoritatem flocci facimus; *Augustinum* qvod attinet, ille planè contrarium statuit, uti patet. *tom. 3. l. 2. de Gen. c. 4.*

LOCUS III. DE PROVIDENTIA DEI.

QVÆSTIO I.

An sit Providentia divina? Aff. in Textu.

NEGATUR.

I. Scripturæ testimonio *Ps. 72. 11. qvomodo scit Deus, etsi est scientia in excelso.*

II. Ab

II. Ab inconstantia tempestatum, qvod nubes & venti, nix sine ordine tumultuari, & fortuitis motibus volvi videntur.

III. Si esset providentia, bonis benè, & malis malè esse deberet, qvod non fit. E.

IV. Ordo naturæ non servatur integer, nec patet ex actionibus Dei plurimis, *Jos. 10. 13.* ubi sol stetit, & aliis locis.

V. Mera est confusio in mundo, qvod potissimum videre est in relationibus aliundè ad nos allatis.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter locutionem simplicem, & mimeticam.* Epicuræos imitatur Psaltes, qvi in ejusmodi verba erumpere consveverunt.

Ad II. Distingv. *inter Dei sapientiam, & scientiam.* Tempestatum enim est sapientissima ordinatio. Nam *ignis, grando, nix, glacies faciunt verbum Dei, Ps. 148. 8.*

Ad III. Hæc objectio supra est soluta. Hoc loco illud *Augustini* tantùm *de ordine c. 1.* adjicimus: *Qvemadmodum in officina fabri ferrarii alia instrumenta vides adunca, alia inflexa, alia incisa, alia incurvata, nec tamen noveris omnia, sed fatearis potius, usum illorum tibi esse incognitum: Ita honorem, fas est, illum Deo tribui, cum animadvertimus, impios secundis rebus florere. Providentiæ divinæ instrumenta esse agnoscimus, qvanqvam qvid de illis facturus sit Deus, nondum nobis constat.*

Ad IV. Distingv. *inter actiones Dei communes, & singulares.* De his, qvæ ordinem naturæ non invertunt, non de illis loqvitur objectio.

Ad V. Distingv. *inter confusionem veram & apparentem*; apparet qvidem nobis, omnia esse confusa, sed verè non sunt. Dei enim providentia gubernat omnia, ut loqvitur *Liber sapientiæ.*

QVÆSTIO II.

An Providentia divina versetur circa res omnes conditas? Affirmatur.

NEGATUR.

I. Dicto *Jobi. 22. 14*: *Circà cardines cœli perambulat, nec nostra considerat, dum corpora cœlestia curat.*

II. Non versatur circà liberum arbitrium, qvod aliàs tolleretur.

III. *1. Cor. 9. 9.* dicitur: *Numqvid Deo de bobus cura est?*

IV. Non versatur circa res necessarias, qvæ aliter se habere non possunt,

sunt, qvæ si à Providentia divina disponerentur, certè aliter se interdum haberent. Proindè asserto tali vel serie causarum harum immutabili, nulla amplius erit providentia, qvæ circa eas versari possit.

V. Neqve circa res contingentes, & fortuitas, qvæ fluxo magis ac vago cursui, qvàm providentiæ divinæ subjectæ esse videntur.

VI. Neqve circa actiones malas, qvippe qvas providentia divina detestatur.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter locutionem simplicem, & Ironicam.* Ironica est apud *Jobum* locutio, qvâ non providentia divina negatur, sed impiorum securitas, & contumelioſæ in Deum locutiones exprimuntur.

Ad II. Distingv. *inter providentiam ipsam, & providentiæ modum;* Deus providet qvidem, sed ita, ut etiam ipsa creata proprios motus exercere sinat.

Ad III. Confunditur locutio absoluta & comparata. Comparatè loqvitur, qvod non talis Deo de bobus cura sit, ut propter illos legem tulerit, ut contextus ostendit.

Ad IV. Fatum est *qvadruplex, Physicum, Stoicum, Astrologicum, & Theologicum.* Non de illo vel hoc, sed de Stoico, & Astrologico valet, qvod providentiam divinam excludit.

Ad V. Distingv. *inter causam occultam, & nullam.* Fortuitorum ratio nobis occulta, non verò nulla est; fortuita enim dicuntur tantùm ratione nostri, non Dei.

Ad VI. Esse petitionem principii. Nam malæ actiones omninò qvoqve providentiæ Dei subjiciuntur, sed suo qvodam modo, & qvidem 1. Antecedenter. 2. Concomitanter. 3. Consequenter.

1. Antecedenter qvatuor modis (α) prohibitione mali severâ in lege sua *Exod. 20. 3.* (β) Verbi oblatione ad bona facienda, *Devt. 30. 14.* (γ) Desertione, cum verbo peccatores obsequium ferre recusant. *Act. 13. 40.* (δ) Traditione in sensum reprobum, *Rom. 1. 21.* 2. Concomitanter (1) Permissione *Ps. 81. 13.* (2) Tolerantiâ *Rom. 1. 21.* (3) Detestatione, & abominatione, *Zachar. 8. 17.* (4) Prohibitione *Exod. XX. per tot.*

3. Conſeqventer 1. Gubernatione & commutatione in finem bonum, *Rom. 8. 28.*

QVÆSTIO III.

An præſcientia & providentia divina ſit mutabilis, vel falli poſſit? Negatur in Textu.

AFFIRMATUR.

I. *Geneſ. 6. 6.* ubi Deum facti hujus pœnitet, qvod fecerit homines.

II. Abrogat nonnulla decreta ſua, uti patet exemplo Ninivitarum.

III. Maximè moleſtum eſſet Deo, ſi omninò omnia præſciret, & prævideret.

IV. Si præſcientia eſſet immutabilis. E. etiam res præſcitæ.

V. *Pravum cor hominis, & imperſcrutabile, qvis cognoſcet illud?* Nullus. *Jer. 17. 9.*

VI. Qvalis res, talis qvoqve ejus cognitio. Res autem qvædam ſunt contingentes. E.

RESPONDETUR.

Ad I. Diſting. *inter affectum, & effectum.* 2. *Inter Deum in ſe ſpectatum, & ut à nobis ſentitur.* Non enim pœnitet παθητικῶς, ſed ἐνεργητικῶς, non θεοπαθῶς, ſed θεοπρεπῶς, ut *Auguſtinus l. 1. de Civit. Dei c. 28.* loqvitur.

Ad II. Diſtingv. *inter decreta Dei abſoluta, & conditionata,* qvæ conditionem expreſſam, vel tacitam præſupponunt, qvâ poſitâ vel remota, decreta Dei vel ponuntur, vel mutantur, vel removentur exemplo Ninivitarum.

Ad III. Diſtingv. *inter agens finitum, & infinitum.* Illi, non huic moleſtum eſſet omnia gubernare.

Ad IV. Diſtingv. *inter ſubjectum, & objectum.* Non illud, ſed hoc mutatur.

Ad V. Fallaciam eſſe diviſionis. Statim enim ſeqvitur: Ego Jehova ſcrutans cor, & probans renes.

Ad VI. Diſtingv. *inter cogitationem intellectus humani, & divini.* Res non ſunt menſuræ ſcientiæ divinæ, ſed ſcientia divina eſt menſura rerum.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

An Proditio Judæ ideò fuerit necessaria, qvia Deus eam præviderit? Neg.

AFFIRMATUR.

I. *Act. 1. 16. Oportet impleri Scripturam, qvam Spiritus S. prædixit per os Davidis de Juda.* E. necessariò.

II. Deus id ipsum decrevit, *Act. 2. 23.* Decretum verò ejus est immutabile.

III. Deus præscivit: præscientia illius autem nec fallere, nec falli potest, sed est immutabilis.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter necessitatem absolutam, & hypotheticam.* Posita enim conditione hac, [malitia Judæ] ponitur qvoqve subseqvens. [proditio]

Ad II. Distingv. *inter factum ipsum, & facti finem.* Ad hunc, non illud decretum spectat.

Ad III. Distingv. *inter mutabilitatem à priori, & posteriori.* Hoc, non illo modo, hoc est, eventu certissimo dicitur immutabilis.

QVÆSTIO V.

An omnia fiant fato, vel necessariò? Neg. in Textu. 3. Error.

AFFIRMATUR.

I. Qvia à Deo omnia prædinata.

II. Qvia Deus omnia operatur. E. necessariò fiunt. *1. Cor. 12. 6.*

III. Omnia fiunt voluntate Dei, cujus voluntas est immutabilis.

IV. A præscientia Dei, qvæ non est otiosa & nuda contemplatio, sed cum activitate perpetuò conjuncta. Si omnia præscit. E. omnia qvoqve necessariò fiunt.

V. A rebus naturalibus omnibus. Sic ignis necessariò urit, aqva humectat.

RESPONDETUR.

Ad I. Omnis eventus consideratur vel respectu Dei existentiæ, vel causarum suarum. Respectu Dei existentiæ, fiunt necessariò, ratio-

ratione verò causarum, qvæ agere & non agere possunt, vocantur, & sunt nonnulli contingentes.

Ad II. Talem formaret majorem; Qvæcunqve Deus operatur, fiunt necessariò, id qvod negatur; fiunt enim (1) liberè. 2. Distingv. *inter necessitatem, & certitudinem.* Qvæ Deus operatur, certa qvidem sunt, sed non omnia necessaria.

Ad III. Distingv. *inter necessitatem causæ, & effectus.* Hujus, non illius ratione concedenda est necessitas.

Ad IV. Distingv. *inter res bonas, & malas, circa qvas aliter providentia Dei versatur.* Circa illas Spiritum S. largiendo, easdemqve promovendo, circà has gratiam non impertiendo, ad bonos tamen fines reducendo, ut ita exindè nulla seqvatur necessitas absoluta.

Ad V. Distingv. *inter res voluntarias, & naturales.* Qvalis enim rerum natura est, talis esse solet operatio. Lex æterna sancit, nimirum ut necessaria agant necessariò, contingentia contingenter, libera liberè, & sic porrò.

LOCUS IV. DE SACRA SCRIPTURA.

QVÆSTIO I.

An Sacra Scriptura sit verbum Dei? Affirm. in Textu.

NEGATUR.

I. Est *stultitia*, 1. *Cor.* 1. 18.

II. Scatet multis absurditatibus, & contradictionibus, uti patet ex variis locis.

(1) *Gen.* 1. 2. dicitur Deus creasse solem qvarto die, qvi cum sit causa diei, seqvetur diem fuisse ante solem, effectum ante causam suam, qvod absurdum.

(2) Ibidem luna dicitur luminare magnum, qvæ tamen planetis aliis imò ipsa terra minor est.

(3) *Gen.* 3. 4. Eva dicitur à serpente seducta in statu integritatis, qvod in statu integritatis fieri nullo modo potest. Item

(4) *Genes.* 6. 14. 15, Noah jubetur arcam construere trecentorum cubitorum in longitudine, qvinqvaginta in latitudine, & triginta in altitudine ad recondenda omnia animalia, qvæ cistula autem nullo modo potuit esse ejusdem capacitatis, ut omnium animalium species caperet.

(5) Ben-

(5) Benjamin dicitur puer, *Gen. 43. v. 8.* qvi tamen c. 46. 21. anno sequenti statim dicitur Pater decem liberorum.

(6) *Exod. 7. 20.* aqvæ omnes dicuntur à Mose in sangvinem versæ, & tamen, *v. 22.* Magi dicuntur similiter feciſſe, h. e. aqvam in sangvinem vertiſſe, cum tamen nulla aqva eſſet reliqva.

(7) *Exod 9. 6.* Omne pecus Ægyptiacum dicitur peſte extinctum, qvod tamen in ſeptima plaga grandine & fulminibus mortuum fuiſſe memoratur, *v. 25.*

(8) *Exod 10 22.* Trium dierum numerantur tenebræ, & tamen *v. 24.* Pharao dicitur Moſen vocaſſe, qvem in tenebris agnoſcere non poterat.

(9) *Jud. 16. 27.* Tria Philiſtæorum millia dicuntur in una domo duabus fulta columnis fuiſſe, & deturbata fractione columnarum à Samſone interiiſſe, *v. 30.* qvod certè eſt contra omnem fidem.

RESPONDETUR.

Ad I. Diſtingv. *inter veritatem, & opinionem hominum Epicuræorum, & non renatorum.* Horum opinione verbum Dei ſtultitia eſt, vel eſſe videtur, non verò in rei veritate.

Ad II. Diſtingv. *inter contradictionis falſitatem, & abſurditatem veram, & apparentem.* Illam in Scripturis nemo unqvam demonſtravit. In 1. exemplo diſtingvimus (α) *inter mundum conſtituendum & conſtitutum.* Inter hoc ſecundum naturæ curſum ſol eſt cauſa diei, in illo verò non eſt neceſſarium; Vel (β) *inter lucem ſolis collectam, & diſperſam.* Sol ſanè ſ. collecta ejus lux, qvæ diei cauſa eſſet, tunc nondum dabatur, dabatur tamen diſperſa ſ. lux primogenia. In 2. Exemplo confunditur partim qvantitas κατ' οὐσίαν cum qvantitate κατ' αἴσθησιν. Non enim illius reſpectu dicitur luminare magnum, ſed qvod nobis in terra habitantibus talis appareat: Partim (2) qvantitas molis cum qvantitate virtutis & operationis. Non illa, ſed hæc de luna intelligi poteſt. Plus enim efficaciæ ſenſibilis habet in ſublunaria, qvam ſtellæ & planetæ reliqvi, ſole excepto. In 3. Exemplo confunditur partim ſcientia particularis cum univerſali. Illa fuit in primis parentibus, non autem hæc; partim cognitio ipſa cum illius abuſu, qvo illa ad illicita extenditur objecta. Non illa, ſed hæc cauſa

fuit deceptionis. In 4. exemplo confunduntur vel cubiti communes cum Ægyptiacis sive Geometricis. Non illi, sed hi sunt intelligendi, qvi nonnullorum opinione sex vel novem fuerunt pedum. vel (2) arca simplex cum ejus consignationibus vel (3) denique animalia cuncta cum omnibus. Non omnia fuerunt in arca, sed terrestria; aqvatilia enim manserunt in aqvis. In 5. Est fallacia figuræ dictionis. Nam vocabulum in Hebraica lingva non puerum tantùm, sed etiam adolescentem & adultiorem virum denotat, cujus rei exempla occurrunt, *Gen. 21. 17. 2. Sam. 2. 14.* In 6. confunduntur loca diversa In Ægypto sanè omnes aqvæ in sangvinem fuerunt conversæ, non autem in terra Gosena, ut habetur *Exod. 8. 22.* ex qva Magi procul dubio suas attulerunt aqvas. Nisi (2) velimus dicere & fossas non fuisse in sangvinem versas, siqvidem dicuntur tantùm in fluviis aqvæ versæ. *Exod. 7. 24.* In 7. confunduntur genera singulorum, & singula generum. Pestis enim plaga fuit, qvâ ex generib⁹ singulorum, vel ex omnib⁹ animalib⁹ qvædam prostrata fuêre, reliqva verò postmodum occisa per plagas seqventes. In 8. Confusio est temporis. Pharao non durantibus adhuc tenebris ipsum vocavit, sed iisdem cessantibus post triduum, scil. ita intelligendus est *v. 24.* In 9. confunduntur columnæ (1) fundamentales cum collateralibus; illarum duæ tantùm fuerunt, qvibus confractis domum fecit collabi Simson, harum verò plures. (2) structura ædificiorum judaica seu Philistica confunditur cum nostra. Illa enim tectis ut plurimum constabat apertis & planis, qvæ magnam horum poterant capere magnitudinem.

QVÆSTIO II.

An omnes Libri Biblici sint Canonici? Neg. in Textu.

AFFIRMATUR.

I. A testimonio Conciliorum, Pontificum Romanorum, & Patrum antiqvorum.

II. Allegatione testimoniorum ex his libris.

III. Publica receptione, præsertim N.T. Hinc meritò libri Canonici dicendi.

IV. Ap-

IV. Appellatione. Dicuntur enim & Apocryphi libri à Patribus S. Canonici, imò Scriptura divina.

V. Lectione, seu decantatione ex ipsis publica, & ante tempora Hieronymi.

VI. Deniqve adhibitione & confirmatione dogmatum.

RESPONDETUR.

Ad I. Est petitio principii: Concilia enim, & Pontifices & Patres non possunt facere librum Canonicum; plus enim reqviritur.

Ad II. Distingv. *inter allegationem, qvæ fit primariò ad dogmatum confirmationem, & ad morum ædificationem.* Non ob istam, sed hanc potissimum allegantur.

Ad III. Distingv. *inter admissionem & lectionem, & Canonicam Authoritatem.* Non ob hanc, sed ob illam publicè sunt recepti. 2. Inter Canonicum, & verè Canonicum; hoc, non illo modo libri N. T. Apocryphi Canonici dici possunt.

Ad IV. Distingv. *inter vocabulum Canonicum latè, & strictè dictum.* Strictè qvidem pro eo, qvod ad confirmanda fidei dogmata adhibetur; latè pro eo, qvod legi potest ad ædificationem populi. Non illo, sed hoc modo à Patribus Canonici, præsertim verò ab *Augustino* appellantur.

Ad V. Spectat huc distinctio ad tertiam objectionem data.

Ad VI. Distingvend. *inter confirmationem dogmatum primariam, & secundariam.* Non ad illam, sed ad hanc adhiberi consvevêre libri Apocryphi. 2. Inter libros Apocryphos V. & N. T. Hi authoritatem in controversiis fidei habent, illi non.

QVÆSTIO III.

Num Authoritas Scripturæ dependeat qvoad nos ab authoritate Ecclesiæ? Neg. in textu.

AFFIRMATUR.

I. Ab Ecclesiæ antiqvitate; anteqvam enim ederentur Scripturæ, jam tunc erat Ecclesia. Qvodcunqve enim antiqvius est, id qvoqve majorem habet authoritatem.

II. Ab Ecclesiæ claritate. Ecclesia autem notior est Scripturis. Prius enim cognoscuntur Pastores, qvàm Scripturæ.

III. Ab Ecclesiæ dignitate. Publicum Spiritus S. de Scripturis, & earum

rum autoritate judicium non ſonat niſi in Eccleſia. E. à ſola Eccleſia Scripturæ pendet authoritas.

IV. A Scripturæ conditione & qvalitate. Non ex internis κρίνεσθαι, nec ex Scripturæ S. teſtimonio authoritas pateſcere poteſt. Nam libris profanis hæc qvoqve homines profani ineſſe cenſent.

V. Ab authoritate *Auguſtini* dicentis: *Evangelio non crederem, niſi me moveret authoritas Eccleſiæ.*

VI. Scriptura per Scripturam probari non poteſt, ut idem per idem. E. per Eccleſiam, & ita major qvoqve Eccleſiæ, qvam Scripturæ authoritas.

VII. Qvia Eccleſia appellatur *columna & firmamentum veritatis, 1. Tim. 3. 15.* Ergò ab ejus authoritate Scripturæ qvoqve authoritas dependet.

IIX. *Rom. 10. 14. 15. Qvomodò credent, de qvo non audivêre? qvomodo audient ſine prædicatione? qvomodò prædicabunt, niſi mittantur?* E. qvia miſſio fit ab Eccleſia, ſeqvitur, & auditum, & fidem, per qvæ Eccleſia fundatur & ſtabilitur, ab Eccleſiæ dependere authoritate.

RESPONDETUR.

Ad I. Majorem illam de Eccleſiæ antiqvitate eſſe particularem, ex qva in prima figura nihil ſeqvitur. 2. Diſtingv. *inter Scripturæ materiale*, id eſt, verbum in Scripturis revelatum, *& formale*, h.e. opus ſcriptionis. Non illo, ſed hoc reſpectu dicitur prior ſuiſſe Scriptura: Vel 3. Fallacia eſt à dicto ſecundum qvid. Non enim de omni Eccleſia verum eſt, eam Scripturam eſſe antiqviorem, ſed ea tantùm, qvæ ante Moſen extitit.

Ad II. Diſtingv. *inter notitias naturas, & notitias nobis.* Item *inter notitiam confuſam, & diſtinctam.* Confuſa notitia fortaſſis prius cognoſci poſſunt Paſtores, qvam Scriptura, neqvaqvam verò diſtincta, cum veri paſtores non niſi ex doctrina cognoſci qveant.

Ad III. Diſtingv. *inter Spiritûs S. teſtimonium internum, & externum.* Teſtimonium, qvo Spiritus S. pios de certitudine Scripturæ & gratiæ convincit, internum eſt & abſconditum, *Rom. 8. 16.* ut ita ſit fallacia conſeqventis.

Ad IV. Diſtingv. *1. inter opinionem, & rei veritatem:* In aliis Scriptis duntaxat hominum opinione, non verò reipſa talis rerum majeſtas

&

& styli proprietas occurrit. Vel 2. *inter χρῆσιν & κῆσιν horum mediorum.* Hæc apud illos esse potest, non verò legitima usurpatio. 3. Fallacia est accidentis, qvod multi his mediis abutentes à veritate interdum aberrent.

Ad V. Consideratur *Augustinus*, vel ut convertendus, vel ut conversus. Verba *Augustin.* intelligenda priori, non posteriori respectu, ut verus sensus verborum *August.* hic sit: Cum adhuc Manichæorum tenebris essem obscuratus, & divinæ veritatis luce carerem, non credidissem Evangelio, nisi me Ecclesiæ authoritas movisset.

Ad VI. Est (1) petitio principii (2) datur tertium, nempe Spiritus S., à qvo tanqvam authore vero, uti Scriptura prodit, sic qvoqve authoritas ejus relucet. Proindè ab interno Spritus S. testimonio, hæc ipsa nobis longè certius innotescit, qvàm externo Ecclesiæ testimonio.

Ad VII. Distingv. *inter stabilimentum veritatis confirmandæ, & ejusdem custodiendæ, vindicandæ ac testificandæ.* Non illo, sed hoc respectu nomen illud obtinet Ecclesia.

Ad IIX. Distingv. *inter occasionem fidei & fidem ipsam.* Illa ab Ecclesiæ testimonio dependere potest, hæc ex ipsa Scriptura habetur. Vel (2) distingvi potest, *inter medium universale, qvale est Spiritus S., & particulare, qvale est Ecclesia.* Ecclesia, qvæ mittit docentes, causa est auditus, & fidei. (α) Occasionaliter, ut homines occasionem habeant credendi. (β) Particulariter, qvatenus ut medium cum Scriptura, per qvam Spiritus Sanctus fidem operatur, conjungitur.

QVÆSTIO IV.

An Scriptura S. sit perfecta? Aff. in Textu.

NEGATUR.

I. Dogma de Canone est articulus fidei. Dogma de Canone non habetur in Scriptura. E. Qvidam articulus fidei non est in Scriptura.

II. Nihil est credendum, nisi qvod in verbo Dei scriptum extat. Atqvi nuspiam reperitur in Scriptura illud, nihil esse credendum, nisi qvod in Scriptura apertè extat. E. neqve hoc ipsum credi potest.

III. Apostoli multa prædicarunt, de qvibus non scripserunt, & tamen credi ea oportet, qvemadmodum *Paulus* auditores suos non tantùm ad Scripturam, verùm etiam ad traditiones inprimis remittit, 2. *Thess.* 2. 15.

IV. Multa Apostolorum Scripta perierunt, ut *Epistola ad Laodicenses*, una ad *Corinthios*; Item alia Scripta divina, ut *liber bellorum Domini*, *Exod.* 34. 27. *liber justorum*, *Jos.* 10. 13.

V. Ab exemplo *Pauli Timotheum suum* non tantùm remittentis ad Scripturam, sed & ad ea, qvæ ab ipso audiverat.

VI. Non est ullo modo credibile, non fuisse remedium ullum pro masculis morientibus ante octavum diem in V. T. & tamen nihil extat hac de re in Scriptura.

VII. Credendum est, B. Mariam semper fuisse virginem, & contra *Helvidium* tota Ecclesia semper credidit. At nullum hac de re in Scriptura testimonium.

IIX. Credendum est in N. T. Pascha celebrandum esse die Dominica. Nam hæretici habiti sunt ab Ecclesia Qvartadecimani, qvi contrarium senserunt. At nihil hac de re habetur in Scriptura.

IX. In N. T. credendum est, infantes esse baptizandos, qvod tamen nullibi in Scripturis extat.

X. *Lutherus* credidit esse purgatorium. At hoc non potest ex Scripturis probari.

XI. Credunt hæretici hujus temporis, nullum esse verbum, nisi scriptum. At hoc nuspiam in Scripturis reperitur.

XII. Credendum est, omnia Sacramenta qvoad essentiam à Christo esse instituta. At hoc nuspiam in Scripturis reperitur.

XIII. Scriptura omnia continet, vel est Canon simul sumptus, vel singuli libri per se sufficientes. Si hoc, qvid tot libris fuit opus? Nec illud, qvia multi libri Canonici, vel sacri perierunt, teste *Chrysostomo*.

RESPONDETUR.

Ad I. Majorem & Minorem fallere. Major, qvia distingvit *principium articulorum fidei, & articulum fidei propriè dictum*. Dogma de Canone, non est propriè articulus fidei, sed potius principium articulorum fidei. Minor fallit petitione principii. Sacra enim Scriptura nihil est aliud, qvàm Canon, sive libri Canonici.

Ad II.

Ad II. Esse qvatuor terminos. Propositio major loqvitur generatim de eo, qvod qvodammodo extat in Scripturis, sive implicitè per certam firmam, & necessariam conseqventiam, sive explicitè. Minor tantùm loqvitur de eo, qvod expressè extat.

Ad III. Distingv. *inter traditiones Apostolicas, vel divinas, & humanas.* Illæ sunt idipsum, qvod scriptum est. Hæ ab hominibus excogitatæ, non scriptæ, neqve in scripturis ullum habent fundamentum.

Ad IV. Distingv. *inter libros Sacros, & Canonicos*; non de illis, sed de his qværitur, an perierint? (1) Epistolam ad Laodicenses qvod attinet, cujus ad *Coloss. 4. 16.* fit mentio, notandum, Qvod in Græco non sit πρὸς Λαοδικῆς *ad Laodicenses*, sed ex Λαοδικείας, *ex Laodicéa.* Intelligitur autem ea, qvæ ex Laodicéa ab Apostolo scripta, non autem ea, qvæ ab Apostolo ad Laodicenses scripta. (2) Epistolam Pauli ad Corinthios nullam dedesirari dicimus; Probandum ergò, qvandam periisse. (3) Librum bellorum Domini qvidam dici putant historiam Mosis, & qvidem ex Idiotismo Ebræo, qvo qvævis historiæ recensio liber dici consvevit. Verum cum in Ebræo habeatur futurum, *Num. 21. 14.* יֵאָמֵר *dicetur*, manifestum est, librum illum fuisse historicum, & post Mosen scriptum esse. (4) Libri justorum fit mentio, *Jos. 10. 13.* Qvem qvidam putant esse librum legis (sic enim verterunt LXX interpretes) Mosaicæ. Qvidam verò ipsum librum Josuæ esse statuunt.

Ad V. Una eademqve doctrina fuit Pauli per omnia, qvam prædicavit, & qvam Epistolis suis consignavit; Ergò est tantùm discrimen accidentale, non essentiale.

Ad VI. Cum illis, qvi ante diem octavum extincti, Deus per preces parentum, & Ecclesiæ sibi oblatas, vi promissionis, *Ero Deus seminis tui, Genes. 17. 7.* extraordinariè agere potuit, non verò ut cum transgressoribus legis de circumcisione, qvippe qvæ ad octavum diem disertè erat restricta.

Ad VII. Mariam ante, in, & post partum mansisse virginem, patet ex Scriptura & qvidem, *Esa. 7. 14.* In partu, *Matth. 1. 25.* Non enim cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum. E. fuit ante & in partu virgo. Post partum, *Joh. 19. 27.* ubi Johannes

Regional-bibliothek Neubrandenburg http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027629733/phys_0105 Mecklenburg Vorpommern

eam, ut ſuam accepiſſe dicitur, non verò alicujus aliqvis maritus.

Ad IIX. Diſtingv. *inter* (1) *articulum fidei neceſſarium, & ceremoniam externam liberam.* Celebratio illa non eſt neceſſarius fidei articulus, ſed ceremonia qvædam externa libera. (2) Nec *Qvartadecimani* ob id pro hæreticis habiti, qvia diem reſurrectionis non obſervarent, ſed qvod præciſè & neceſſariò decimum qvartum diem menſis primi obſervandum cenſerent.

Ad IX. Eſt petitio principii. Planè enim ἀθεόλογον eſt, negare è Scriptura Pædobaptiſmum poſſe oſtendi, cum ipſe *Eccius* Pontificius *in Enchir. c. 30. 4.* argumenta ex Scriptura pro Pædobaptiſmo afferat.

Ad X. Diſtingv. *inter Lutheri ſcripta priora, & poſteriora.* Licet D. Lutherus ſub initio reformationis Purgatorium eſſe crediderit, ut rem probabilem, progreſſu tamen temporis, opinionem illam reliqvit, refutavit, damnavit.

Ad XI. Si propoſitio illa ſimpliciter, ut ſonat, eſt accipienda, negamus eam. Datur enim verbum Dei æternum, vel per ſe, Filius Dei, *Joh. 1. v. 1.* (2) qvod nullum ſit Dei verbum, niſi ſcriptum, patet ex verbi ſcripti perfectione, ut verbo non ſcripto neqvaqvam opus ſit.

Ad XII. Invertimus; qvia enim illorum Sacramentorum eſſentia, de qvibus controverſia eſt, in Scripturis non invenitur, ideò qvoqve pro veris & propriè dictis Sacramentis acceptari non poſſunt.

Ad XIII. Diſtingv. *inter ſufficientiam totius, & partium.* Illâ totus Canon, hâc ſinguli libri ad ſalutem ſufficiunt, undè neutra pars dilemmatis *Bellarminiani* nos ferit. 2. Diſtingv. *inter novam doctrinam qvoad articulos fidei, & qvoad verba, ſeu explicationem uberiorem.* Etſi libri qvidam perierunt, continentes fuſiorem explicationem articulorum fidei, non tamen tales perierunt, qvi nova dogmata continuerunt. Et tandem 3. *inter Canonem inchoatum, & conſummatum.* Si vel maximè concedatur, Canonem inchoatum non fuiſſe perfectum, ex eo tamen inferri neqvit, Canonem conſummatum, & perfectum non fuiſſe.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

An Scriptura sit perspicua? Aff. in Textu.

NEGATUR.

I. Scriptura ipsa de sua obscuritate & difficultate testatur, ut David etiam petat intelligentiam, *Ps. 119. 11.*

II. Christus discipulis suis Scripturas est interpretatus, *Luc. 24. 27.* Item *Philippus* Eunucho explicavit dictum Esa. *Act. 8. 31.*

III. Petrus asserit *2. Epist. c. 3. 16.* in *Epistolis Pauli esse qvædam intellectu difficilia, qvæ indocti & instabiles depravant.*

IV. Angelus *Dan. 12. 4.* jubet Prophetiam occultare.

V. Communis sensus Patrum veterum ostendit, Scripturas esse obscuras & intellectu difficiles.

VI. In Scriptura, & res qvæ tractantur, & modus, qvo tractantur, sunt obscurissima.

VII. Talem obscuritatem præ se ferunt, (1) In Scripturis, qvæ primâ fronte videntur contraria, *Exod. 20. 26.* (2) Sunt Phrases Ebræorum propriæ, *Ps. 89. 3.* (3) Sunt orationes figuratæ plurimæ, Tropi, Metaphoræ, &c:

IIX. A scriptione Commentariorum. Si enim Scriptura esset perspicua, cur tot scriberentur commentaria? cur tot diversæ evulgarentur editiones?

IX. Si in V.T. cum aliqvo oriretur difficilis qvæstio, partes jubebantur, non Scripturas, sed sacerdotes audire, *Devt. 17. 9.* Seqvitur Scripturas esse obscuras.

X. Judicia Dei sunt imperscrutabilia. Nemo enim novit sensum Domini, *Es. 40. 13. Sap. 9. 13.*

XI. De Scripturæ interpretatione Doctores inter se dissentiunt.

XII. Multa sunt Scripturæ loca, qvæ à doctissimis non intelliguntur, ut visiones, & oracula *Ezechielis*, *Danielis 7. v. 9. 10. 11.*

RESPONDETUR.

Ad I. Esse (1) ignorantiam Elenchi. Nam id, qvod concluditur, contra nos non pugnat. Nostra sententia non est, omnes Laicos Scripturam legentes, in omnibus eam intelligere, vel eam tam claram esse, ut nulla interpretatione indigeat. (2) Distingv. *inter externam Scripturæ intelligentiam, & internam cordis πληροφορίαν*, vel *inter*

inter notitiam literæ, & Spiritus. Non sufficit ad salutem notitia literalis, sed accedat, necessè est, & Spiritualis, ad qvam interior Spiritus S. illuminatio & piæ preces reqviruntur.

Ad II. Rursus est ignorantia Elenchi. Distingv. *inter totum, & partem*; non de hâc, sed de illo, an tota Scriptura sit obscura, qvæstio est. (2) Fallacia conseqventis, & à dicto secundum qvid. Non enim seqvitur, est locus aliqvis particularis in aliqvo Propheta obscurus. E. vel tota Scriptura, vel hic locus huic, vel illi homini est obscurus.

Ad III. Petrus dicit, (1) qvædam esse intellectu difficilia. E. qvædam concedit intellectu facilia. (2) Distingv. *inter rem, & phrasin.* Fieri enim potest, ut secundum rem qvædam summè sint difficilia, qvæ tamen apertis, & perspicuis verbis proferuntur. (3) Non dicit Petrus, omnibus ea esse difficilia, sed indoctis, qvi sunt ἀμαθεῖς, ut ipse loqvitur.

Ad IV. Figura est in vocabulo OCCULTARE, qvod non habetur in fonte, sed obsignare inter res prætiosissimas.

Ad V. Testimonia impertinenter allegata nil probant. Patres tantùm secundum qvid loqvuntur, de qvibusdam non de omnibus.

Ad VI. Fallacia est à dicto secundum qvid. Res enim, qvæ in Scripturis traduntur, sunt vel historiæ, vel dogmata, eaqve vel vaticinia, vel articuli fidei. Licet enim in vaticiniis obscuritas qvædam occurrat ante complementum, tamen historiæ & articuli fidei perspicuè in Scripturis traduntur.

Ad VII. Per (1) limitationem propositionis h.m: In qva Scriptura res ita traduntur, ut prima fronte videantur contrariæ, & ut ex illa apparens ista contrarietas tolli, & corrigi non possit, illa est obscura. (2) Locus iste duplici hâc distinctione ita conciliatur, (α) inter liberos pœnitentiam agentes, & eos, qvi in parentum peccatis persistunt. (β) Inter pœnas corporales, & æternas. (2) Est particularis. Nam si qvidam Hebraismi in N. T. occurrunt, rarius tamen hoc fit, facilè ex veteri codice illustrantur. In 3. Est petitio principii. Nam (1) Figuratæ locutiones non adhibentur ad Scripturam obscurandam, sed illuminandam. (2) Vel si omninò indicatur, adesse qvandam obscuritatem, id tantùm fit

fit per accidens, respectu illorum, qvi troporum ac figurarum naturam non rectè intelligunt.

Ad IIX. Est fallacia causæ. Usus commentariorum non arguit Scripturæ obscuritatem, sed nostram potius infirmitatem, qvi per gradus duntaxat, qvæ in Scripturis dicuntur, capimus. 2. Dist. *inter intellectum, & meliorem intellectum*, ad qvem faciunt commentarii. Ut & 3. *inter necessitatem absolutam, & hypotheticam.*

Ad IX. Fallacia est causæ. Jussit enim Jehova Israëlitas adire Sacerdotes, non qvia Scriptura difficilis esset, sed ut qvi Scripturam negligebant, & ignorabant, ad Scripturam adducerentur. 2. Ut forma judicii servaretur in Ecclesia. Deindè est fallacia consequentis. A difficultate in V. T. ad difficultatem N. T. non necessariò proceditur.

Ad X. Locus ille non loqvitur de Scriptura, sed de sensu & judiciis Dei, qvæ nisi nobis revelentur, sunt planè imperscrutabilia, ut de hora judicii extremi, numero electorum.

Ad XI. Veri doctores inter se non dissentiunt in rebus ad salutem pertinentibus. 2. Licet fiat, fit illud (α) per accidens, vel (β) ut imbecillitatem & imperitiam suam qvoqve agnoscant, & ad sensus diligentem investigationem seriam & attentam lectionem adducantur.

Ad XII. Inferri (1) Conclusionem particularem, qvam concedimus. (2) Distingv. *inter prophetias ante, & post impletionem spectatas:* Illæ obscuriores, hæ post impletionem spectatæ satis notæ & perspicuæ sunt.

QVÆSTIO VI.

An Laici debeant legere Scripturas? Affirm.

in Textu.

NEGATUR.

I. A testimonio Christi dicentis, *Luc. 8. 10: Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum.* E. Episcopis tantùm, & Sacerdotibus solùm concessum est legere Scripturam S.

II. Ab incommodis variis. Primò enim indè est occasio errandi in doctrina fidei. Ex Scripturæ enim omnes nascuntur hæreses. 2. Occasio errandi in moribus & præceptis vitæ, lecto Cantico Salo-

Salomonis, adulterio Davidis, incestu Thamaris, mendacio Judith, concubinatu Josephi, &c. 3. Occasio dubitandi, uti mulier qvædam in Anglia audiens legi caput 25. Syracidæ de malitia mulierum, dixisse fertur: Illud non est verbum Dei, imò potius Diaboli.

III. Parit contemptum. Si enim qvis peccata Patrum legit, vel nævos eorum, indè Patres contemnit.

IV. Testimonio *Basilii & Hieronymi*, qvi non censuerunt expedire, ut lectio Biblica sine delectu omnibus concedatur.

V. Moses legis tabulas in arcam inclusit, ut ibi custodirentur, nec ab omnibus viderentur, nedum legerentur. E. solos doctos voluit legere eandem.

VI. Jubet Deus, septimo qvoqve anno legem coram populo legi, at si lex in uniuscujusqve manu, ut possit privatim legi, frustra hoc Deus præcepisset.

VII. *Malach.* 2.7. traditur: *Labia Sacerdotis scientiam custodient, & legem requirent ex ore ejus*, non ore Laicorum.

RESPONDETUR.

Ad I. Nullam esse consequentiam. Christus enim non loqvitur de Laicis, vel plebe, sed scribis, & Pharisæis. 2. Si de Laicis hæc verba intelligenda essent, seqveretur, qvod nullus Laicorum crederet, vel salvus fieret, qvod ex immediatè seqventibus infertur.

Ad II. Fallacia est accidentis. Non fit illud Scripturæ culpa, sed hominum perversorum judicio & institutione mala. In 2. Fallacia est accidentis, & divisionis. Peccata qvidem Sanctorum in Scriptura leguntur, sed simul, & correctiones, & pœnitentia. 2. Fallacia causæ. Non enim ideò illa exempla nobis proponuntur, ut imitemur, sed ut potius ea fugiamus, & nostram imbecillitatem Sanctorum exemplo deploremus. 3. Confusio est lectionis cum interpretatione, qvæ duo apud Laicos conjungenda, & omnis ambiguitas errore præcaveri poterit. Mulierculam istam qvod attinet, sciendum, unam hirundinem non facere ver, nec exemplum unum facere regulam, præsertim si vitiosum est.

Ad III. Nullus contemptus metuendus est de fidelibus, & industriis Spiri-

Spiritus S. lectoribus; Minimè enim ignorant, se verbum Dei legere. 2. Fallacia accidentis, si contingeret apud aliqvos.

Ad IV. Distingv. *inter lectionem Scripturæ, & judicium temerarium, immodestamq; arrogantiam.* Hanc, non illam PP. reprehenderunt.

Ad V. Fallacia est causæ. Includebantur enim legis tabulæ, non ob causam in objectione allatam, sed (1) ut in testimonium, & memoriam servarentur. (2) Ut eo docerentur, singulos qvoqve in corde suo veluti arcâ legem Dei custodire debere. Et 3. Ut Christum verum Sacerdotem pro nobis legem servaturum, & impleturum, omnis indè cognosceret.

Ad VI. Nulla est consequentia. Distingv. *inter lectionem solemnem publicam, & privatam.* Qvalis enim hæc consequentia: Evangelia dominicalia præleguntur publicè. E. non privatim sunt legenda.

Ad VII. Aliud est publico docendi munere fungi, & aliud privato studio Scripturas scrutari. Illud de Sacerdotibus olim requirebat Deus, hoc verò minimè reprehendebat.

QVÆSTIO VII.

An præter verbum Dei scriptum, sit verbum non scriptum, & an traditiones pari pietatis affectu, atqve reverentia cum ipso verbo Dei scripto sint suscipiendæ atq; venerandæ?

Neg. in Textu, p. 163.

AFFIRMATUR.

I. *Joh. 16. 12: Multa habeo vobis dicere, verum non potestis portare modo*; qvæ verò promisit hîc dicere, illa haud dubiè post resurrectionem dixit, illa verò non sunt scripta.

II. *Joh. 21. ult: Sunt & alia multa, qvæ fecit Jesus, qvæ si scribantur singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse.* Si ergò multa sunt, qvæ fecit Dominus, non scripta, sequitur traditiones aliqvas dari non scriptas.

III. Christus post resurrectionem per dies 40. discipulis suis apparuit & locutus est de regno Dei; de rebus gestis verò & verbo Domini post resurrectionem pauciſſima scripserunt Evangelistæ.

IV. 1. *Cor.* 11. 2. dicitur: *Laudo vos, qvod per omnia mei memores estis, & sicuti tradidi vobis præcepta mea, tenetis.* At præcepta illa de modo orandi, & sumendæ Evchariſtiæ neqvaqvam ſcripta inveniuntur.

V. 2. *Theſſ.* 2. 15. *nempe Fratres ſtate, & tenete traditam doctrinam, qvemadmodum edocti estis, ſicuti tradidi vobis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.*

VI. 1. *Tim.* 6. 20. mandatur Timotheo, ut depoſitum cuſtodiat, & traditiones. Ratio autem hæc eſt: Nam per depoſitum non Scriptura, ſed theſaurus doctrinæ, & intelligentia dogmatum divinorum intelliguntur.

VII. 2. *Tim.* 1. 13. *Formam habeto ſanorum verborum, qvæ à me audiviſti cum fide & charitate, qvæ est in Chriſto Jeſu, egregium depoſitum ſervato.* Qvi verò ſe habere dicit formam ſanorum verborum ab Apoſtolo auditorum, eaqve tanqvam bonum depoſitum cuſtodire per Spiritum Sanctum, is cogitur traditiones non ſcriptas agnoſcere, & credere.

IIX. 2. *Tim.* 2. 2. *Tu ergò, fili mi, qvæ audiviſti, à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qvi idonei erunt, alios docere.* Si ergò audita ab Apoſtolo commendanda fuerunt fidelibus, qvi eſſent idonei ad alios qvoqve docendos, tunc concedendæ neceſſariò traditiones non ſcriptæ.

IX. 3. *Joh.* v. 13: *Multa habebam, qvæ ſcriberem vobis, ſed nolui per chartam & atramentum.*

X. 1. *Cor.* 15. 3. *Tradidi vobis, qvod acceperam.* E. traditiones dantur.

XI. 2. *Tim.* 3. 8. Paulus mentionem facit duorum Magorum, qvi reſtiterunt Moſi. E. ipſorum nomina nempe Jannes & Mambres, ex traditione accepit.

XII. Qvod hæretici ſemper rejecerunt, Patres verò probarunt, illud non rejiciendum. E. nec tradltiones.

XIII. Myſteria divina reqvirunt ſilentium, nec decet, ut in Scripturis, qvæ toti mundo leguntur, explicentur; hinc Chriſtus ſeorſim diſcipulis interpretabatur in parabolis, *Luc.* 8, 10.

RESPONDETUR.

Ad I. Eſt fallacia à dicto ſecundum qvid. Nam *multa illa*, non fuerunt ſimpliciter aliena ab iis, qvæ prius docuerat. 2. Fallacia diviſionis.

nis. Additur enim, *Spiritus S. docebit vos omnia*, qvod etiam factum. 3. Concedimus, non omnia, qvæ Christus dixit, vel fecit, ab Evangelistis scripta esse, sed negamus, aliqvid eorum non scriptum, qvod ad fidem & mores fuit necessarium.

Ad II. 1. Est ignorantia Elenchi. Agitur enim ibi non de doctrina, sed de factis & miraculis. E. concedimus non omnia καθ' ἓν esse scripta, interim omnia καθ' εἶδος scripta esse, qvæ ad salutem nobis sufficiunt. 2. Plura docuerunt in individuo, sed non in specie. Plures qvidem numero habuerunt Conciones, sed qvod alia dogmata fidei salvificæ in illis proposuerint, demonstrari non potest.

Ad III. Illa qvæ Christus post resurrectionem suam docuit de regno Dei, non (1) diversa fuerunt ab iis, qvæ ante resurrectionem docuerat. (2) Qvod autem pauciora dicta, & facta Christi post resurrectionem notata sunt, factum est, qvia non continuò, sed per intervalla Christus cum discipulis fuit versatus, uti liqvet, *Joh. 20. 26.*

Ad IV. Est (1) fallacia conseqventis. (2) Ignoratio Elenchi. Nam Apostolus non tàm de articulis fidei, qvàm de Adiaphoris & Ceremoniis ibi agit externis.

Ad V. Homonymia est in voce TRADITIONIS, qvæ significat qvamvis doctrinam qvovis modo, vel sine sermone, vel sine scripto traditam, vel doctrinam non scriptam oppositè ad Scripturam. In priori significatione loqvitur & accipit Apostolus. 2. Distingv. *inter rem, & rei modum.* Non seqvitur illam, sed hunc diversum fuisse, cum una eademqve diversis qveat fieri modis.

Ad VI. Nulla est consequentia, sed scopæ sunt dissolutæ. Per depositum enim intelligitur sacra Evangelii doctrina, non verò traditiones non scriptæ, qvod erat demonstrandum.

Ad VII. Negatur consequens, qvia per formam sanorum verborum non intelliguntur traditiones non scriptæ, sed ipsa scriptura, seu expressa Evangelii imago in scripturæ materia, & forma relucens.

Ad IIX. Negatur connexio. Nam audita possunt esse scripta qvoad sententiam, licet non totidem verbis.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027629733/phys_0113
Mecklenburg Vorpommern

Ad. IX. Fallacia est à dicto secundum qvid. Concedimus enim multa qvidem non esse scripta in brevibus illis Epistolis, indè verò inferri neqvit, qvod alibi non sint scripta. Adde 2. qvod hîc non sit qvæstio de numero verborum, sed de dogmatibus. Concedimus, verba singula non esse scripta, sed tamen singula dogmata.

Ad X. Fallacia est æqvivocationis in vocabulo Traditionis, qvod h. l. non pro non scriptâ traditione usurpatur, qvemadmodum fit à Pontificiis, sed pro scripto verbo, ut ex seqventibus Pauli verbis satis superqve intelligitur.

Ad XI. Est petitio principii. Hoc enim non ex traditione, sed ex divina revelatione, ex qva ut cætera omnia, qvæ in hac Epistola extant, ut & aliis omnibus, sic hæc qvoqve accepit, & scripsit.

Ad XII. Non omne, qvod ab hæreticis rejicitur, bonum est, proindeqve retinendum, & defendendum, cum sola Scripturæ falsa interpretatio, & abusus hæreticum faciat. 2. Falsum est, qvod traditiones nonscriptas semper rejecerint, & ex Scripturis disputaverint hæretici.

Ad XIII. *Aliud est proponere mysteria, aliud verò intelligere*; de posteriori, non priori loqvitur argumentum. Scripturæ verò lectio, prædicatio, & explicatio diversos fines pro diversitate auditorum habent. Nam dignitas mysteriorum magis in manifestatione, qvàm occultatione consistit.

QVÆSTIO. IIX.

An Scriptura sit judex vel norma Controversiarum fidei? Affirm. in Textu.

NEGATUR.

I. Ab exemplo Politiæ mundanæ. In omni benè constituta republica Lex & judex sunt res distinctæ. E. & hic.

II. A Scripturæ imperfectione. Scriptura varios sensus recipit, nec potest ipsa dicere, qvis sit verus sensus. Item Scriptura non potest interpretari seipsam. E. non potest esse judex.

III. Ab eorum, qvi Scripturam judicem agnoscunt, dissensione; si sufficiens esset Scripturæ judicium, convenire inter se possent ii, qvi Scripturam pro norma agnoscunt.

IV. Hæ-

IV. Hæreticorum ad Scripturam provocatione. Nullus autem provocat ad eum judicem, à qvo scit se condemnatum iri.

V. A judicis conditione. Judex debet videri & audiri ab utraqve parte litigante, debet etiam habere autoritatem coactivam, alioqvin non erit, nec esse poterit controversiarum finis.

VI. Nec Scriptura, nec Spiritus S. potest esse talis judex, qvia non potest sententiam pronunciare, ut evidenter sciatur, alteram partem vicisse, alteram errare. Neqve dicit, tu erras, tu non.

VII. A dogmate necessariò credendo, qvod tamen in Scriptura non extat, ut est Adventus Antichristi; Item Pœdobaptismus. Item qvod baptizati non sint rebaptizandi.

IIX. Ab accessu libero ad Ecclesiam. Illam enim possunt adire omnes, qvod de Scriptura dici non potest.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter administrationem Politicam, & Ecclesiasticam.* Ab ea ad hanc argumentari non licet. 2. Est petitio principii. Datur præter Scripturam & judex inferior Ecclesia, & superior Spiritus S. 3. Distingv. *inter judicium absolutum, & restrictum.* Illud locum hîc non habet, sed hoc nempe limitatum, vel restrictum ad verbum Dei.

Ad II. Est 1. petitio principii. Nam de sententia alicujus principis potest esse controversia, qvam tamen nemo Judex melius dirimet, qvàm ipse dirimet princeps, cum qvilibet sit optimus interpres verborum suorum. 2. Fallacia accidentis. Qvod enim ab hæreticis Scriptura in varios detorqveatur sensus, ex accidenti est, nec propterea desinit unus proprius & perspicuus scripturæ sensus.

Ad III. Distingv. *inter potentiam, & actum.* Scriptura potens qvidem, suaqve natura propter perfectionem, & perspicuitatem ad dirimendas controversias sufficiens esset, sed vitio improbitatis humanæ contingit, ut effectus pro actu non semper seqvatur.

Ad IV. Fallacia 1. est Accidentis. Malitia hominum fit, qvod ad Scripturas provocent, à qvibus tamen se condemnandos sciunt. 2. Distingv. *inter sententiam probatam, & planè agnitam.* Scriptura sanè profert sententiam suam, qvæ tamen ab omnibus non cognoscitur.

tur. 3. A negatione hujus commendationis, & scientiæ ad negationem ipsius rei nulla est consequentia.

Ad IV. Distingv. *inter judicium Fori, & Poli: Politicum magisterium, & Ecclesiasticum ministerium.* Ecclesia, ut non est de hoc mundo, ita qvoqve non regitur modo hujus seculi. 2. De judice Authentico non valet; sufficit enim ejus vocem audiri ab omnibus in scriptis propheticis, & Apostolicis. 3. Distingv. *inter vim coactivam externam, & internam persvasionem.* Non qvidem illa, sed hæc movet, qvæ sufficit ad illuminationem, conversionem, & informationem eorum, qvi non pertinaciter Spiritui S. resistunt.

Ad VI. Distingv. *inter judicem, controversiam rectè justèq; decidentem, & inter judicem partem ream, ac in judicio damnatam, ut in sententia acqviescat, cogentem.* Id præstat omnis judex, hoc non omnis, vel qvia potestatem exeqvendi non habet, vel qvia ob certas causas suspendit, qvemadmodum facit Christus & Spiritus S. 2. Distingv. *inter judicium generale, seu discretivum, & speciale, seu executivum.* Discretivum est, qvando generaliter præscribo, qvid justum sit. Executivum est, qvando specialiter fit applicatio. Non hoc, sed illo modo judicat.

Ad VII. 1. Est petitio principii. Omnia enim illa dogmata, qvæ ab adversariis adducuntur, ac si in Scripturis non haberentur, ex scripturis demonstrari possunt.

Ad IIX. Est petitio principii; & 2. Insufficientissima enumeratio. Non enim usu tantùm, seu actione, sed & auditu, seu auscultatione Scripturæ consulunt. 3. Fallacia est oppositionis: Qvanqvam non immediatè, mediantibus tamen aliis omnes Scripturam accedere possunt.

QVÆSTIO IX.

An V. T. in N. sit abrogatum, ut legi amplius non debeat? Negatur.

AFFIRMATUR.

I. *Matth. 11. 13. Lex, & Prophetæ usq; ad Christum.*

II. *Omnes, qvi ante me fuerunt, fuerunt fures & latrones, Joh. 10. 8.*

III. Solus Christus est audiendus. E. non Moses non Prophetæ; *Matth. 17. 5.*

IV. *Ser-*

IV. *Servus non manet in domo in æternum, sed Filius, Joh. 8. 35.* Moses est servus, *Hebr. 3. 5.*

V. Finis legis est Christus. E. per adventum Christi Moses cum lege sua est abrogatus.

VI. Moses habet velamen, qvod per Christum tollitur, *2. Cor. 3. 14.* E. Moses per Christum sublatus est.

VII. Novum T. ad salutem sufficit. E. Vetus est inutile.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter doctrinam legis & Prophetarum, & umbras in lege ceremoniali contentas.* Non de illa, sed de his loqvitur dictum.

Ad II. Distingv. *inter Doctores veros, & falsos.* Omnes enim qvi, ante Christum fuêre, & non sunt ingressi per ostium in caulam ovium, sed aliundè ascenderunt, seu se ipsos fecerunt ostium, vel qvovis modo aliud ostium præter Christum monstrarunt, illi fuêre fures & latrones.

Ad III. Filius Dei auditur duobus modis, vel mediatè, vel immediatè. Immediatè, qvando ipse, ut Filius Dei & Deus loqvitur: Mediatè, qvando per servos suos loqvitur. Utroq; modo audiend⁹ est.

Ad IV. Loqvitur major non de qvovis servo, sed de servo peccati, qvalis Moses non fuit.

Ad V. Est fallacia figuræ dictionis. In Græco enim habetur, *τέλος νόμω*, qvæ vox à qvibusdam explicatur *τελείωσις perfectio.* 2. Si maximè per vocem FINIS vox *τέλος* reddenda, tum locus intelligendus tantùm de ceremoniis & umbris, minimè verò de doctrina, & obedientia morali.

Ad VI. Confunditur Moses cum lege sua, & velamine, qvod lex habet. Velamen sublatum est, non Moses.

Ad VII. Fallacia est conseqventis. Eodem modo enim etiam inferri potest. Una Epistola Pauli ad salutem sufficit. Ergò reliqvæ Epistolæ, & Evangelistæ, &c. sunt inutiles.

LOCUS V. DE ANGELIS IN GENERE.

QVÆSTIO I.

An sint, seu extent Angeli? Aff in Textu.

NEGATUR.

I. Nullam eorum facit mentionem Moses in opere creationis, qvod crea-

creati sint, cum tamen aliarum creaturarum productionem exactè describat.

II. Nec dicitur ab ipso qvando creati sint, nec ab aliis probatur.

III. Si Angeli existerent, conspicerentur ut aliæ creaturæ.

IV. Non sunt in loco, qvod tamen de aliis rebus creatis affirmari potest.

RESPONDETUR.

Ad I. Moses voluit in ea commemorare Dei opera, qvorum pleraqve obvia essent oculis humanis, vel simplicitati studens, vel idololatriam præcavens. 2. Aliud est explicitè, aliud implicitè commemorare aliqvid. Hoc modo dicitur, *Gen. 2. 1.* Deus compleviſſe cœlum & terram cum omni exercitu suo, cujus pars non minima sunt Angeli.

Ad II. Variant hîc Autores. Qvidam enim eos ante mundum corporeum conditos, & ita ab æterno extitisse, *Joh. 8. 44. & Matth. 18. 10.* putant. Qvidam simul cum mundo, *Ecclesiast. 18. 1.* Ubi omnia simul facta esse dicuntur. Qvidam post mundum, qvippe qvi custodes hominum dicuntur, creatos esse statuunt; sed ut-ut sit, ab ignoratione nostra ad rei negationem N.V.C. Est E. fallacia consequentis.

Ad III. Distingv. *inter res corporales, & spirituales.* Illæ, non hæ videri possunt. Qvin 2. nec anima nostra esset, cum similiter conspici non possit.

Ad IV. Fallacia est (1) à dicto secundum qvid. Res enim corporales sunt propriè in loco, non spirituales. (2) Distingv. *inter locum propriè dictum, & UBI.* In hoc, non illo Angeli esse dicuntur.

QVÆSTIO II.

An Angeli sint Spiritus? Aff. in Textu.

NEGATUR.

I. Angeli sunt in certo loco, qvia non sunt ubiqve. E. corporei, & non Spiritus.

II. Localiter moventur, *Matth. 4. 11. Luc. 1. 26.*

III. Qvicqvid ut corporeum apparet, nec præstigiis ludit, nec homines fallit, verè corporeum est.

IV. An-

IV. Angeli sunt finiti. E. Corporei.

V. Patres qvidam, ut *Tertullianus*, *Bernh.* *Ambr.* & alii corporeos eos appellant.

VI. Angeli comedunt, & bibunt, ut ex historia Tobiæ constat, imò Manna angelicus cibus dicitur.

VII. Hominibus apparent.

IIX. Qvatenus corpus assumunt, eatenus sunt corporei.

RESPONDETUR.

Ad I. Aliud est, esse in loco propriè dicto, aliud UBI. In hoc, non in illo esse Angelos, manifestum est, qvia non sunt corpora. In loco verò sunt, *non qvidem corporaliter, sed intellectualiter*, ut loqvuntur.

Ad II. Aliud est *moveri localiter per se*, *aliud per accidens*. Per se motu locali non moventur, sed verè in momento esse possunt modo hîc, modò illîc, licet respectu nostri, & in corporibus assumptis, atqve sic per accidens locali motu videntur moveri.

Ad III. Fallacia est conseqventis. Non enim seqvitur, Angeli interdum, cum munera sua in his terris sibi demandata obeunt, apparent corporei: E. verè naturalibus præditi sunt corporibus. Possunt enim illa corpora, in qvibus apparent, vel aliundè assumere, qvemadmodum & assumunt.

Ad IV. Distingv. *inter finitatem internam essentiæ*, *& externam seu loci*; illa, non hæc Angelis competit.

Ad V. 1. Patres vocabulo σώματος usi sunt in significatione latiori, qvatenus pro substantia verè subsistente sumitur. 2. Sæpè ex aliorum sententia fuêre locuti. 3. Non intellexerunt corpora propria, sed assumpta. 4. Non absolutè, sed comparatè locuti fuerunt in collatione ad Deum, qvi solus est simplicissimus.

Ad VI. Distingv. *inter comestionem veram*, *& apparentem*. Hæc, non illa de Angelis affirmatur, *Tob. 12. 19.*

Ad VII. Distingv. *inter formam propriam*, *& alienam*, *vel assumptam*; in hac, non illa apparuerunt hominibus.

Ad IIX. Nulla est conseqventia; sic Christus assumpsit humanam naturam, & tamen est Deus. Ego assumo linteum, non statim sum linteus.

QVÆSTIO III.

An Angeli sint in loco propriè dicto? Neg. in Textu, ex eo qvod sint Spiritus.

AFFIRMATUR.

I. Angelus est substantia circumscripta. E. locus ei debetur circumscriptus.

II. Angeli mutant locum. Loco ergò circumscribuntur.

III. Loco definiri, & circumscribi est idem.

IV. Omne finitum est in loco, attestantibus Philosophis.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter circumscriptionem internam, & externam.* Ab illa ad hanc N.V.C.

Ad II. Angeli mutant locum respectu nostri, non sui. Ipsi enim in loco propriè non existunt, cum non sint corporei.

Ad III. (1) Est petitio principii. (2) Rectè intelligenda est hæc phrasis, *Loco definiri.* Si hunc habet sensum, à loco contineri, negamus id de Angelis. Si autem denotet modum existendi definitivum in eo, qvod ratione corporum locus est, concedimus.

Ad IV. Fallacia est causæ. Finitudo non constituit locum, sed habet superficiem confixam, & alterius corporis concavam. Neutra apud Angelos occurrit.

LOCUS VI. DE ANGELIS IN SPECIE.

QVÆSTIO I.

An singulis hominibus singuli vel unus, an plures à DEO assignati sint Angeli? Aff. posterius in Textu.

NEGATUR.

I. *Matth. 18. 10: Angeli eorum vident faciem Patris semper.* E. singuli Angeli sunt singulorum puerorum.

II. *Act. 12. 15. Fideles qvi in domo Marci congregati erant, dixerunt de Petro fores pulsante: Ipsius Angelus est,* non Angeli.

III. Ab authoritate *Lutheri, tom. 5. Jenens. p. 342. super 8. cap. Matth.* dicentis: Es zeuget die Schrifft / daß ein ieder Christ seinen eigenen

En-

Engel habe. Item in benedictione matutina, & vespertina: *Tuus Sanctus Angelus sit mecum*

IV. Authoritate *Augustini*, qvi *l. 1. medit. c. 12.* inqvit: *Maximum existimo beneficium, qvod ab ortu nativitatis meæ Angelum pacis ad me custodiendum usq; ad finem meum dedit mihi Dominus.*

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter dictum, & dicti explicationem* Illud, non hæc in Matthæo occurrit. Potest enim aliter qvoqve explicari.

Ad II. Dicitur hoc ex consvetudine. Antiqvitus enim creditum fuit, qvemlibet hominem, suum, illumqve unicum habere Angelum ab illoqve observari. Probabilius autem est uni homini plures Angelos esse additos, ut *Autor* ipse ostendit.

Ad III. Unius inclusio non est alterius exclusio. Dicit enim idem *Lutherus* loco allegato: Wenn die Seele außfähret / so stehet es voller Engel umbher / daß sie GOTT dem Allerhöchsten die Seele in den Schos tragen

Ad IV. Oratio *August.* 1. non tàm exclusiva, qvàm inclusiva est. 2. *Augustini* authoritas apud nos non plus valet, ac Authoritas Scripturæ.

QVÆSTIO II.

An boni Angeli à nobis sint invocandi? Neg. in Textu.

AFFIRMATUR.

I. *Gen. 48, 16: Angelus, qvi eripuit me de cunctis malis* (dicit Jacob benedicens filiis Josephi) *benedicat pueris istis.* Ubi Angelum Jacob invocavit.

II. *Job. 5. 1: Voca ergò, si est, qvi tibi respondeat, & ad aliqvem sanctorum convertere.*

III. *Apoc. 1. 4. Gratia vobis sit & pax ab eo, qvi est, qvi erat, & qvi venturus est, & à septem spiritibus, id est, Angelis.* Procul dubio ergò debebitur illis invocatio.

IV. Angeli de nostris necessitatibus speciatim sunt solliciti, & speciatim pro nobis intercedunt.

V. Preces nostras Deo offerunt, *Tob. 12. 12.*

VI. Patres qvoqve, & concilia hoc statuerunt.

Regional-bibliothek Neubrandenburg http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027629733/phys_0121 Mecklenburg Vorpommern

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. 1. *inter Angelum creatum, & increatum*, qvi est ipse Filius Dei; de hoc, non illo testimonium hoc est intelligendum, uti patet tum ex calamitatibus, ex qvibus ab hoc Angelo fuit liberatus, qvales fuerunt 1. odium & insidiæ fratris Esavi. 2. Paupertas, & mercedis inopia; 3. Persecutio Labani; 4. Esavi, occursus & Israëlitarum odium: tum ex bonis, qvæ ab hoc Angelo accepit, ut est (1) Benedictio spiritualis seu superna. (2) Multiplicatio seminis super terram, qvæ omnia ab Angelo creato fieri non poterant. II. Fallacia est Divisionis: Angelus enim ille, *v. 15. Deus Abrahæ, &c. c. 20. 21. Jehova* appellatur.

Ad II. Fallacia est figuræ Dictionis. 1. Per sanctos ibi neqve Angeli, neqve demortui homines intelliguntur. 2. Per vocationem non invocatio, sed auxilii imploratio, circumspectio, & testimonii applicatio intelligtur, ut sit sensus: Ostende aliqvem sanctorum, qvicunqve talia præter culpam, & meritum perpessus sit, sicuti tu absqve omni merito tuo istiusmodi calamitates tibi accidisse suspicaris.

Ad III. Homonymia est in voce SPIRITUS, qvæ h. l. S. Spiritum notat ex qvorundam sententia, qvi unus est persona, sed communicatione donorum ita operans, ac si esset septuplex.

Ad IV. Fallacia est consequentiæ. Ex scientia enim Angelorum non concluditur invocatio. Reqviritur enim ad invocationem mandatum, promissio & exemplum.

Ad V. Distingv. *inter oblationem precum* ἱστορικὴν *historicam*, & ἱλαστικὴν *propitiatoriam*; Illo, non hoc modo Deo preces offeruntur. Solus enim Christus merito suo effecit, ut preces nostræ Deo gratæ sint ac acceptæ. *Nulla est grata Deo nisi Christus filius ara*, ut habet vulgaris versiculus.

Ad VI. Patribus opponimus Patrem, qvi est in cœlis, antiqviorem hisce omnibus, qvi invocationem improbat, ut humana autoritas illam nobis persvadere non possit.

QVÆSTIO III.

An Deum deceat, Diabolo imperium super pios concedere? Aff. in Textu.

I. Ob peccata & nævos, qvi piis etiam adhærent, qvibus Deus hâc casti-

stigatione vult in memoriam revocare fugam eorundem, teste Paulo, 2. *Cor.* 12. 7.

II. Ne fides, virtutesqve reliqvæ langvescant, qvam causam, *Lutherus super c. 8. Matth.* adducit.

III. Ut bonitas, & misericordia Dei ex liberatione ab hujusmodi tentationibus perspiciatur.

IV. Ut potentia ejusdem conspiciatur, qvod ultra permissum Dei Diabolus sævire non possit.

NEGATUR.

I. Justitiæ Dei repugnaret, si imperium in pios, utpote nihil merentes, Diabolo concederet.

II. Et misericordiæ ejus, qvam vult piis exhibere, & conferre.

III. Deus efficeretur Tyrannus.

IV. Preces nostras non exaudiret, qvando oramus: *Ne nos inducas in tentationem*, de qvarum exauditione non dubitamus.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter imperium absolutum, & limitatum, vel determinatum.* Illud, non hoc Deum injustitiæ arguere videtur.

Ad II 1. Misericors est Deus, ita tamen, ut simul sit justus. 2. Et hoc ipso, qvod super pios Diabolo imperium permittit, suam ostendit misericordiam, ut argumento tertio dictum fuit.

Ad III. 1. Repetatur distinctio ad primam objectionem data. 2. Addatur hæc limitatio, si absqve ulla causa hoc faciat, qvod non fit, uti ex argumento primo patet.

Ad IV. Distingv. *inter tentationem probationis, & seductionis*; non de illa, sed de hac verba in oratione Dominica intelliguntur, vel 2. *Ne inducas nos in tentationem*, ut ab ea vincamur & succumbamus, sed ut vincamus & tandem triumphemus, ut *Lutherus* explicat.

LOCUS VI. DE HOMINE.

QVÆSTIO I.

An tribus homo partibus essentialibus, animâ, corpore, & Spiritu, an verò duabus, anima, & corpore constet? Aff. posterius in Textu.

NEGATUR.

I. Ab authoritate Apostoli, 1. *Thess.* 5. 23. Expressè enim ibi partes tres

hominis essentiales numerat dicens: *Integer vester 1. Spiritus, & 2. anima, & 3. corpus servetur.*

II. Epist. Hebr. 4. 12. ita habet: *Sermo Dei pertingit usq; ad divisionem animæ, simulac Spiritus, compagumq;, & medullarum.* Ubi Spiritus ab anima, & corpore, ejusqve compagibus manifesto discrimine sejungitur.

III. A contrario. Philosophi enim cœci duas illas partes constituerunt, qvibus perfectè homo à brutis discerni neqvit.

IV. Ab officio hominis. *Anima'is enim homo non percipit ea, qvæ sunt spiritus, 1. Cor. 2.* E. Spiritualis verè est homo, tribus hisce partibus definitus.

RESPONDETUR.

Ad I. Una eademqve anima utroqve vocabulo significatur. Vocatur enim Spiritus, ut est prædita intellectu, vel potius ut renovata est à Spiritu S. anima verò secundum substantiam, qvatenus corpus informat.

Ad II. Ignoratio est Elenchi. Non enim ibi intelligitur tertia pars corporis, & hominis, sed per animam intelliguntur omnes affectus, per Spiritum verò facultates & vires, qvæ non sunt ab anima juxta qvorundam interpretationem distinctæ.

Ad III. Petit. esse principii: per τὸ rationale enim, seu differentiam suam specialissimam differt homo ab omnibus animalibus brutis.

Ad IV. Distingv. *inter hominem naturalem carnalem, & spiritualem.* De carnali (h. e. veteri animali) dictum valet non de naturali, de qvo qvæstio loqvitur.

QVÆSTIO II.

An hominis anima sit immortalis? Aff. in Textu.

NEGATUR.

I. Ecclesiastes dicit, c. 3. 19: *Sicut moritur anima, sic & homo. Et Spiritus idem omnibus, & amplius homini, qvàm jumento nihil est.*

II. *Matth. 10. 28.* diabolus dicitur *perdere animam*, vel destruere.

III. Nascitur, E. corrumpitur. Omne enim, qvod nascitur, corrumpitur qvoqve.

IV. Forma cum eo, cujus est forma, interit.

RESPON-

RESPONDETUR.

Ad I. Non loqvitur Ecclesiastes ex veritate, sed ex judicio vulgi, seu fortunæ externæ. Contrarium enim habet, *c. 12. 7. Spiritus*, inqviens, *redit ad Deum*, qvi dedit eum, vel. 2. Distingui potest *inter moriendi necessitatem, & conditionem post mortem*; de illa, non hac loqvitur Ecclesiastes.

Ad II. Distingv. *inter mortem primam, & secundam.* Non de illa, sed de hac verba allegata intelliguntur.

Ad III. Per limitationem propositionis h. m: Qvicqvid nascitur ex materia, vel elementis, illud corrumpitur, qvod de anima affirmari non potest.

Ad IV. Distingv. *inter formam separabilem, & inseparabilem, vel ex potentia materiæ productam.* De hac, non illa valet objectio.

QVÆSTIO III.

An anima rationalis propagetur per traducem?

Aff. in Textu. Negatur:

I. Si anima per se subsistit, seqvitur qvod sit per se & absqve corpore producta.

II. Anima est indivisibilis. E. traduci non potest.

III. Ab absurdo. Propagaretur anima vel tota, & sic periret anima parentis, vel pars, & sic anima esset divisibilis, qvæ omnia sunt absurda.

IV. A generationis proprio. Omnis forma per veram generationem producta à corpore separata interit, anima verò non.

V. Anima primi hominis fuit inspirata. E. & hominum reliqvorum.

VI. Dat Deus Spiritum, *Heb. 12. 9.* vivificationem, *Job. 33. 4.*

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter substantiam perfectam, & imperfectam.* Argumentum procedit de perfecta, non imperfecta substantia, qvalis datur in anima, qvæ licet privilegio qvodam singulari extra corpus subsistere possit, non tamē eo perfectionis modo subsistit, qvo in corpore.

Ad II. Distingv. *inter eductionem, & traductionem; Non illam, sed hanc nos hic intelligimus.* Illa enim primo fit ex potentia materiæ. 2. Naturales conditiones subinfert, non verò traductio, qvæ à nobis hic accipitur pro translatione & eductione rei, mediante alia,

Ad III.

Ad III. Potius prius seqveretur, animam scilicet totam traduci, non autem eam, qvæ est patris, sed ejus similem, qvam anima secundum virtutem producere potest.

Ad IV. Generatio merè Physica, seu eductio formæ ex materia confunditur cum traductione, qvæ uti dictum, aliqvid extraordinarii adjunctum habet.

Ad V. Distingv. *inter ordinem constituendum, & constitutum.* Productio animæ in Adamo erat in ordine naturæ constituendo, nobis verò jam sermo est de ordine naturæ constituto.

Ad VI. Distingv. *inter operationem mediatam, & immediatam*: Non immediatè, sed mediatè dat Deus Spiritum, qvo modo & vivificare dicitur.

QVÆSTIO IV.

An brutorum animæ post discessum à corporibus superstites maneant?

NEGATUR.

I. Ab origine harum animarum, qvæ in esse à potentia materiæ dependent, ut ita post separationem à materia neutiqvam subsistant.

II. A natura earum. Sunt enim entia incompleta, & per se non subsistunt.

III. Ab absurdo. Essent enim frustra hæ animæ, & nullus earum esset usus.

IV. Ab authoritate Scripturæ, *Gen. 2. 7.* Fuerunt illæ unà cum corpore productæ, non seorsim ut anima hominis.

V. Ab operatione. Per se enim non operantur. E. per se qvoqve non existunt.

AFFIRMATUR.

I. A natura Spiritus. Nullus enim Spiritus interire potest.

II. Ab absurdo; *Ex Scalig. exerc. p. 307. sect. 14. & 20.* Si aliqva substantia ita potest corrumpi, ut fiat nihil, tùm ex nihilo conversa naturæ opere poterit fieri substantia aliqva, & ita creatio naturalis possibilis.

III. A minori ad majus. Si materia ex mente Aristotelis potest esse æterna, multo magis forma. At illud est, ut constat, *1. Physic. cap. 19.*

IV. A

IV. A sufficiente enumeratione. Corruptio enim animæ fieret, vel in ens, vel in non-ens, vel in principium entis, qvod tamen non fit.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter Spiritum propriè dictum, & corpori oppositum, & spiritum corporeum, vel ex corpore ortum.* De illo, non hoc valet objectio.

Ad II. Nihil negativum confunditur cum privativo, seu qvod idem est, corruptio cum annihilatione. De nihilo negativo valet *Scaligeri* sententia, non verò de privativo, & corruptione, de qva hic nobis sermo est.

Ad III. Diversitas est in exemplo. De materia *Aristotelis* argumentum procedit, ideò qvia est subjectum, in qvod resolvuntur omnia ultimò, qvod de forma dici non potest.

Ad IV. Confunditur non ens negativum cum privativo, ut in ~~primi~~ secundi absurdi solutione dictum est.

LOCUS IIX. DE IMAGINE.

QVÆSTIO I.

An imago Dei in homine propter lapsum primorum parentum sit amissa? Aff. in Textu.

NEGATUR.

I. Omnia in mundo obtemperant homini. E. Homines adhuc gerunt imaginem Dei. Fuit enim dominium super creaturas particula imaginis Dei.

II. *Genes. 5.3.* Adam genuit Seth ad imaginem suam; E. mansit imago Dei in homine, qvia ille ad imaginem Dei erat conditus.

III. *Gen 9.6.* Ideò prohibetur hominis sangvis effundi, qvia ad imaginem suam Deus hominem fecit.

IV. *Sap. 2.28.* Creavit Deus hominem in integritate, & ad imaginem propriæ similitudinis fecit illum.

V. *Jacob. 3.9.* Lingva maledicimus hominibus, qvi ad similitudinem Dei facti sunt.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter partem imaginis divinæ principalem, & minus principalem.*

Minus principalis pars imaginis divinæ est dominium super creaturas. 2. *Inter plenarium dominium, & diminutum, seu debilitatum;* non illud, sed hoc homo obtinet.

Ad II. Est petitio principii. 2. Invertendum est argumentum. Quia enim Adam non ad primævam illam imaginem Dei, sed (notanter) ad suam peccato corruptam imaginem dicitur filios genuisse, utiq; in ipso imago Dei perierat.

Ad III. Fallacia est æqvivocationis in vocabulo imaginis Dei, qvod variè sumitur: 1. Generaliter & latè pro generali qvadã congruentia, & analogia, qvâ anima hominis qvædam τὰ θεῖα exprimit, ut qvod immortalis, incorporea sit. 2. Pro dominio in creaturas. 3. Pro principiis nobiscum natis, & 4. Strictè pro justitia, & sanctitate vera, uti author noster describit. Ad tollendam objectionem facit significatio vocabuli imaginis tertia, qvatenus adhuc in mente hominis reliqvæ sunt notitiæ practicæ, qvæ interfectorem à cæde humana revocare meritò possunt.

Ad IV. *Liber sapientiæ* loqvitur de homine, non qvalis nunc est, sed qvalis à Deo fuit creatus. Adversativa enim seqvitur, *vers. 24. ejusd. cap.*

Ad V. Distingv. *inter imaginis verum formale, & externum ejus ornamentum.* Non de illo, sed hoc, imperii nimirum dignitate intelligenda est objectio.

QVÆSTIO II.

Num imago Dei fuerit ipsa hominis substantia?

Neg. in Textu.

AFFIRMATUR.

I. Imago dat esse homini integro; E. forma fuit, & substantia.

II. Fuit essentialis. E. non accidens.

III. Est, vel subsistit imago Dei, asserente authore nostro in definitione imaginis divinæ.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter esse absolutum, & modificatum;* Illud à substantia, hoc ab accidentibus venit. Imago Dei dat esse qvidem modificatum homini, ut justus & sanctus esset, non verò absolutum, ut homo esset.

Ad II.

Ad II. Distingv. *Inter essentiale constitutivum, consecutivum, & perfectivum.* Perfectivum fuit imago Dei.

Ad III. Aliud est esse, aliud subsistere. Accidentia etiam esse possunt, sed tamen non subsistunt, aliàs enim, & ipsæ substantiæ essent, qvod absurdum.

QVÆSTIO III.

An imago Dei extrinsecum qvoddam, & supernaturale donum fuerit, qvod sine corruptione naturæ auferri potuerit? Neg. in textu.

AFFIRMATUR.

I. *Gen. 3. 19. Pulvis es & in pulverem reverteris.* Si E. homo natura fuit pulvis, & fragilis originaliter, justitia naturalis esse non potuerit.

II. *Ps. 8. 5. Qvid est homo, qvod memor es ejus? Gloria, & honore ornasti eum.* Gloria verò & honor est extrinsecum qvoddam.

III. Testimonio Ecclesiastici, *c. 17. 2. Deus hominem vestivit virtute.* Comparatur ergò justitia vestimento, qvod semper est qvoddam extrinsecum.

IV. *Luc. 10. 30. Homo spoliatus, & sauciatus extrinsecè* ea tantùm bona animi amisit, qvi typus fuit Adami.

V. Si justitia fuit naturalis, seqvitur & nos fuisse naturales filios Dei. At solus λόγ☞ est essentialis, & naturalis imago Patris.

RESPONDETUR.

Ad I. Est 1. fallacia φράσεως. Qvia verba *pulvis es*, non loqvuntur de conditione corporis, qvale fuit à Deo conditum, sed de prima ejus origine è terra. 2. Fallacia conseqventiæ. Disputamus hîc de qvalitate animæ, dictum verò loqvitur de corporis humani origine.

Ad II. Verba *Ps. 8.* juxta Spiritus S. interpretationem, *1. Cor. 15. 27.* de Christo primò intelligi debent, non de Adamo. 2. Non omnis gloria est extrinsecum aliqvid, ut ita committatur petitio principii hâc assertione. Neqve 3. seqvitur, primus homo qvibusdam naturalibus donis à Deo coronatus est. E. ipsa justitia originalis tale donum fuit.

Ad III. *Ecclesiasticus* non est in Canone, ac proindè ad dogmatum con-

firmationem non sufficit. 2. Vocabulum *vestiendi* est metaphora, sumptum non semper de indumento externo, sed interno, & de partibus internis usurpatur, ut *Job. 10. 11.* videre est.

Ad IV. 1. Theologia Allegorica non est argumentativa. 2. Extra scopum parabola extenditur, qvæ non statum adumbrat, sed tantùm doctrinam de proximo & officio charitatis explicat.

Ad V. Æqvivocatio est in vocabulo filii naturalis, vel enim significat eum, qvi ratione essentiæ est imago Dei, qvi solus est naturalis Dei filius, vel eum, qvi ad imaginem Dei creatus est, qvo respectu Adamus filius Dei naturalis fuit, ut ita ille sit filius non per naturam tantùm, ut Christus, sed per naturam partim, partim per gratiam.

LOCUS IX. DE LIBERO ARBITRIO.

QVÆSTIO I.

An terminus, vel vox liberi arbitrii in Theologia sit usurpanda? Affirm. in Textu.

NEGATUR.

I. Ab exemplo aliorum Theologorum, qvi hunc articulum inscribunt de viribus humanis, uti *Chemnitius*, & alii, ad vitandum periculum, qvod ex termino liberi arbitrii pervenire potest.

II. Pelagiani suam sententiam hâc ratione optimè stabilire possunt de sufficientia hominis naturali, applicandi sese, & præparandi ad gratiam divinam.

III. Est ταυτολογία. Nam arbitrium in sua natura est liberum, nec opus est, ut per ταυτολογίαν vox illa (liberum) addatur.

IV. Neqve homo se liberè habet ad bonum & malum; Bonum enim neqvaqvam vult, sed malum non potest non velle.

V. Neqve in rebus civilibus datur qvidem ejusmodi arbitrium. Si enim daretur, non tam turpia flagitia de præstantissimis viris legerentur, ut constat de *Alexandro*, *Hercule*, & aliis.

VI. *Lutherus in libro de servo arbitrio* nominat hanc vocem titulum sine re.

RE-

RESPONDETUR.

Ad I. 1. Res eodem recidit, sive de viribus humanis articulus inscribatur, seu de libero arbitrio: tantundem enim periculi ex priori, qvantum ex posteriore hac antiqva inscriptione est extimescendum. 2. Est fallacia divisionis. Addit enim *Chemnitius* statim vocem liberi arbitrii.

Ad II. Distingv. *inter vocabuli alicujus usum, & abusum*; si propter abusum vocabula statim essent rejicienda, qvis terminus Theologicus in Ecclesia amplius obtineret?

Ad III. Est petitio principii 1. Cum vox illa adjecta sit ad notandam excellentiam gradus in libertate, perindè ac si qvis liberrimam libertatem nominat eam voluntatis δύναμιν, cui nihil prorsus impedimenti est oppositum. 2. Ideò addita est, ut intelligi possit arbitrium, non coacto propriè, sicuti spontaneum, sed servo, ut *Lutherus* ait, opponi.

Ad IV. Respondet *Bernh. de libero arbitrio*; Non indè *dictum esse liberum arbitrium, qvod æqvâ inter bonum, & malum potestate, & facultate versetur, alioqvin nec Deus nec Angeli, seu boni seu mali, arbitrii liberi esse dicerentur, sed ex eo potius dicitur liberum arbitrium, qvod seu in bono seu in malo æqvè liberam facit voluntatem, cum nec bonus qvispiam, nec malus dici debeat, aut esse valeat, nisi volens.*

Ad V. Fallacia est secundum non causam, & distingv. *inter liberum arbitrium*, qvà tale, & qvatenus impeditur, vel naturali pravitate, vel Diaboli malitia, vel malis exemplis aliorum. Hoc, non illo modo fit, ut sæpius homines sapientissimi qvoq; in enormia peccata delabantur.

Ad VI. Distingv. *inter res spirituales, & civiles.* De illis, non de his effatum *Lutheri* accipiendum est.

QVÆSTIO II.

An liberum arbitrium sit facultas, ut Author describit, an verò actus? Prius Aff. in Textu.

NEGATUR.

1. Qvia in pueris & dormientibus liberum arbitrium non datur, cum rationis & voluntatis actum non exerceant.

II. Dicitur in anima rationali facultas tertia, qvæ neqve intellectus neqve voluntas esset, sed facultas, qvod absurdum.

III. Liberum arbitrium non esset amissum, qvia potentia illa & facultas adhuc adesset.

RESPONDETUR.

Ad I. Petitio est principii, & distingvendum *inter actum, & potentiam*. Licet enim liberè non agant, liberum tamen arbitrium, vel potentiam liberè agendi habent.

Ad II. Consideratur liberum arbitrium, vel ratione ἕξεως, vel ratione ἐνεργείας. Si illius ratione, tunc est ipsa voluntas, non facultas tertia; si hujus, neqve tamen est facultas tertia, sed vis qvædam particularis, vel facultatum potius perfectio.

Ad III. Distingv. *inter liberi arbitrii essentiam, & operationem*. Qvatenus priori modo spectatur, non est amissum, sin verò posteriori, h. e. ut vis est operandi bonum Theologicum, vel præcepta Domini, tùm sanè potentia illa per lapsum amissa, ut rectè ex multis Scripturæ dictis asseritur.

QVÆSTIO III.

An homo non renatus habeat liberum arbitrium in rebus spiritualibus? Neg. in Textu.

AFFIRMATUR.

I. Aut frustra & absre Spiritus S. præceptiones, exhortationes, comminationes, promissiones in Scripturis traditas inculcat, si nihil hujusmodi viribus naturalibus præstare possunt, aut libertas adhuc, & integritas aliqva mentis, & voluntatis erit reliqva. Prius cogitatu est impium, & absurdum. E. valebit posterius.

II. *Devt. 28. 1. Si audiendo audiveris vocem Domini Dei tui, venient super te omnes benedictiones.* E. in nostra potestate est audire verbum.

III. *Zach. 1. 3. Convertimini ad me, & salvi eritis omnes fines terræ.* E. possumus nos convertere.

IV. *Prov. 1. 24. Vocavi vos, & non respondistis. Matth. 23. 37. Volui congregare filios tuos, & noluistis.*

V. *Gen 4. 7: Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illi.*

VI. *1. Cor. 7. 1: Mundemus nos ab omni iniqvitate carnis.* E. mundare nos possumus.

VII. Ec-

VII. *Eccleſiaſt. 15. 17: Reliqvit Deus hominem in manu conſilii, propoſuit illi vitam, & mortem, & utrum elegerit, dabit illi.*

IIX. *1. Cor. 9. 17: Si volens hoc ago mercedem habeo.*

IX. *Deut. 30. 11. Præceptum qvod præcipio tibi, hodiè non eſt ſupra te, ſed in ore, & corde tuo.*

X. *Eph. 5. 26. & 27. Sanctificavit eam lavacro aqvæ in verbo, ut ſiſteret eam ſanctam, non habentem maculam, aut rugam.*

XI. Si non eſſet libertas arbitrii, non eſſent alii boni, nec aliis bonis meliores, qvod falſum: Bonum non fluit à voluntate.

RESPONDETUR.

Ad I. Inſufficientem eſſe enumerationem. Uſus enim iſtarum præceptionum, exhortationum, comminationum, & promiſſionum datur tum ratione ipſius Dei, tum ratione hominum. Ratione Dei (1) ut qvid jure ab homine flagitare poſſit, oſtendat. (2) Ut Deus ſe extra culpam eſſe teſtetur. Si id homines præſtare neqveant, ad qvod tamen jure ſunt obligati. (3) Ut hoc pacto corruptionem naturæ noſtræ ob oculos ponat. Et deniqve 4. ut de alieno auxilio nobis proſpiciendum eſſe nos admoneat. Ratione hominum (I) piorum hîc uſus eſt; (α) colligunt indè, in qvanta felicitate primus noſter parens Adamus conſtitutus fuerit. (β) Paternam Dei pro ſalute hominum curam agnoſcunt. (γ) Imperfectionem, & corruptionem naturæ ſuæ tantò ardentius deplorant, & (δ) pleriqve indè addiſcunt, qvid in qvotidianis precibus à Deo potiſſimum ſit flagitandum. Ratione hominum (II) Impiorum 1. illi exhortationibus, & comminationibus tanqvam fulminibus vehementius terrentur. 2. Ad converſionem magis indè flectuntur. Et 3. Si fructus iſte non ſubſeqvatur, hoc pacto inexcuſabiles redduntur. 4. Omnis excuſationis materia illis præciditur.

Ad II. Poſitâ 1. conditione, non ſtatim ponitur conditionis implendæ facultas. 2. Locutio iſta conditionalis non de noſtra, ſed Dei voluntate teſtatur, h.e. non qvod ex nobis velimus, aut poſſimus, ſed qvod Deus velit, oſtendit. Deindè diſtingv. *inter verbum Dei audire, & audito credere*, qvod poſterius ex poteſtate noſtra non eſt.

Ad III. Eſt ignorantia Elenchi. Iſta enim exhortatio reſpectu hominum

minum non activè, sed passivè est intelligenda eodem ferè modo, qvo Salvator compellat filiam Jairi mortuam, dicens: *Surge puella*; ex qvo tamen non seqvitur, qvod propriis viribꝰ surrexerit.

Ad IV. Distingv. *inter vellе externum, & internum.* Non de hoc, sed de illo Christus loqvitur. Sic Judæi potuissent audire verbum Dei, & illud ex parte meditari, qvod facere noluerunt.

Ad V. Disting. *inter res externas, & rationi subjectas, & spirituales*; de illis valet locus allegatus, non de his. Agit de fratricidio, qvod animo cogitabat *Cainus*, à qvo certè abstinere, & sic ex propriis viribus naturalibus sibi temperare potuisset.

Ad VI. Est ignorantia Elenchi: & distingv. *inter homines renatos, & non renatos*; de his qvæstio nostra, de iis verò Apostolus loqvitur.

Ad VII. Distingv. *inter statum naturæ restitutæ, & destitutæ.* De illo, non hoc dictum accipiendum est.

Ad IIX. *inter statum naturæ destitutæ, & restitutæ* distingv. De hoc, non illo dictum valet.

Ad IX. Dist. 1. *inter facilitatem aliqvod præceptum cognoscendi, & facultatem præstandi.* Non hæc, sed illa in loco allegato denotatur. 2. Fallacia est Homonymiæ: Non enim reddi debet *supra te*, sed non est occultum, non est absconditum abs te.

Ad X. Distingv. *inter statum naturæ nostræ destitutæ, & omninò restitutæ, vel inter statum misericordiæ, gratiæ, & gloriæ.* Non de illo, sed de hoc statu dictum est intelligendum.

Ad XI. Distingv. *inter peccatum originale, & actuale.* Illius ratione omnes facti sunt inutiles, *Rom* 3.23; Ratione autē actualium externorum, discrimen qvoddam in non renatis largimur. Concedimus igitur respectu illarum actionum, qvæ pugnant cum externa disciplina, aliqvam esse, in homine non renato libertatem.

QVÆSTIO IV.

An homo vi liberi arbitrii aliqvo modo ad conversionem sui aliqvid (etsi parum & langvidè) conferre, eam adjuvare, & cooperari possit? Negatur in textu.

AFFIRMATUR.

I. *Marc.* 9. 24. *Credo Domine, sed tamen succurre incredulitati meæ*; ubi Spiritui sancto duntaxat auxiliandi partes videntur assignari.

II. *Johan.*

II. *Joh. 15. 5. Sine me nihil potestis facere.* E. adjuti à Deo homines possunt propriis viribus facere, qvod Deo placet?

III. *1. Cor. 15, 20: Non ego (sc. solus) sed gratia Dei mecum.*

IV. *Luc. 11. 13. Qvanto magis Spiritum S. dabit petentibus.* E. in hominis nondum renati potestate positum est invocare Deum, priusqvam detur Spiritus Sanctus.

V. *Luc. 10. 30. Viator à latronibus sauciatus, & semivivus in via relinqvitur.* Viator autem iste est typus hominis à Diabolo sauciati, & spoliati. E. homines non sunt planè mortui, sed semivivi.

VI. *Act. 5. 32: Deus dedit Spiritum S. obedientibus sibi.*

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter homines renatos, & non renatos.* Non de illis, sed de his loqvitur qvæstio nostra. E. non ex seipso, sed ex gratia Spiritûs S. credebat, ut ita fit ἑτεροζήτησις.

Ad II. Phrasis illa: Sine me nihil potestis facere, non privativè, qvasi tum vires naturales hominis ex se aliqvid valerent in rebus spiritualibus, qvando accedit gratia Spiritus S. sed negativè intelligenda, omnem qvippe operationem, & efficaciam conversionis viribus humanis derogans.

Ad III. Loqvitur Apostolus de se, ut homine renato, & fide verâ donato, qvi certè cooperarius est Spiritus S. non qvidem ex propriis viribus naturalibus, sed ex gratia inhabitantis Spiritus S. de qva qvæstio præsens non concludit.

Ad IV. Distingv. *inter Spiritus S. primitias, & augmenta donorum.* Non de illis, sed de his dictum.

Ad V. 1. Theologia allegorica non est argumentativa. 2. Neqve sensus est hujus parabolæ, vires hominis non renati in conversione sua demonstrare, sed dilectionem proximi. 3. Imò si latius aliqvo modo extendenda esset hæc parabola, tamen non in spiritualibus, sed externis tantùm, & civilibus aliqvid obtineret.

Ad VI. Repetatur distinctio secunda ad objectionem primam data. Numer III.

LOCUS X. DE PECCATO.

QVÆSTIO I.

An rectè definiatur peccatum, qvod sit aberratio à lege, seu ἀνομία, ut loqvitur Johannes? Affirm. in Textu.

NEGATUR.

I. In definitione vera datur genus, & differentia specifica, qvæ partes hîc non inveniuntur. Est enim unica tantùm vox ἀνομία.

II. Error circa doctrinam Evangelii est peccatum, non tamen ἀνομία, qvia non est contra legem, sed Evangelium.

III. Si omne, qvod legi repugnat, est peccatum, seqvitur diabolos, homines sceleratos ob istam repugnationem peccatum esse, qvod tamen est absurdum.

IV. Autor noster videtur reprehendere hanc definitionem ob positam definitionem aliam pleniorem, & fusiorem.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter vocis alicujus materiale (apices vel literas) & formale, vel significationem istius.* Illo qvidem modo vox ἀνομία unica est, hoc verò *primò* exprimit genus (aberrationem), *secundò* differentiam specificam (aberrationem à lege Dei.) *Tertiò* essentiale consequens, reatum, ut talis indè proveniat definitio: *Peccatum est aberratio à lege divina damnationem æternam attrahens.*

Ad II. Distingv. *inter vocem ἀνομίαν generaliter, & specialiter consideratam.* Generaliter sumitur pro omni eo, qvod tum legi, tum Evangelio adversatur. Specialiter pro eo, qvod legi tantùm. Priori modo à *Johanne* sumitur.

Ad III. Repugnare legi, sumitur vel abstractè, vel concretè. Priori sensu, qvod legi repugnat, peccatum est, non posteriori, ut Diabolus, & impii homines.

Ad IV. Distingv. *inter definitionem veram, & fusiorem.* Autor definitioni huic posteriorem adjecit, non ac si prior falsa esset, sed ut sequens fusior esset.

QVÆSTIO II.

An Deus sit autor, vel causa peccati? Neg. in Textu.

AFFIRMATUR.

I. Dictis illis Scripturæ, in qvibus Deus dicitur indurare, excœcare, sedu-

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027629733/phys_0136
Mecklenburg Vorpommern

seducere, errare facere, in reprobum sensum dare, immittere Spiritum compunctionis, efficaciam erroris, &c. *Exod. 8. 19. Joh. 12. 40. 2. Thess. 2, 1. Es. 6. 9.*

II. 2. *Sam. 24. 1: Deus incitat cor Davidis ad numerandum populum*, qvod malum erat.

III. 2. *Reg. 16. 10: Deus dixit Simei, ut maledicat mihi*, dicebat David.

IV. *Prov. 16. 4: Fecit Dominus impium ad diem malum.*

V. *Matth. 6. 13: Ne inducas nos in tentationem.*

VI. Ad *Eph. 1. 11: Deus operatur omnia in omnibus.*

VII. Peccata fiunt aut Deo volente, aut Deo nolente; non nolente, invito enim & repugnante Deo nihil potest fieri. E. volente.

IIX. Deus permittit peccata fieri. E. aliqvo modo vult: permissio enim voluntati substernitur.

IX. Actio qvævis, ut actus est, à principio omnium rerum dependet. At Deus est omnium rerum principium, peccatum verò est actus. E.

X. Deus decrevit ab æterno missionem filii sui, & redemptionem generis humani. E. & lapsum, aliàs decretum fuisset frustraneum.

XI. Si passerculus non cadit sine voluntate Dei. *Matth. 20, 29.* E. multò minus homo.

XII. Qvi vult finem rei, vult etiam media ad finem ducentia. Deus vult finem lapsus, nempe redemptionem hominum. E.

XIII. Deus non potuisset declarare misericordiam, & justitiam suam, si homo non lapsus fuisset, ex malo enim qvando qvis liberatur, tunc misericordiam liberantis primum agnoscit.

XIV. Inferior causa nihil potest agere sine superiori. E.

XV. Deus peccatum non impedit, cum impedire posset. E. vult.

RESPONDETUR.

Ad I. Fallacia est Homonymiæ. Indurare enim, excœcare, &c. Deo tribuitur, qvatenus tanqvam justissimus judex peccata punit, ut ita induratio talis, excœcatio, &c. non tam sit malum culpæ, qvàm malum pœnæ. 2. Ratione desertionis. Qvando deserit homines, & propter antecedentem impietatem ac sui rejectionem suam gratiam ipsis subtrahit. 3. Ratione permissionis; permit-

tit enim Satanæ, ut induret homines impios, excœcet, seducat, &c.

Ad II. Distingv. *inter causam principalem, & permittentem.* Principalis causa fuit Satanas, *1. Paral. 22. 1.* Cui Deus funem laxavit in vindictam peccatorum populi.

Ad III. De permissione dictum est intelligendum. Agnoscit enim David permissionem esse Dei ad se castigandum.

Ad IV. Distingv. *inter impii substantiam, & impietatem*; illam, non hanc Deus fecit. 2. Fecit non ad malitiam ordinando, sed ad debitas malitiæ pœnas destinando.

Ad V. Idem est ac si diceremus, ne permittas nos tentari, ut explicatur, *1. Cor. 10, 13.* vel ne in tentatione succumbamus.

Ad VI. Accipiendus est ille Aphorismus, 1. Strictè, & determinatè, secundum subjectam materiam, nimirum de charismatis & donis Spiritus S., qvi in electis operatur. 2. Reduplicativè, ut sit sensus: Omnia, qvæcunqve Deus operatur, illa secundum voluntatis suæ destinatum propositum & consilium operatur.

Ad VII. Insufficiens est enumeratio. Omittitur enim, Deo non volente, seu permittente, *Ps. 5. 5.* Permittente enim Deo alicujus boni gratia peccata fiunt.

Ad IIX. Permissio voluntati ita substernitur, ut tamen voluntas à permissione formaliter distingvatur. Hæc scil. ad peccatum, qvod in se malum est, illa verò ad bonum finem, qvem ex modo illo Deus elicere novit.

Ad IX. Distingv. *inter actionem in peccato occurrentem, & actionis vitiositatem.* Actio qvidem ut motus qvidam à principio & causa rerum omnium est, non verò vitiositas.

Ad X. Fallacia est causæ. Deus decrevit redemtionem, non qvia decreverat, sed qvia præviderat lapsum. 2. Distingv. *inter lapsum, & lapsus permissionem*; Ad hanc solam, non verò ad illum decretum est referendum.

Ad XI. Distingv. *inter lapsum Physicum, & Theologicum, vel naturalem, & moralem*; hic vitiosus est, non ille. Hunc Deus improbat, non illum.

Ad XII. Distingv. *inter medium per se, & per accidens.* Peccatum non per se, & naturaliter medium est ad fines utiles, sed per accidens fit me-

medium, nempe per sapientiam Dei, malum omne ad finem bonum dirigentis, & accommodantis.

Ad XIII. Petitionem esse principii. Bonitatem enim suam jam ante Deus in creatione tot tantorumqve bonorum largitione, justitiam verò in severissima prohibitione, & gravissima huic addita comminatione, *Genes. 2. 17.* & in lapsorum Angelorum judicio patefecerat.

Ad XIV. Fallacia est à dicto secundum qvid. Causa inferior esse neqvit, sed tamen aliqvid agere potest sine prima qvoad actionis vitiositatem.

Ad XV. Insufficiens est enumeratio. Omittitur enim, qvod Deus etiam peccatum impedire debeat, qvod tamen negatur.

QVÆSTIO III.

An peccatum originale detur ? Aff. in textu.

NEGATUR.

I. Unius peccati actus neqvit totum corrumpere, & totum genus humanum contaminare.

II. Qvi peccatum odit, & prohibet, is decernere non potest, ut totum genus humanum peccatis inficiatur propter unicum malum actum.

III. Inter pœnas post lapsum à Deo impositas non recensetur peccatum originale. *Gen. 3. 16.* Neqve ullibi fit mentio peccati originis in Scriptura.

IV. Qvando David dixit: *In iniqvitatibus sum conceptus, Ps. 51. 5.* non loqvitur de originali, sed actualibus peccatis, aliàs enim dixisset: Ecce in iniqvitate conceptus sum.

RESPONDETUR.

Ad I. Est petitio principii. Propositio tantum particularis est, & vera de actibus malis personalibus, qvi nunc post lapsum à qvovis committuntur. Peccatum verò Adami non fuit personale, sed universale, & totius generis humani actus. Adam enim sic consideratur, non ut persona privata, sed ut caput totius generis humani.

Ad II. Distingv. *inter decretum Dei, qvod est, vel permissionis, vel effectionis, seu operationis.* Propositio igitur loqvitur, & vera tantùm est de decreto effectionis, falsa verò de decreto permissionis.

Ad III. Licet non explicitè, implicitè tamen fit mentio peccati originalis, *Gen. 3.* tum per descriptionem nuditatis, & erubescentiæ, *v. 7.* tum per promissionem de conterendo capite serpentino, *v. 15.* qvæ conditio cumprimis consistit in rectitudine imaginis, liberatione à Diaboli tyrannide, peccato &c.

Ad IV. Fallacia est dictionis. In textu enim Ebræo est: *In iniqvitate*, in singulari numero, non *in iniqvitatibus*, in plurali.

QVÆSTIO IV.

An peccatum originale propagetur carnali generatione in omnes posteros? Aff. in Textu.

NEGATUR.

I. *Filius non portabit iniqvitatem Patris, Ezech. 18. 20.*

II. *Infantes dicuntur innocentes, Ps. 106. 38.*

III. Ad peccatum duo spectant: 1. Legis cognitio. 2. cognitæ prævaricatio. Nam ubi nulla lex est, ibi nulla prævaricatio. Jam autem prævaricatio, & Lex non habent locum in iis, qvæ legem non cognoscunt.

IV. Omne peccatum est voluntarium. Malum originis non est voluntarium, in infantibus scil. E.

V. Peccatum piis parentibus in Baptismo remittitur. E. in filium non propagatur.

VI. Si per generationem propagatur peccatum, damnanda erunt conjugia.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *Inter peccatum universale, & personale.* De hoc, non illo loqvitur dictum. 2. Fallacia à dicto secundum qvid. Filius non portabit iniqvitatem Patris, si scil. ipse filius fuit innocens, uti Propheta statim addit.

Ad II. Distingv. *inter peccatum originale, & actuale.* Actualia qvidem peccata non sunt in infantibus eo respectu, qvo actualia committuntur, conscia voluntate, & per qvandam antegressam deliberationem, illud tamen non negatur.

Ad III. Est petitio principii. Qvod enim nulla sit prævaricatio, nisi ubi adsit legis cognitio, falsum est, qvia dantur peccata ignorantiæ.

tiæ. 2. Posteri Adami in Adamo legem violaruntistam, *Gen. 2. 17: Qva die comederis de arbore illa vetita, &c.*

Ad IV. Major valet in Philosophia, non Theologia; in forensi enim judicio pro peccato nihil habetur, nisi qvod est voluntarium: Ast in judicio divino est ἄνομον peccatum, seu voluntarium, seu involuntarium sit.

Ad V, Distingv. *inter peccatum ipsum, & peccati reatum.* Hic per baptismum in piis tollitur, illud relinqvitur adhuc in iis, & attrahitur.

Ad VI. Fallacia est accidentis. Valet enim hîc regula: Vitia naturæ non tolluntbeneficia ac ordinem à Deo, opifice naturæ institutum.

QVÆSTIO V.

An regeneratorum, & sanctificatorum liberi sancti sint, & dicantur ante susceptum baptismum? Neg.

in Textu.

AFFIRMATUR.

I. *Gen. 17. 7. Deus pollicetur, se fore & seminis nostri Deum.*

II. *1. Cor. 7. 14. Filii vestri sancti sunt.*

III. Nisi liberi fidelium ante baptismum sancti, & in Dei gratia constituti essent, seqveretur eos, qvi absqve baptismo decedunt, æternæ morti obnoxios esse.

IV. Peccatum originis in sanctis tollitur. E. in liberos propagari non potest.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter promissionem, & promissionis applicationem.* Promissio illa ut liberis prosit, reqvirit applicationem, qvæ hodiè fit per baptismum, Sicuti tunc facta fuit per circumcisionem.

Ad II. Distingv. *inter sanctitatem spiritualem, seu æternam, & Ecclesiasticam.* De hac, non illa verba Apostoli sunt intelligenda.

Ad III. Distingv. est id, qvod est extraordinarium à regula communi: Deus extraordinariè, & in casu necessitatis infantes per parentum, & Ecclesiæ preces sibi oblatos, etiamsi absq; baptismo ex hac vita exeunt, in gratiam recipit.

Ad IV.

Ad IV. Distingv. *inter peccatum materiale, & formale.* Hoc tollitur in sanctis ut reatus, non verò illud ut ipsa radix.

Objectio: Ipsa caro dicitur baptizari, regenerari, *Johann. 3. 5.* E. caro substantia est peccatorum.

R. Distingv. *inter peccatum, & peccatorem.* Hic, non illud baptizatur, & sanctificatur. E. peccatum est id, à qvo abluitur homo, non verò id ipsum, qvod abluitur. Et caro jam significat hominem, corruptum, jam verò ipsam corruptionem. Hîc sumitur pro homine corrupto, labe peccati infecto.

QVÆSTIO VI.

An peccatum originis sit substantia? Neg. in textu.

AFFIRMATUR.

I. Qvicqvid pugnat cum lege Dei, est peccatum. Totus homo pugnat cum lege Dei. E.

II. Cor efficit omnia illa peccata, *Matth. 15. 19.* E. ipsum cor est ipsum peccatum.

III. Scriptura in describendo peccato utitur verbis substantialibus, ut vetus homo, *Rom. 6. 6.* & corpus peccati ibid. nominatur.

IV. Regeneratio est creatio novi cordis, undè dicitur, *Ps. 51. 12.* Cor mundum crea in me Deus; *Ezech 36. 26: Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis carneum*, qvia justificatio à peccato est nova substantia, & novi cordis creatio.

V. Homines dicuntur natura filii iræ, *Eph. 2. 3.* & vanitas eorum naturalis, *Sap. 13. v. 1.* E. peccatum ad naturam ipsam, & essentiam hominis pertinet.

VI. Qvod baptizatur, & sanctificatur, est peccatum. Totus homo baptizatur. E.

VII. Caro baptizatur, & sanctificatur. Caro est peccatum originis, *Matth. 15. 19.* E.

IIX. Ab authoritate *Lutheri*, qvi nominat peccatum hocce naturam. Das Wesen. Durch Adams Fall ist gantz verderbt/ menschliche Natur und Wesen.

IX. Per qvod homo est id, qvod est, id formæ, & essentiæ ejus est. Per peccatum homo corruptus est id, qvod est. E.

X. Accidens est, qvod potest adesse, & abesse absqve subjecti interitu. Pecca-

Peccatum non potest abesse absqve subjecti interitu. E. non est accidens, & per consequens substantia.

RESPONDETUR.

Ad I. Esse qvatuor terminos. 2. Distingv. *inter id, qvod pugnat cum lege Dei per se, & per accidens.* Substantia non per se, sed per innatam malitiam cum lege Dei pugnat, sed hoc modo; Non ipse homo, seu humana natura, vel essentia pugnat cum lege Dei. Ipsius enim naturæ, & autor, & conservator Deus est. Non Ergò homo per se substantiâ peccat, sed secundum qvid, nempe ob deformitatem illam, qvæ in homine, anima, & corde est. E. homo qvidem peccator est, seu peccato obnoxius, sed non est ipsum peccatum.

Ad II. Per limitationem Majoris h. m: Qvicqvid per se efficit peccata alia, illud est originale peccatum, sic negatur Minor. Non enim hoc fit per se, sed per accidens, qvatenus est corruptum. Sic enim peccata actualia producit.

Ad III. Peccatum dupliciter accipitur: 1. Qvoad essentiam suam, ut in abstracto, atqve sic nunqvam verbis substantialibus describitur, sed accidentalibus. 2. Qvoad existentiam suam in concreto, qvatenus non ipsum solum effectum, sed unà subjectum connotatur. Atqve hoc posteriori respectu verba Scripturæ substantialia sunt intelligenda. Sive Resp. h. m: Licet Scriptura substantialibus verbis peccatum describat, accuratissimè tamen in illis locis distingvit, *inter ipsam substantiam, & malitiam naturæ adhærentem.* Causa autem, ob qvam peccatum describitur vocibus substantiam significantibus est hæc: Peccatum ita pervasit, & corrupit totam naturam humanam, ut homo à se ineptus sit, vel ad faciendum, vel ad cogitandum qvicqvid boni est, *1. Cor. 2. 5.*

Ad IV. Distingv. *inter voces abstractè, & concretè sumptas.* Regeneratio est creatio novi cordis, non qvoad substantiam in concreto, sed qvoad qvalitatem in abstracto. 2. Petitio principii. Creatio dicitur sensu lato, qvatenus omne id, qvod à Deo fit, & formatur, seu substantia, seu accidens sit, creatio appellatur.

Ad V. Naturale dicitur tribus modis: 1. Ut notet ipsa essentialia rei principia. 2. Coessentialia, seu consequentia ipsam essentiam. 3. Accidentia, qvæ qvanqvam non sunt essentia, neqve ex essentia

proveniunt, essentiam tamen circumstant, & cum ea cohærent, simulqve perdurant. Hoc posteriori modo peccatum originis naturale dicitur. Deindè responderi potest h. m : Natura filii iræ sumus, non qvod ipsa natura sit peccatum, sed qvod ipsum peccatum in natura hominis, ejusdemq; naturalibus viribus hæreat. Sunt igitur qvatuor termini. Natura enim hîc consideratur non in prædicamento substantiæ, sed qvalitatis, qvà depravata.

Ad VI. Distingv. *inter peccatum, & peccatorem.* Hic, non illud baptizatur, & sanctificatur. Est qvidem peccatum id, à qvo abluitur homo, non verò idipsum qvod abluitur.

Ad VII. Fallacia æqvivocationis est in vocabulo carnis, & oriuntur indè qvatuor termini.

Ad IIX. *Lutherus* locutus est Rhetorum more ἐνεργικῶς, ut magnitudo & Authoritas peccati innotescat contra Jesuitarum strophas, qvi peccatum qvavis ratione extenuare solent.

Ad IX. Homo consideratur dupliciter, 1. vel in se, ut est substantia, & tunc forma ejus est rationalis anima, vel 2. respectu alterius, ut est corruptus, & hoc à peccato est.

Ad X. Distingv. *inter corruptionem physicam, seu essentialem, & logicam, seu accidentalem.* Hæc, non illa intelligitur. Peccatum enim adest homini absqve subjecti corruptione essentiali, licet non adsit, absqve horrenda virium, & qvalitatum tum interiorum, qvàm exteriorum animi, & corporis corruptione.

QVÆSTIO VII.

An concupiscentia originalis in renatis aliqva verè proprièqve sit peccatum ? Aff. in textu.

NEGATUR.

I. A perfecta redemtione ; qvos Christus perfectè redemit, i. e. peccatum abstulit, delevit, sustulit, ii peccatum non habent. Min. probatur, *Es. 27. 9. Ps. 51. 2.*

II. Dicto, *Rom. 8. 1.* Ubi nulla damnatio, ibi nullum peccatum.

III. A baptismi ablutione, *1. Cor. 6. 11.* Qvæ plena est, non semiplena.

IV. A

IV. A concupiscentia, peccatum pariente, *Jacob. 1. 15.* Concupiscentia gignit peccatum, etsi peccatum non est.

V. A sublatione formalis. Sublato formali, res ipsa tollitur. In baptismo formale peccati, ~~non reatus~~ tollitur. E.

VI. Ab absurdo, & contradictione. Deus peccatum residuum, vel odit, vel non odit. Si hoc, peccatum non est, si illud, remissum non est.

RESPONDETUR.

Ad I. 1. Verba tollendi, delendi, auferendi non notant omnimodam peccati absentiam, vel annihilationem, sed vel perfectam satisfactionem, vel plenam remissionem; illa omnes homines, hæc credentes concernit; aliàs totus mundus peccato careret, qvia peccatum totius mundi per agnum sublatum est, *Joh. 1. 19.* 2. Opera divina considerantur, vel ratione agentis, vel respectu patientis. Agens est Deus, qvi perfectè agit, patiens sunt homines. Qvicqvid autem recipitur, habet modum patientis, ut habet regula communis.

Ad II. Confunditur damnatio ipsa cum peccato damnabili; illud qvidem affirmat Apostolus, neqvaqvam verò ait: Nullum peccatum, sed nihil damnabile.

Ad III. In genere, baptismus dona distincta confert, 1. Remissionem peccatorum. 2. Renovationem peccatorum. Remissio est consummata, & perfecta, tollens reatum omnium peccatorum. Renovatio verò est inchoativa, & imperfecta mortificans qvidem carnem, sed non penitus expellens. A perfecta verò remissione ad perfectam renovationem non valet consequentia.

Ad IV. Distingv. *inter concupiscentiam originalem, & actualem;* de illa loqvitur Apostolus, hanc verò non inficiatur.

Ad V. Formale peccati est duplex: 1. Relatum, qvando peccatum consideratur ut damnans, & tunc formale habet relatum. 2. Absolutum, qvando consideratur in se, ut est peccatum, vel vitiosa qvalitas, & tamen pro formali habet ἀνομίαν. Sublato ergò formali reatus, res ipsa, h.e. peccatum damnans tollitur. Est enim æqvivocatio in vocabulo forma. Nam alia est forma substantialis, de qva universaliter verum est, eâ sublatâ, rem ipsam tolli,

qvia dat esse rei. Deindè est forma accidentalis, de qva loqvitur minor.

Ad VI. Distingv. *inter contradictionem veram, & apparentem.* Apparens est contradictio. Odit enim Deus peccatum ob illegalitatem suam; Non odit personam ob meritum Christi fide apprehensum.

LOCUS IX. DE PRÆDESTINATIONE.

QVÆSTIO I.

An Deus velit omnium hominum salutem? Aff.

NEGATUR.

I. *Rom. 9. 13. Jacob dilexi, Esau odio habui, antequam boni, vel mali aliquid egissent, Gen. 25. 23.*

II. *Rom. 9. 15. Miserebor, cujuscunque miserebor.*

III. *Rom. 9. 18. Quem vult, indurat.*

IV. Qvicqvid Deus vult, id facit. Deus autem non salvat omnes. Ergò.

V. Decretum Dei de salute omnium hominum, aut est firmum, aut irritum. Si firmum, cur non omnes salvantur, si irritum, & homines id irritum faciunt, seqvitur eos Deo superiores esse. Qvi enim mutat decreta alterius, superior est eo, qvi fecit decretum.

RESPONDETUR.

Ad I. Ignorationem esse Elenchi: Dictum enim illud non de electione ad salutem, sed de externa prærogativa primogenituræ agit, annexa possessione terræ Canaan. 2. Loqvitur non tam de Esavo, & Jacobo ipso, qvàm de eorum posteris.

Ad II. Distingv. *inter propensionem voluntatis Dei ad commiserandum, & actum commiserationis ipsum.* Illa est universalis, hic fit particularis culpâ hominum.

Ad III. Distingv. *inter voluntatem Dei antecedentem, & consequentem.* Hâc ob antegressa scelera Deus homines indurare dicitur.

Ad IV. Distingv. *inter voluntatem absolutam, & conditionalem.* Qvicqvid absolutâ voluntate vult, id fit, voluntas autem salvandi est conditionata, & fide in Christum limitata.

Ad V. Distingv. *inter decretum Dei absolutum, & limitatum.* Si absolutum

tum esset, omnes homines salvarentur, cum autem fide in Christum sit limitatum, illi qvi fide carent, salutari qvoqve excîdunt fine.

QVÆSTIO II.

An satisfactio, vel meritum Christi sit universale?

Affirm. in Textu.

NEGATUR.

I. *Joh. 10. 15: Christus pro ovibus suis electis mortuus est.*

II. *Matth. 15. 24: Non veni, nisi propter oves deperditas domûs Israëlis.*

III. Pro qvibus Christus non oravit, pro iis non est mortuus. Pro omnibus non oravit, *Joh. 17. 9.* E.

IV. *Joh. 4. 39: Veni in hunc mundum, ut, qvi non vident, videant, & qvi vident, cœci fiant.*

V. *Apoc. 14. 4: Qvi non sunt coinqvinati cum mulieribus, qvæ virgines sunt, qvi sequuntur agnum qvocunqve iverit, hi sunt empti, vel redempti ex hominibus.*

VI. Pro qvo Christus mortuus est, illum ad se trahit, *Joh. 12. 32.* Non verò omnes trahit. E.

VII. Si Christus Patri reconciliasset totum mundum, utiqve totus mundus salvaretur, aliàs frustranea esset, vel fuisset reconciliatio.

IIX. Christus solis fidelibus distribuit justitiam suam morte partam, impiis verò ignis æternus præparatus est. E. Pro solis fidelibus, non autem pro impiis est mortuus.

IX. Pro qvibus est mortuus Christus, illis necessaria est Christi revelatio. Non verò omnibus Christus revelatus est.

RESPONDETUR.

Ad I. Ab inclusiva ad exclusivam nulla est consequentia. Non sequitur, Christus pro ovibus suis mortuus est. E. tantùm pro ovibus, qvod erat probandum.

Ad II. Distingv. *inter officium Christi Propheticum, & Sacerdotale*; dictum non de Sacerdotali officio, vel redemptione generis humani, sed de Prophetico, vel ministerio Christi loqvitur.

Ad III. Dist. *inter orationem generalem, & specialem.* Christus specialiter

in hoc capite pro electis orat. Interim non seqvitur, qvod nullo modo pro convertendis, & pro ipsis reprobis oret.

Ad IV. Verba illa non causaliter, sed eventualiter sunt intelligenda. Sensus enim est, ii qvi putant, se probè videre, justo Dei judicio magis occœcantur.

Ad V. Passio Christi, vel consideratur ratione sufficientiæ, vel efficientiæ, seu applicationis, & fructus salutaris in hominibus. Illa, scil. ratione sufficientiæ pro omnibus facta, hæc fidelibus tantùm contingit. Loqvuntur autem verba allegata de redemptione qvoad applicationem, & efficaciam considerata.

Ad VI. Fallacia est à dicto secundum qvid. Christus trahit omnes, non violenter, sed ratione voluntatis, & intentionis suæ, & vocationis per verbum. Qvi verò se trahi nolunt, ut impœnitentes, illi qvoqve ad Christum actu non trahuntur.

Ad VII. Distingv. *inter meriti Christi acqvisitionem, & applicationem.* Ad salutem hominis non tantùm reqviritur illa, sed hæc qvoqve per pœnitentiam, & fidem.

Ad IIX. Distingv. *inter mortem Christi, & ejusdem fructum.* Illa est universalis, hic solis competit fidelibus.

Ad IX. Major non est simpliciter vera. Ad applicationem semper qvidem reqviritur revelatio, interim si ipsam acqvisitionem spectes, non est necessaria. Minor qvoqve laborat petit. principii.

QVÆSTIO III.

An juxta propositum Dei universale meritum Christi omnibus hominibus per Evangelii prædicationem offerri debeat? Affir. in Textu.

NEGATUR.

I. *Psal. 142. 20: Taliter non fecit omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.*

II. *Matth. 11. 21: Si in Tyro, & Sydon factæ essent virtutes illæ, qvæ in vobis factæ sunt.*

III. Evangelium omnibus, ut Turcis, & Judæis actu non prædicatur.

IV. *Act. 16. 6: Paulus, & Silas prohibentur à Spiritu S. loqvi sermonem in Asia, & Bithynia.*

V. Si

V. Si ad illos mitteres, ipsi audirent, *Es. 3.* E. Deus denegando ministerium, causa est eorum impœnitentiæ.

VI. Si omnes per verbum suum Deus seriò vocaret, utiqve omnes ex auditu verbi fidem conciperent.

VII. Neqve homo non-renatus cum studio potest audire verbum, cum hoc homini animali sit stultitia, *1. Cor. 2. 14.*

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter vocationem ipsam, & vocationis modum.* Loqvitur Psaltes de externo ministerio, nempe qvod gentibus in V.T. fuerit per Prophetas annunciatum Dei verbum sicuti Israëlitis fortè ob majorem, & propriam culpam, interim tamen ipsi non penitus excludebantur.

Ad II. Distingv. *inter modum salutis extraordinarium, vel miraculosum, & ordinarium.* De hoc qvæstio nostra, de illo loqvitur locus allegatus.

Ad III. Distingv. *inter vocationem, qvæ ex parte Dei universalis est,* fit autem particularis culpa hominum, eandem contemnentium, & rejicientium.

Ad IV. Fallacia est à dicto secundum qvid. Qvando enim loqvi prohibentur sermonem in Asia, factum est non simpliciter, sed secundum qvid, qvia majori cum fructu in Macedonia prius docere ipsos posse Dominus novit, posteà in Asia, & Bithynia Evangelium etiam prædicatum fuit, *1. Pet. 1. 1.*

Ad V. Sermo ibi est non de ordinaria hominis conversione, sed extraordinaria Prophetarum missione, ad qvam Deus obligatus non est, & beneficæ ipsius voluntati nihil derogat.

Ad VI. Fallacia est causæ. Non in Deum, sed homines audientes transferenda est culpa, uti Christus ipse docet in parabola de qvadruplici agro, *Matth. 13. 3.*

Ad VII. Distingv. *inter auditum internum, & externum:* Dicto allegato non auditus externus, sed tantùm internus intelligitur. Potest enim omninò cum studio sanctum verbum audire, uti exempla, & dicta satis superqve testantur.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

An meritum Christi decreto electionis sit inclusum? Aff. in definitione prædestinationis filiorum DEI.

NEGATUR.

I. Effectum non est causa. Meritum Christi est effectum. E.

II. Christus ipse prædestinatus est ab æterno. E. non potest esse causa electionis.

III. Beneplacitum Dei est summa, & prima causa vitæ æternæ. E. superiorem se non habet, nec à merito causari potest.

IV. Medium non est prius fine, neqve causa fine. Meritum Christi est medium. E.

RESPONDETUR.

Ad I. Effectum potest esse causa materialiter, & formaliter.

Ad II. Distingv. *inter prædestinationem Christi ad salutem promerendam, & hominum ad salutem consequendam*; licet Christus prædestinationis suæ causa non fuerit, tamen causa fuit prædestinationis hominum ad salutem consequendam.

Ad III. Voluntatis divinæ beneplacitum suprema qvidem est causa in efficiendo salutem, non autem in promerendo, uti meritum Christi.

Ad IV. Fallacia est oppositionis. Non enim contraria sunt illa duo, sed subordinata.

QVÆSTIO V.

An Deus ab æterno omnes homines sine ullo fidei respectu ad salutem elegerit? Neg. in Textu.

AFFIRMATUR.

I. *Eph. 1. 4: Elegit nos in Christo Jesu ante jacta mundi fundamenta.* Qvos E. Christus morte sua redemit, ii sunt electi; omnes autem redemit. E.

II. Electi sumus in hunc finem, ut essemus sancti, & irreprehensibiles loco allegato; qvos autem vult esse irreprehensibiles, illos selegit: Omnes vult esse irreprehensibiles. E.

III. Incredvli excidunt à gratia, *Gal. 5. 1.* E. vi contrariorum ad eam sunt destinati.

IV. *Rom. 5. 18: Sicuti per unius hominis delictum, &c.* Sicut ergò homines omnes

omnes in primo Adamo perierunt; ita omnes in secundo ad vitam sunt prædestinati.

V. Æternum Dei consilium fuit, ut totus mundus eligeretur. E. etiam electus est.

VI. Deus omnes dilexit. E. omnes elegit.

VII. Omnes vocati sunt. E. Omnes electi.

VIII. Cujus omnes causæ sunt universales, illud est universale. Electionis omnes causæ (ut dilectio Dei, meritum Christi) sunt universales. E.

IX. Si electio particularis est, fenestra aperitur ad desperationem: Sub particulari enim nemo firmiter potest subsumere.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter meritum Christi, qvà tale, & qvatenus applicatum est à nobis.* Christus non tantùm ratione meriti, sed etiam applicationis electionis decretum ingreditur.

Ad II. Negatur Major, & ex textu probari non potest, nisi qvis unà justificationem qvoqve universalem statuere velit, qvia & hæc fit eum in finem, ut simus sancti.

Ad III. Ignorantiam esse Elenchi. Dictum concludit de gratia, qvæstio nostra est de electione ad vitam.

Ad IV. Negatur Major. Longius enim propositum Apostoli extenditur, qvam fieri debeat. Hoc enim Apostolus tantùm dicere voluit, qvàm latè sese extendit Adami peccatum, tàm latè qvoq; sese extendit Christi meritum.

Ad V. Negatur propositio: Deus sibi proposuit omnes eligere; qvæ enim Deus sibi proposuit, ea fiunt.

VI. Distingv. *inter dilectionem Dei generalem, & specialem.* Hæc, non illa tàm latè patet, qvam electio.

Ad VII. Distingv. *inter vocationem, & vocationis applicationem, qvæ fit per fidem.* Vocatio enim non absolvit totum ordinem in decreto electionis, sed reqvirit etiam applicationem, qvæ fit per fidem.

Ad IIX. 1. Distingv. *inter id, qvod fit per se, & per accidens.* Ex se dilectio Dei, & meritum Christi sunt causæ universales, sed propter hominum incredulitatem per Accidens fiunt particulares. 2. Negatur minor. Nam ad causas electionis pertinet etiam fides. Deus

enim intuitu fidei in Christum homines elegit. At fides non est causa universalis. Plurimi enim fidem spernunt, & abjiciunt. *Quos ergò Deus præscivit* (scil. credituros in Christum) *hos elegit, Rom. 8. 29.*

Ad IX. Est petitio principii. Non enim absolutè paucos electos statuimus, sed ordinatè, ita ut omnis perseveranter credens sit electus, ubi facilè aliqvis subsumere potest.

LOCUS XII. DE CHRISTO.

QVÆSTIO I.

An Christus sit æternus? Aff. in textu.

NEGATUR.

I. *Prov. 8. 22: Dixit Sapientia* (Filius Dei) *Dominus ἔκτισέ με, creavit me.*

II. *Joh 17. 3: Solus Pater dicitur verus Deus.*

III. *Eph. 4. 6. Unus Deus, & Pater omnium.* E. solus Pater est Deus.

IV. *Col. 1. 15. Primogenitus dicitur omnis creaturæ*; genitus non est æternus, & ita neqve Deus.

V. *Joh. 5. 19. Filius dicit, se non posse operari qvicqvam, nisi qvod viderit patrem operantem.*

VI. Filius unus veri Dei non est verus ille Deus, qvia nemo potest esse ipsius filius.

VII. In symbolo Apostolico solus Pater Deus dicitur, non filius, aut Spiritus S.

VIII. Æqvalis non potest esse is, cui est æqvalis. Filius Dei Patri est æqvalis. E.

IX. Duæ naturæ proprietatibus differentes, veluti mortalis, & immortalis, principium habens, & principio carens, &c. nullo modo in una persona uniri possunt. Divina, & humana natura sunt ejusmodi. E.

RESPONDETUR.

Ad I. Esse figuram dictionis. In Ebræo enim est verbum, *possedit me*; & putant qvidam, σφάλμα esse in Græco, & pro ἔκτησε *possedit*, positum esse ἔκτισε *creavit.*

Ad II. Fallacia est divisionis, qvia subjicitur: *Et qvem misisti Jesum Chri-*

stum.

stum. 2. Fallacia oppositionis. Per particulam enim *Solus* non excluduntur Filius, & Spiritus S. sed tantùm idola & creaturæ.

Ad III. Ambiguitas est in vocabulo *Patris.* Sumitur illud, vel ἀσιωδῶς h. e. absolutè pro creatore omnium rerum, qvo sensu commune est, notatqve Patrem, Filium, & Spiritum S, vel ὑποσαλικῶς, limitatè, pro prima tantùm persona Trinitatis, qvæ Pater vocatur κατ' ἐξοχήν, qvia est à nullo, sed omnia ab illo. Non hoc, sed illo modo vocabulum Patris h. l. sumitur.

Ad IV. Fallacia est φράσεως. Non enim πρωτόκλιστος, sed πρωτότοκος, *primogenitus*, & qvidem *omnis creaturæ* vocatur, qvia per ipsum creata sunt omnia, qvæ sunt in cœlo & terra.

Ad V. Investiganda est propositio: Qvia enim cum Patre operatur, exindè magis unitas, & indivisa potentia probatur, qvàm divinitas ipsius coarctetur, & annihiletur.

Ad VI. Vox *Dei* est ambigua. Sumitur enim qvandoqve communiter, & significat omnes tres personas, Patrem, Filium, & Spiritum S. Qvandoqve limitatè, & significat certam personam, cum dicitur Filius Deo æqvalis est, Pater intelligitur, atqve sic largimur consequens: Filius æqvalis est Deo; Patri E. non est Deus Pater. Interim tamen Deus est, qvia æqvalis est Patri.

Ad VII. Dicitur aliqvid dupliciter, explicitè κατὰ λέξιν, & implicitè κατὰ διάνοιαν. Non qvidem illo, hoc tamen modo in Symbolo Apostolico dicitur.

Ad VIII. Distingv. *inter essentiam, & personalem existentiam.* Æqvalis non est idem, cui est æqvalis, qvoad hanc, non verò illam.

Ad IX. Petitio est principii. Exemplo enim animæ, & corporis, qvæ in una persona aduniuntur, solidè refutatur objectio.

QVÆSTIO II.

An Christus sit verus homo? Aff. in Textu.

NEGATUR.

I. *Rom.* 8 3: *Misit Deus Filium suum in similitudine carnis peccati.*

II. *Philipp.* 2. 8: ἐν σχήματι *inventus est homo.*

III. Ab Angelorum apparitione. Angeli sæpè in specie hominum apparuerunt, item Spiritus S. in specie columbæ, qvi tamen non fuerunt homines, qvemadmodum nec Spiritus S. columba fuit.

IV. Qvicunq venis fuit homo, ille etiam omnibus infirmitatibus humanis fuit subjectus, ut. e.g. esse obnoxium podagræ, hydropi, febribus. &c. At hoc in Christo non fuit. E. V. Si

V. Si Christus verus homo fuisset, non esset una, sed duplex persona, qvæ non est.

RESPONDETUR.

Ad I. Fallacia est à dicto secundum qvid. Non enim simpliciter Apostolus dicit, *qvod Deus miserit Filium suum in similitudine carnis peccati*, id est, peccato obnoxiæ, sed ut sensus sit, qvod caro Christi similis fuerit qvidem carni peccatrici, non tamen caro peccatrix fuit. Undè vox *similitudinis* non tàm ad carnem, qvàm ad vocem peccati est referenda.

Ad II. Ambiguitas est in voce σχήματος, qvæ hoc loco non fictitium qvid, sed externam conversationem in affectibus, & totius vitæ actionibus denotat, in qvibus Christus aliis qvoqve hominibus similis esse voluit.

Ad III. Petitio est principii. Aliud enim est Filii Dei in carne manifestatio, aliud Angelorum in forma apparitio. Ab hac ad illam argumentari velle, planè est inconveniens.

Ad IV. Distingv. *inter infirmitates hominum communes, vel toti speciei convenientes, & personales certis duntaxat individuis proprias.* Illas, non has Christus suscepit, inter qvas qvoqve sunt, qvæ in objectione allegantur.

Ad V. Distingv. *inter unitatem personæ & naturæ*; non hujus, sed illius ratione Christus unus est.

QVÆSTIO III.

An Filius Dei animam qvoqve rationalem assumpserit? Aff. in Textu.

NEGATUR.

I. *Joh. 1. 14: Verbum caro factum est*, non anima.

II. Ecclesia canit: *In carne* (non anima) *nobis similis, peccato sed dissimilis.*

III. Qvia divina natura Christo loco animæ fuit; E. non opus fuit anima.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter locutionem propriam, & tropicam.* Vox enim carnis qvamvis aliàs diversimodè sumatur, de Christo tamen qvando prædicatur, Synecdochicè sumitur, totamqve naturam, & corpore

pore & animâ rationali constantem denotat, *Joh. 1. 14. 1. Tim. 3. 16.* 2. Non tantùm vocatur caro, sed & homo Filius hominis.

Ad II. Unius inclusio non est alterius exclusio. 2. Distingv. *inter locutionem Ecclesiasticam, vel latè sumptam, & accuratam.* Non hoc, sed illo modo φεφάσις objecta intelligenda.

Ad III. Petitio est principii. Tota enim Scriptura contrarium testatur.

QVÆSTIO IV.

An communicatio Idiomatum sit vera ac realis, an verò verbalis? prius affirmat Textus.

NEGATUR.

I. Propria servari, & communicari implicat contradictionem; qvod enim proprium, id non communicatur.

II. Communicatio realis repugnat unioni, qvia in unione servantur proprietates, qvæ in reali communicatione confunduntur.

III. *Lutherus* ipsemet, & Philippus communicationem idiomatum appellant φεφάσιν, seu prædicationem.

IV. Si est communicatio idiomatum realis, est qvoqve essentialis. Reale enim idem est, qvod essentiale. Communicatio verò Idiomatum non est essentialis.

V. Contraria sunt, realis communicatio, & realis distinctio. At proprietates adhuc in ipsa unione sunt, & manent distinctæ. E.

VI. Nihil qvod istius, de qvo agitur, naturæ repugnat, reale dici debet. Communicatio propriorum ipsi unionis hypostaticæ naturæ repugnat. Facta enim est servatis utriusqve naturæ proprietatibus.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter contradictionem veram, & apparentem.* Contradictionem veram implicaret, si de eodem, & eodem respectu diceretur, qvod hîc non fit. Aliter enim propria divinitatis τῷ λόγῳ, aliter verò assumptæ carni tribuuntur. Illi per se, & naturaliter, huic verò non per naturam, & per se, sed per gratiam duntaxat, & propter unionem personalem.

Ad II. Distingv. *inter communicationem, & confusionem.* Semper permanet id, qvod communicat, verè distinctum (ipsa etiam in unione

nione & communicatione) ab eo cui communicatur, nullo modo autem confunditur, uti patet ex unione animæ, & corporis.

Ad III. Non accipiendum, id est, exclusivè, qvasi tantùm sit verbalis prædicatio. Aliud enim est communicatio, aliud prædicatio, per qvam communicatio effertur, sed notificativè, qvod sit talis loqvendi modus, cui res ipsa respondet.

Ad IV. Petit. est principii: Unio qvidem in Christo realis est, non verò essentialis, qvemadmodum differentia personarum Trinitatis realis dicitur, neqvaqvam verò essentialis.

Ad V. Distingv. *inter distinctionem, & distractionem, vel separationem.* Distractio, & communicatio contrariæ sunt, non autem distinctio, & communicatio.

Ad VI. In Minori occurrit petitio principii. Unius enim hypostaticæ vis, non autem proprietas & conditio ea est, ut si Communicatio proprietatum negetur, ipsam qvoqve unionem hypostaticam tolli oporteat.

QVÆSTIO V.

An carni Christi assumptæ sit communicata omnipotentia? Aff. Text.

NEGATUR.

I. Qvicqvid est omnipotens, est DEUS.

II. Si λόγος est omnipotens, & natura humana est omnipotens, duæ erunt naturæ omnipotentes, sed unus est omnipotens, qvod testatur *Symbolum Athanasii*: Non tres omnipotentes, sed unus est omnipotens.

III. Christi natura humana est superata à Judæis. E. non est omnipotens.

IV. Si omnipotens fuisset humana natura, non potuisset pati.

V. Christus secundum humanam naturam imploravit auxilium patris. E. non est omnipotens.

VI. Res finita non est capax rei infinitæ. Humana Christi natura est finita. E.

VII. *Matth.* 20. 23. negat Christus, se posse distribuere sessionem ad dextram & sinistram.

IIX. *Marc. 6. 5.* dicitur, *Christum nullum potuisse signum facere in Patria sua.*

RESPONDETUR.

Ad I. Per limitationem propositionis h. m: qvicqvid est omnipotens ex se, & naturæ suæ proprietate naturali, id est Deus, qvod in Minore de humana Christi natura postmodum negatur.

Ad II. Ignorantia est 1. Elenchi. Aphorismus ille in *Symbolo Athanasii* non proprietatum divinarum communicationi, sed essentiæ divinæ sectioni & distractioni opponitur. 2. Aliud est omnipotentem esse ex se, & natura propria, aliud autem ex gratia, & œconomia. Non illo, sed hoc modo Christi caro omnipotens dicitur.

Ad III. Distingv. *inter omnipotentiæ χρῆσιν, καὶ κτῆσιν.* Christus qvidem fuit omnipotens ratione κτήσεως, noluit tamen ipso actu eam exercere.

Ad IV. Addatur limitatio: Si exerat potentiam suam, qvod non est factum.

Ad V. Distingv. *inter id ex propria indigentia, & simplici necessitate, & qvod fit per qvandam οἰκονομίαν.* Non illo, sed hoc respectu auxilium Patris imploravit.

Ad VI. Fallacia est à dicto secundum qvid. Major enim vera est de capacitate physica, non verò hyperphysica. Non de hac, sed illa loqvitur regula.

Ad VII. Non dicitur Christum non posse, sed ei non competere, οὐκ ἔστι, *non competit.*

Ad IIX. Distingv. *inter potentiam absolutam, & ordinatam.* Ob externum aliqvod impedimentum, incredulitatem scilic. eorum, uti *v. 6.* habetur, non poterat.

QVÆSTIO VI.

An carni Christi assumptæ sit communicata omniscientia? affirmat Text.

NEGATUR.

I. Christus ignorat diem extremi Judicii, *Marc. 13. 32.*

II. Crevit sapientia *Luc. 2. 52.*

III. Si Christi humana natura est omniscia, dici qvoqve potest ipsa DEitas. Hi enim termini sunt convertibiles.

IV. Humanitas omnia novit, sed ex revelatione τοῦ λόγου.

V. Gen.

V. *Gen.22.12.* dicit Angelus (qvi Christus fuit): *nunc cognovi, qvod DEum timeas*; si cognovit tunc, utiqve antea ignoravit.

VI. *Matth.7.23.* Negat ipse, se nunqvam noviſſe impios.

RESPONDETUR.

Ad I. Diſtingv *inter ſtatum exinanitionis, & exaltationis.* Ab illo ad hunc argumentari velle, abſurdum eſt. 2. Aliud eſt ſcire ſibi, aliud ſcire aliis; ſcivit qvidem ſibi, non autem aliis, qvibus non voluit, nec debuit revelare.

Ad II. Diſtingv. *inter 1. Sapientiam divinam, & habitualem.* Hâc creviſſe dicitur. 2. Intelligitur manifeſtatio ſapientiæ per actus externos.

Ad III. Limitanda propoſitio: Si Chriſti humana natura per ſe, ex ſe, & naturâ ſua omniſcia eſſet, vel ſi omniſcientia de humana natura ejus qvidditativè, vel eſſentialiter prædicaretur, tunc poſſet ſubſumi, qvod ſubſumitur, hoc verò non fit.

Ad IV. Fallacia eſt Oppoſitionis. Revelatio enim illa, & communicatio non pugnant.

Ad V. Diſting. *inter notionem viſionis, & approbationis:* Cognovit notitiâ approbationis, qvod antea ipſi non ignotum erat ratione viſionis: *Cognovit in manifeſtatione operis, qvod antea latebat occultum in affectu*, ut inqvit *Auguſtinus.*

Ad VI. Limitatur propoſitio. Non novit impios eo ſcilic. modo, qvo novit viam Juſtorum, qvam approbat, promovet, & beneplacito ſuo proſeqvitur *Pſ. 1. 6.*

QVÆSTIO VII.

An carni Chriſti aſſumptæ communicata fuerit omnipræſentia? Affirm. Text.

NEGATUR.

I. Verbis Angeli, *Marc. 16. 6. Non eſt hîc.*

II. *Matth. 26. 11: Me non ſemper habetis.*

III. Adſcendit ad cœlos.

IV. Conſedit ad dextram Dei.

V. Revertetur aliqvando in extremo die. Qvid autem reverſione opus, ſi jam ubiq; eſſet præſens. E. ex cœlo expectamus Salvatorem, *Phil. 3. 20.*

VI. Qvodcunqve corpus poſt conglorificationem non deſiit eſſe corpus, illud non eſt ubiqve. Chriſti corpus, &c. E.

VII.

VII. Qvodcunqve corpus post glorificationem non deposuit proprietates suas, non potest esse omnipræsens. Christi corpus, &c. E.

IIX. Qvodcunqve corpus post glorificationem non factum est Deus, illud omnipræsens non est. Christi corpus, &c. E.

IX. Christi corpus est humanum corpus, &c.

X. Qvod simpliciter est impossibile, id nullo respectu fit possibile. Humanam Christi naturam esse omnipræsentem, est simpliciter impossibile. E.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter præsentiæ modum naturalem, seu localem, & supernaturalem.* Non illo, sed hoc modo omnino aderat.

Ad II. Distingv. *inter præsentiam ipsam, & præsentiæ curam, & observationem, qvæ corporalium officiorum cultu perficitur.* De hac, non illa loqvitur Christus.

Ad III. Distingv. *inter præsentiam visibilem, & invisibilem.* Per ascensionem illa tantùm, vel formalis conversatio, neqvaqvam autem hæc, præsentia sc. invisibilis, sublata est.

Ad IV. Dextra Dei non est locus aliqvis, sed totam rerum universitatem, mundum cùm superiorem, tùm inferiorem comprehendit, ut ita Christus per hanc sessionem ab hoc mundo inferiore non excludatur.

Ad V. Loqvitur de reditu visibili, qvi invisibilis præsentiæ promissionem non destruit, qvasi veritatem proprietatum non amplius retinuerit, seu illas exuerit, sed qvia evecta est in illam hypostasin post semel factam unionem personalem, in qva, & propter qvam subsistit, & propter qvam extra omnium locorum intervalla est collocata caro.

Ad VI. Distingv. *inter proprietates carnis Christi constitutivas, & consecutivas*: Illas post factam glorificationem, non verò has deposuit,

Ad VII. Distingv. *inter omnipræsentiam per se alicui competentem, & propter unionem personalem ex gratia alicui collatam.* De illa, non hac omnipræsentiæ specie loqvitur propositio.

Ad IIX. Non tantùm. Non enim merè humanum corpus est in ipsa unione, verum ei ea tribuuntur, qvæ aliàs minimè corpori humano tribui possunt. Fallacia igitur Consequentiæ.

Ad IX. Etqvidem corpus humanum, Sed non ψιλὰν ἀνθρώπου, verum θεάνθρωπον. Ad X.

Ad X. Per limitationem Majoris h.m: Qvicqvid & physicè, & hyperphysicè simpliciter est impossibile, illud qvoq; nullo respectu est possibile; Non hoc, i. e. coram Deo, sed illo respectu coram hominibus tantùm impossibile videtur.

QVÆSTIO IIX.

An carni Christi assumptæ tributa sit virtus vivificandi? Affirmat Textus.

NEGATUR.

I. In qvo omnes vires vitæ extinctæ sunt, in eo non potest esse vita. In Christo mortuo, &c.

II. Si in carne Christi fuisset vis divina vivificandi, non potuisset occidi.

III. Caro non prodest qvicqvam; *Joh. 6. 63.*

IV. Non legitur in Scriptura, carnem Christi esse vivificam.

RESPONDETUR.

Ad I. Omnes vires vitæ naturalis extinctæ sunt, à cujus privatione ad virtutis vivificæ, hoc est, doni supernaturalis privationem, non rectè fit argumentatio.

Ad II. Distingv. *inter possessionem alicujus rei, & usurpationem.* Propter hujus liberam, & voluntariam abdicationem negatur connexio Majoris.

Ad III. Caro (1) nudi hominis non prodest, qvalis non est caro Christi. (2) Non dicit Christus; mea caro, sed caro in genere.

Ad IV. Est petitio principii: Repugnat enim totum caput *6. Johannis.*

QVÆSTIO IX.

An carni Christi assumptæ communicata sit potestas remittendi peccata? Aff. in Textu.

NEGATUR.

I. Solus Deus remittit peccata, *Es. 43. 25.* Humana Christi natura non est Deus. E.

II. Gloria hæc solius Dei est, qvam alteri non dat, *Es. 42. 8.*

III. Ipse Christus pro nobis interpellat, ut loqvitur Apostolus, *Rom. IIX. 26. Ebr. VII. 25.* ut peccata nobis remittantur. E. ipse nobis ea non remittit.

RE-

RESPONDETUR.

Ad I. Remittit solus Deus virtute propriâ. Christus autem qvoad humanam naturam vi communicatâ propter unionem personalem.

Ad II. Neqve alteri eam gloriam dat, sed propriè filii sui humanitati, h. e. per unionem personalem sibi appropriatæ, & in unitatem personæ assumptæ.

Ad III. Christus consideratur dupliciter, 1. ut Deus. 2. ut Mediator; respectu officii Mediator est, & pro nobis interpellare dicitur.

QVÆSTIO X.

An carni Christi assumptæ communicata sit potestas judicii faciendi? Affirmat Textus.

NEGATUR.

I. Si Christus judicium exerœt in omnes homines eò, qvod est homo, seqvitur, omnes homines futuros esse judices.

II. *Act. 17. 31: Vir judicabit orbem terrarum.* Christus non est vir. E.

III. Esset hac ratione Christus Apostolis similis, qvi judicaturi sunt duodecim tribus Israël. *Matth. 9. 28.*

RESPONDETUR.

Ad I. Fallacia est causæ. Non ideò, qvia homo est, hocce judicium peraget, sed qvia humana natura τῷ λόγῳ personaliter unita est. Præsupponitur itaqve falsa hypothesis.

Ad II. Christus consideratur, vel respectu divinæ, vel humanæ naturæ; non illius, sed hujus vir dicitur.

Ad III. Est petitio principii. Non eo modo judicabunt Apostoli, qvo Christus. Thronus enim Christi manifestè distingvitur ibi à sedibus Apostolorum. Apostoli qvidem judicabunt 1. voce doctrinæ, *Joh. 12. 48.* 2. Per exemplum, *Luc. 11. 19.* Suæ namqve fidei inobedientia condemnabunt incredulos. 3. Judicabunt per approbationem judicii à Christo lati, *Apoc. 15. 3* Christus verò judicabit authoritativè, & potestativè, non approbativè, ut Apostoli.

QVÆSTIO XI.

An Christus tantùm secundum humanam naturam sit Mediator noster, an verò secundum utramqve? Negatur prius, affirm posterius.

NEGATUR.

I. *1. Tim. 2. 5. Unus est Deus, unus & mediator Dei, & hominum, homo Jesus Christus.*

II. Mediator debet esse medius inter duo extrema, distans ab utraqve parte dissidente aliqvo modo. At à Deo distat Christus nullo modo.

III. Si Christus esset aliqvo modo mediator secundum divinam naturam, omnes tres personæ SS. Trinitatis essent mediatores.

IV. Si operatio propria mediatoris conveniret Christo ratione utriusqve naturæ, seqveretur confusio operationum, & conseqventer naturarum in Christo confusio.

V. Sangvis notat solam humanam naturam. Sangvine verò constat omnis nostra redemptio, & mediatio, *Act. 20. 28. Joh. 1. 7.*

RESPONDETUR.

Ad I. Fallacia est conseqventis. Intelligitur enim homo Christus Jesus cum utraq; natura. 2. Fallacia divisionis; Christus enim ut nomen personæ statim additur. 3. Fallacia causæ: Non enim particula hominis ratione personæ, sed φιλανθρωπίας, & συμπαθείας causa additur.

Ad II. Christus consideratur dupliciter, 1. ἁπλῶς simpliciter ut Deus, & 2. Determinatè, ut Deus incarnatus. Non illo, sed hoc modo hîc consideratur. Undè eleganter *Augustinus* loqvitur: *Inter solam humanitatem mediatrix est divina humanitas, & humana divinitas.*

Ad III. Natura divina consideratur, vel 1. Absolutè, ut tori Trinitati communis est, vel 2. Relatè, qvatenus in certa consideratur hypostasi. Non illo, sed hoc respectu h.l. sumitur.

Ad IV. Distingv. *inter confusionem proprietatum, & earum communicationem.* Non illa, sed hæc locum hîc habet.

Ad V Sangvis ille non tantùm est humanæ naturæ, sed totius personæ, qvæ non constat solâ humana, sed humanâ, & divinâ natura;

ita

ita ut veriſſimè dicere liceat, ſangvinem illum, qvi effuſus eſt, fuiſſe ſangvinem ipſius filii Dei.

LOCUS XIII. DE FIDE.

QVÆSTIO I.

An fides ſit notitia, an ignorantia? Aff. prius in Textu.

NEGATUR.

I. *Ebr. 11. 7*, Ubi *fides dicitur argumentum rerum non apparentium*; jam ſi fides circa non apparentia verſatur, qvomodo erit notitia, qvâ cognoſcitur illud, qvod non apparet.

II. A teſtimoniis Patrum, qvi dixerunt, fidem verſari circa res incognitas & arcanas, qvæ magis neſciuntur, qvàm intelliguntur.

III. Si fides eſſet notitia, ſciremus myſteria divina, neqvaqvam verò crederemus, qvod tamen falſum.

IV. *Eſa. 7. 9: Niſi credideritis, non intelligetis*; ubi videmus fidem, non eſſe intelligendam.

V. Apoſtolus diſtingvit myſteriorum notitiam à fide, ut duo diverſa. *1. Cor. 13. 2: Si habuero omnem fidem &c.*

VI. *2. Cor. 10. 5.* Apoſtolus dicit, *ſe per Evangelii prædicationem in captivitatem redigere omnem intellectum in obſeqvium Chriſti*; at certè neceſſe non eſt captivare intellectum, ubi eſt notitia veritatis.

VII. Apoſtolus obedientiam fidei reqvirit, & ſi per fidem notitia probaretur, qvorſum obedientia in credendo opus eſſet?

IIX. Apprehenſio non eſt fides, ſed aliqvod fidem præcedens; poſſunt enim infideles qvoqve myſteria fidei apprehendere.

IX. Apprehenſio non dicitur notitia, ſi ſit rudis & confuſa, qvalis ad fidem non ſufficit.

X. Maxima pars fidelium vel propter ætatem puerilem, vel propter ſexum muliebrem, vel propter ingenii ruditatem, vel propter imperitiam literarum & ſcientiarum eſt expers, qvales ſunt penè omnes ruſtici, qvi myſteria fidei ignorant, & tamen inter fideles numerantur, cum fatentur, ſe credere in DEum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.

RESPONDETUR.

Ad I. 1. Aliud est videri, aliud cognosci. Licet fides sit argumentum earum rerum, qvæ non videntur, est tamen rerum, qvæ suo modo cognoscuntur. 2. Visio est triplex: 1. Corporis. 2. Mentis. 3. Fidei. Videmus mysteria, licet neqve corporis, neqve rationis, fidei tamen oculo, qvi eò penetrantior est, qvò divinior. De qva visione agit *Paulus 1. Cor. 13. 12.* 3. Non videri vel cognosci duplicem habet sensum, 1. Absolutum, 2. Comparatum. Ibi omnis, hîc aliqva cognitio excluditur. De hoc, non illo loqvitur Apostolus.

Ad II. Distingv. *inter cognitionem ipsam, & cognoscendi modum.* De hoc, non illa locuti sunt Patres. 2. Distingv. *inter philosophicam scientiam, & theologicam.* Respectu illius, non hujus dixerunt, circa rès incognitas, & arcanas fidem nostram versari.

Ad III. Dist. *inter cognitionem certitudinis, & evidentiæ.* Illa est, cum res certè qvoad esse suum intelligitur; hæc cum præterea ejus ratio causæqve innotescunt. Prior notitia cum fide est conjuncta, non posterior.

Ad IV. Fallacia est Figuræ Dictionis. In Ebreo non est, *intelligetis, sed permanebitis & ita etiam Vulgata*, ut sensus sit: si non credideritis, non permanebitis.

Ad V. Distingv. *inter fidem justificantem, & miraculosam.* Non de illa, sed hac loqvitur Apostolus, ut ita fit 1. Ignoratio Elenchi. 2. Distingv. *inter exactam mysteriorum divinorum cognitionem, & aliqvalem.* Non qvidem illa semper, hæc tamen cum fide conjuncta est, qvantumvis sæpe lateat τὸ διότι, non tamen τὸ ὅτι.

Ad VI. Distingv. *inter sapientiam hujus mundi ex principiis naturalibus ortam, & cœlestem ab illuminatione Spiritus S. originem trahentem.* Rationelius, non hujus sapientiæ Apostolo captivitatem peperit.

Ad VII. Obedientiâ fidei Apostolus scrupulosum rationis humanæ scrutinium in mysteria rejicit, neqvaqvam verò lucem cognitionis spiritualis negat.

Ad IIX. Limitanda est propositio: Apprehensio sine assensu non est fides.

Ad IX. Concedimus esse gradus notitiæ, interim tamen nulla est fides, licet

licet tenuis & langvida sit, qvæ non aliqvam reqvirat notitiam.

Ad X. Variè sumitur vox fidei. Ἰδίως vel propriè illi dicuntur fideles, qvi Evangelio Christi credunt, ejusqve beneficia in verbo oblata vera fide amplectuntur & si rationis suæ modulo ea, qvæ credunt, assequi neqveant. Sola igitur & nuda confessio oris, non est nota fidei infallibilis, sed reqviritur simul interior πληροφορία cordis.

QVÆSTIO II.

An fides sit fiducia? aff. in Textu.

NEGATUR.

I. Impossibile est ut una, eademq; numero qvalitas diversis insit subjectis. E. neqve fides in mente, seu intellectu, & voluntate est.

II. *Rom. IV. 19.* dicitur *Abraham est infirmatus in fide, nec consideravit corpus suum emortuum.* Consideratio ad intellectum pertinet, qvare & fides tantùm erit in intellectu, non in voluntate, ideoqve non erit fiducia.

III. *Ebr. II. 13.* habetur: *Fide intelligimus: v. 6. accedentem ad DEum opertet credere*, qvæ omnia notant assensum, & fiduciam.

IV. *1. Cor. 13. 13. Nunc manent fides, spes, charitas.* Hîc fides à spe distingvitur, jam verò fiducia nihil aliud est, qvam spes roborata. E. qvædem fiducia oritur ex fide, fides autem ipsa non est.

V. *Eph. 3. 12. In qvo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem*, qvo in loco fides à fiducia distingvitur, ut causa ab effectu.

VI. Objectum fidei sunt omnia, qvæ DEus revelavit. At fiducia tam latè non patet, cum solùm bona & ea fortunæ respiciat.

RESPONDETUR.

Ad I. Fides in diversis est potentiis, sed non secundum eandem partem. Qvoad notitiam enim, & assensum est in intellectu. Qvoad fiduciam verò in voluntate.

Ad II. 1. Fidem Abrahæ assensum fuisse concedimus, non verò tantùm assensum. Contrarium enim ex textu patet. Promissio enim objectum statuitur fidei Abrahamiticæ, qvam non solùm assensu, sed firmâ etiam fiduciâ amplexus est, credens contra spem (naturæ) in spe. 2. Ex opposito, qvod est diffidentia, contrarium intelligitur, & colligitur, scil. fiducia.

Ad III.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027629733/phys_0165
Mecklenburg Vorpommern

Ad III. Fallacia est oppositi. Unus enim fidei actus non tollit alterum, neqve exercitia fidei opponi debent ejus formæ. Utrumqve includit fides, verum non respectu utriusqve in omnibus Scripturæ dictis describitur, sed nunc de parte prima vel assensu, nunc de secunda scil. fiducia fit mentio.

Ad IV. Dist. 1. *inter fiduciam spei, & fidei.* Illa bonum promissum futurum respicit, & expectat, hæc verò idem ut præsens percipit, & apprehendit. 2. Vox fidei sumitur latè, & strictè. Latè interdum propter arctissimam fidei, & spei conjunctionem, qvandoqve permutatur, propriè verò fides à spe distingvitur.

Ad V. 1. Fides distinctos habet gradᵒ, secundum qvorum diversitatem diversas etiam interdum sortitur appellationes. 2. Licet infirma qvoqve fides sit fides, βέβαιος tamen dici non potest, qvia hoc qvidem denotat fidem, non autem nisi fidem robustam, validam, & potentem.

Ad VI. Fides ratione assensus pro objecto habet, qvicqvid nobis in Scriptura est revelatum, Ratione verò fiduciæ tantùm circà Christum redemptorem, & misericordiam Dei Patris in illo nobis exhibitam occupata est.

QVÆSTIO III.

An homo vera fide præditus certus esse possit ac debeat de gratia Dei, & remissione peccatorum? Aff.

in Textu.

NEGATUR.

I. *Nescit homo, utrum odio, an amore dignus sit,* dicit Ecclesiastes, c. 9. 1.

II. A testimoniis, qvæ indicant incertum esse, an qvi agit pœnitentiam, consequatur remissionem peccatorum, *Dan. 4. 24. forsan ignoscet Deus delictis.* Sic *Joel. 2. 14. Jon. 3 10.*

III. Qvi statuit, se esse hæredem vitæ æternæ sine omni hæsitatione, is laborat Pharisaicâ præsumptione.

IV. Humanæ carni semper luctandum est cum Spiritu. E. non potest homo de salute sua certus esse.

V. *Prov. 28. 14: Beatus, qvi semper est pavidus.*

VI. *Cum timore & tremore vestram operamini salutem, Phil. 2. 12.*

RE-

RESPONDETUR.

Ad I. Ignoratio est 1. Elenchi. Sensus enim est, non posse, nec debere hominem ex eventibus externis in hac vita statuere, utrum Deo placeat, cum omnia omnibus similiter eveniant. 2. Fallacia causæ. Ideò enim hoc dicitur, non ut dubitemus, sed ut cautè ambulemus, ne per opera mala Spiritum S. excutiamus. 3. Qvidam non de amore Dei, sed hominum interpretantur.

Ad II. Dicta illa omnia (1) agunt de pœnis temporalibus, qvæ justificatis etiam, & à Deo in gratiam receptis qvandoqve infligi solent. 2. Φράσις illa, *forsan ignoscet*, non tàm est dubitantis, qvàm benè sperantis, excitantis, animantis, ac confirmantis.

Ad III. Verum est de merito proprio, non alieno, qvod Christi est.

Ad IV. Lucta carnis arguit imbecillitatem, non verò incredulitatem.

Ad V. Distingv. *inter timorem servilem, & filialem.* Non de illo, sed hoc verba sunt intelligenda.

Ad VI. Eadem huc referenda responsio, qvæ ad qvintum objectum data est.

LOCUS XIV. DE LEGE ET EVANGELIO.

QVÆSTIO I.

An leges forenses in N.T. sint abrogatæ? Aff. in Text.

NEGATUR.

I. Autor legum forensium est sapientissimus, idemqve immutabilis. E. novit optimè, qvibus legibus Politiæ sint regendæ, easdemqve observari voluit immediatè.

II. Moses Legislator est sapientissimus, qvi non cum Legislatoribus Romanorum est conferendus. Hasce autem leges posuit.

III. Non legitur in N.T. forenses leges esse abrogatas à Christo, vel Apostolis, aliàsvè in earum locum subordinatas esse.

IV. Christus diserte ait, se non venisse, ut legem solveret, *Matth. 5. 17.*

V. *Joh. 8. 6.* Non abrogat Christus legem de pœna adulterii.

VI. Magistratus non potest esse certus, qvod judicium juxta leges Romanorum latum Deo placeat, cum destituatur verbo.

VII. *1. Cor. 6. 1.* Corinthii reprehenduntur à Paulo, qvod coram Ethnicis

nicis Magistratibus litigent. Improbantur igitur Ethnici Magistratus leges, & judicia.

RESPONDETUR.

Ad I. Fallacia est à dicto secundum qvid. Respectu Judaicæ Politiæ sapientissimo Dei consilio latas esse illas leges, nemo negat.

Ad II. Fallacia est causæ. Leges Romanorum non ideò præferuntur legibus forensibus Mosaicis, ac si simpliciter, & absolutè loqvendo legum-latores Romanorum sapientiores fuissent ipso Mose, sed qvia nobis, & nostris Politiis sunt promulgatæ.

Ad III. Aliud est in specie aliqvid tradere, aliud in genere aliqvid approbare. Qvamvis Christus, & Apostoli in specie novas leges non tulerint, nostro tamen promulgationem earundem Magistratui tradunt, eandemqve confirmant, qvando Magistratui debitum obseqvium præstare disertè jubent, *Matth. 22. 21. Rom. 13. 1.*

Ad IV. Ignoratio est Elenchi. Loqvitur enim Christus de lege morali, non forensi.

Ad. V. Nec approbat expressè, nec rejicit, ut ostendat, se non in hunc mundum eo fine venisse, ut pœnas civiles irrogaret, & Politici muneris partem sibi sumeret.

Ad VI. Petitio est principii. Deus enim ipse jubet obedire Magistratui; concedit igitur & potestatem ferendarum legum non pugnantium cum lege morali.

Ad VII. Distingv. *inter rem & rei modum, ac causam.* Non illam, sed hanc taxat φιλεϱιθειαν, scil. qvod ex rixandi libidine tantùm qvacunqve levissima de causa coram Magistratibus Ethnicis magno cum Ecclesiæ scandalo litigare non erubescerent.

QVÆSTIO II.

An lex ab hominibus possit impleri? Neg. Text.

AFFIRMATUR.

I. *Matth. 11. 30: Jugum meum suave, & onus meum leve.*

II. *1. Joh. 5. 3: Mandata Dei gravia non sunt.* E. multò minus impossibilia.

III. Per dilectionem lex impletur, *Joh. 14. 23.* Renati verò diligunt Deum.

IV. Scriptura agnoscit homines perfectos in hac vita. E. perfectè diligunt Deum, legemqve implent, ut Noah, *Gen. 6. 9.* Abraham, *Gen. 17. 1.* V. Scri-

V. Scriptura dicit qvosdam servasse mandata, ut perspicuè illud docet de dilectione ex toto corde, *Ps. 118. 10. 1. Reg. 14. 8.*

VI. Josua dicitur nihil omisisse eorum, qvæ Jehova præceperat. *Jos. 15. 15.*

VII. *Phil. 4. 13: Omnia in eo possum, qvi me confortat.*

IIX. *Ezech. 36. 27: Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis.*

IX. Plus homo potest facere, ac ipsi in lege præcipitur. *Matth. 19. 20.* dicit adolescens: *Hæc omnia servavi.* Christus verò dicit, *v. 21. Si vis perfectus esse, vade ac vende omnia,* qvæ æqvè facere poterat.

X. Si lex impossibilis esset, Deus qvovis Tyranno esset crudelior, qvippe qvi ab ipsis etiam amicis tributum exigeret, qvod nemo solvere posset, & leges ferret, qvas à nemine sciret observandas.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter jugum legis, & jugum crucis.* Non de illo, sed hoc verba Christi sunt intelligenda.

Ad II. 1. Diverso respectu mandata Dei sunt gravia, & non gravia. Gravia, respectu perfectæ impletionis juxta rigorem legis à nobis præstandæ; Non gravia sunt, respectu imputationis obedientiæ Christi. 2. Respectu inchoationis, qvia Spiritus S. renatos interius renovat, & veram Dei dilectionem in illis accendit, ut non gravatim, nec coactè mandatis Dei obediant.

Ad III. Distingv. *inter dilectionem talem, & qvalem* lex exigit. Non qvaliscunqve dilectio Dei satisfacit, sed exacta & perfectissima.

Ap IV. Fallacia est (1) φράσεως Scripturæ. In phrasi perfectus, & immaculatus dicitur, qvi damnabilibus caret omnibus. (2) Distingv. *inter perfectionem absolutam, & respectivam.* Non illâ, sed hâc perfecti esse dicuntur.

Ad V. Phrasis *ex toto corde,* duplicem obtinet significationem: 1. Exprimit perfectam obedientiam; 2. Obedientiam absq; hypocrisi. Sensus itaq; est: Illum, qvi ex toto corde diligit non simulatè, ac hypocriticè amare.

Ad VI. Qvod Josua dicitur, nihil omisisse eorum, qvæ Jehova præceperat Mosi, intelligendum est secundum qvid, de Cananæorum deletione, ac terræ promissæ distributione.

Ad VII. Intelligenda sunt verba Apostoli secundum subjectam materiam

teriam. 2. Reduplicativè, ut hic sit sensus: *Omnia qvæ possum, non ex me, & viribus meis, sed in Christo, qvi me confortat.*

Ad IIX. Omnes renati ac fideles pro virili ac mensura donorum Spiritus S. observant, & custodiunt mandata DEI. Non autem hinc seqvitur, qvod perfectè in hac vita legem implere possint.

Ad IX. Est Fallacia causæ. Negatur enim, qvod adolescens ille omnia præcepta observaverit, neqve Christus affirmat illud, neqve superaddi aliqvid jubet, sed potius vanam jactantiam adolescentis ex lege retundit, ejusqve avaritiam in lucem protrahit.

Ad X. Limitanda est 1. propositio: Si lex omni modo impossibilis esset, aliqvid seqveretur, qvod autem non est. Fuit verò possibilis 1. ante lapsum. 2. In statu gratiæ, & renovationis, sed imputativè, & inchoativè. Et 3. erit possibilis in vita æterna. 2. Fallacia est causæ Legem suam non eo fine DEUs post lapsum repetivit, qvasi perfectè eam homines implere valerent, sed ut ex ea esset agnitio peccati, *Rom 3. 20.* & esset norma bonorum operum.

QVÆSTIO III.

An lex qvoqve proponenda in Ecclesia? Aff. contra Antinomos.

NEGATUR.

I. *1. Tim. 1. 9. Justo non est lex posita.* Renati sunt Justi. E.

II. *Renati non sunt sub lege. Rom. 6. 14. Liberati sunt à lege, Gal. 4. 5.* E. non indigent doctrina legis.

III. *Renati aguntur Spritu DEI, Rom. 8. 14.* E. calcari legis non indigent.

IV. Si renati adhuc sub lege essent, opera ipsorum non Evangelio, sed legi accensenda forent.

V. *Matth. 11. 13: Lex, & Prophetæ usqve ad Johannem.* E. lex & Prophetæ ad renatos sub N. T. non spectant.

VI. Christus implevit legem, E. nobis non est implenda.

RESPONDETUR.

Ad I. Fallacia est à dicto secundum qvid. Lex Justo non est posita, ut alii interpretantur, scil. ad servilem coactionem, & condemnationem.

Ad II.

Ad II. Est 1. Ignorat. Elenchi. Sub lege enim non esse, non significat omnimodam à lege immunitatem, sed notat liberatum esse à legis maledictione. 2. Fallacia est à dicto secundum qvid. Non sunt sub lege, scil. (α) qvoad justificationem, (β) accusationem, (γ) maledictionem, & coactionem. Deinde sunt sub lege qvoad vitæ normam, & informationem.

Ad III. Spiritus S. regit renatos, sed non immediatè, verum utitur verbo tanqvam organo, ideòq; ex lege norma bonorum operum petenda est, in qvibus renati ambulent.

Ad IV. Bona opera renatorum pertinent ad legem ratione objecti, ad Evangelium ratione efficientis, qvia per Evangelii prædicationem datur Spiritus S. autor bonorum operum.

Ad V. Fallacia est 1. Divisionis. Dicitur enim, lex, & Prophetæ usqve ad Johannem prophetarunt, qvia prophetiæ, Christo jam exhibito, complementum qvoqve suum sunt sortitæ. 2. Valet de lege ceremoniali, non verò morali.

Ad VI. Si de impletione qvoad justitiam meritoria intelligatur argumentum, concedi potest; Si verò de inchoativa nova obedientia, negatur, nec ulla est ratio consequentiæ. Aliud enim est, legem totaliter implere, & consummativè, aliud verò Spiritus S. virtute vitam instituere secundum præscriptum legis, & sic tantùm inchoativè. Hoc de renatis dici potest.

QVÆSTIO IV.

Anne in V. T. prædicatum sit Evangelium? Aff.

NEGATUR.

I. Lex per Mosen data, gratia autem, & veritas per Christum nobis contigisse dicitur *Joh. 1. 17.* Moses solam legem, Christus solum Evangelium docuit.

II. Paulus dicit, *Rom. 1. 2.* Evangelium esse promissum per Prophetas. E. per ipsos non prædicatum, sed communicatum tantùm.

III. *Rom. 16. 25.* Evangelium dicitur *mysterium æternis temporibus tacitum & absconditum: Nunc autem v. 26. manifestatum.*

IV. Patres V. T. expectarunt promissum Messiæ adventum. E. tan-

tum spes, non autem fides ipsis tribuenda, vel certe ipsorum fides diversa fuit à nostra.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter Mosen Doctorem, & Legislatorem.* Moses ut Doctor de Christo prædicavit, & scripsit, sed ut Legislator, & veteris pacti mediator legem tantùm dedit.

Ad II. Vox *Evangelii* dupliciter sumitur, vel de promissione gratiæ, & remissionis peccatorum propter Christum gratis dandæ, vel de publico Messiæ exhibiti præconio, qvod cum in N. T. demum cœpit, manifestum est, Evangelium in priori significatione accipiendum esse.

Ad III. Fallacia est Divisionis. Additur enim, qvod manifestum sit per Scripturas propheticas. E. innotuit, licet minus clarè, & paucioribus, ut distingv. sit *inter totam Evangelii manifestationem, & totam & tam claram manifestationem.*

Ad IV. Fides complectitur notitiam, & apprehensionem fiducialem. Respectu notitiæ, diversitas qvædam inter fidem piorum in V. T. & nostram facilè constitui potest: Respexerunt enim illi in Messiam promissum, nondum autem exhibitum, qvem nos scimus, & credimus in N. T. exhibitum esse, fiducialis tamen apprehensio utrobiqve est eadem.

LOCUS XV. DE POENITENTIA.

QVÆSTIO I.

An post baptismum lapsi possint denuò in gratiam redire cum DEO? Aff. ab Autore contra Novatianos.

NEGATUR.

I. *Ebr. 6. 4: Impossibile est eos, qvi semel illuminati sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.*

II. Soli DEO remittendorum criminum potestas est reservanda; illi enim soli peccamus.

III. DEus esset mutabilis, si his, qvibus fuisset iratus, ignosceret.

IV. Qvæ-

IV. Qvædam Scripturæ dicta de gratia DEI agentia dubitativè loqv videntur, *Joel 2. 14. Jon. 3. 9.*

V. Esau non invenit locum pœnitentiæ, qvamvis cum lacrymis eam qværeret, ut loqvitur *Epistola ad Ebr. 12. 17.*

RESPONDETUR.

Ad I. Dist. 1. *inter impossibilitatem necessitatis simplicis, & necessitatis causæ.* Non illa, sed hæc impossibilis dicitur. 2. Non de qvovis peccato, sed peccato in Spiritum S. dicitur.

Ad II. Distingv. *inter remissionem peccatorum authenticam, magisterialem, & ministerialem.* Illa, non hæc soli DEO competit.

Ad III. Distingv. *inter mutationem, qvæ fit in DEO, & qvæ fit in nobis.* Non in DEO, sed in nobis fit mutatio.

Ad IV. Est Ignorantia Elenchi. Non de reconciliatione cum DEO, omnibus verè pœnitentibus certò promissa agit, sed de pœnis peccatorum temporalibus.

Ad V. Pœnitentiæ vox ibi passivè usurpatur pro pœnitentia Patris Isaaci; Esau enim non invenit locum pœnitentiæ, i.e. non potuit lacrymis, & precibus parentis animum permovere, ut benedictionem Jacobo collatam revocaret, sed audire coactus fuit, *Benedixi ei, & benedictus erit, Gen. 27. 33.*

QVÆSTIO II.

An duæ pœnitentiæ sint partes? Contritio, & Fides? affirm. Textus.

I. NEGATUR, Contritionem esse pœnitentiæ partem essentialem.

I. Scriptura terrorem à Pœnitentia distingvit *2. Cor. 2. 10.* qvæ secundum DEum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.

II. Terreri, non est actus Virtutis, sed effectus naturalis, qvi tam pueris, qvàm brutis ipsis competit.

III. Terrores etiam in illis sunt, qvi nunqvam agunt pœnitentiam, ut in Dæmonibus, qvi credunt, & contremiscunt, *Jac. 2. 19.*

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter distinctionem, & separationem.* Dolor de commissis pec-

peccatis ab ipsa pœnitentia distingvitur, non autem penitus ab ea separatur.

Ad II. Distingv. *inter terrorem simpliciter consideratum, & certo modo ex agnitione peccatorum, & intuitu iræ divinæ ortum.* Hic neqve pueris, neqve brutis communis est, neqve naturalis est.

Ad III. Distingv. *inter terrorem filialem, & servilem.* Hic, non ille ex metu pœnarum, impiorum & Dæmonum proprius est.

II. NEGATUR fidem esse pœnitentiæ partem.

I. Fides à pœnitentia distingvitur, *Marc. 1. 15.*

II. Crediderunt viri Ninivitæ in Deum, & prædicarunt jejunium, & induti sunt cilicio, *Jon. 3. 5.* Undè constat, fidem pœnitentiam præcedere. Causa igitur esse potest, nullo verò modo effectus.

III. Patres Veteres in descriptione pœnitentiæ nunqvam fecerunt mentionem fidei.

IV. Ninivitæ crediderunt in Deum, & tamen dubitarunt de remissione peccatorum; dicunt enim: *Qvis scit, si convertatur Dominus, & ignoscat Deus? Jon. 3. 9.*

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter vocabulum POENITENTIÆ, latè & strictè dictum.* Latè enim vox pœnitentiæ in dicto illo accipitur pro contritione, parte pœnitentiæ priore, qvo sensu, & respectu à fide, opposita ejus parte altera rectè distingvitur.

Ad II. Distingv. *inter fidem historicam, & salvificam.* Illa contritione prior est, hæc contritione posterior est, & hoc probat etiam exemplum Ninivitarum, ubi historica sc. fides contritionem præcessit, non verò salvifica.

Ad III. 1. Petitio 1. est principii. 2. Ab authoritate humana, negativæ argumentationes in divinis parum valent.

Ad IV. Non dubitabant Ninivitæ de reconciliatione cum Deo, sed de aversione pœnarum temporalium per Jonam denunciatarum.

QVÆSTIO III.

Utrum propter contritionem peccata nobis remittantur? Negatur ab Authore, sub titulo: Qvid per contritionem intelligunt Pontificii?

AFFIRMATUR.

I. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis, Luc. 13. 3.* II. Jon.

II. *Jon. 3 10. Vidit Deus omnia opera eorum, qvi conversi sunt de vita mala, & misertus est Deus.*

III. Sacrificium est Deo Spiritus contribulatus, teste David; Ergò contritio ut sacrificium Deum placare, & gratiam ejus impetrare solet.

IV. *Dan. 4. 24: Peccata eleemosynis redime. Tob. 12. 9: Eleemosyna liberat à morte.*

V. Oratio pœnitentis peccatoris placat Deum, & impetrat veniam, *Luc. 18. 13.* E. multò magis conversio ad pœnitentiam.

RESPONDETUR.

Ad I. Est ἑτεροζήτησις, tum qvia hîc non est qvæstio de tota pœnitentia, qvâ qvicqvid remittitur, illud fit respectu fidei, partis principalioris; Tum qvia necessaria est pœnitentia his, qvi remissionem peccatorum qværunt, non necessitate causæ, vel meriti, sed medii.

Ad II. Describitur ordo, qvem in miserendo, & sanando observat, non autem meritum, vel causa, propter qvam Deus misereatur, & peccata remittit. 2. Duo sunt actus commiserationis divinæ, qvorum unus in remissione peccatorum, alter in pœnarum temporalium aversione consistit. Hic de posteriore Propheta inprimis lôqvitur.

Ad III. Distingv. *inter sacrificium propitiatorium, & Evcharisticum.* Unum N.T. propitiatorium sacrificium est passio, & mors filii Dei, piorum verò contritio ad Evcharistica sacrificia pertinet. 2. Aliud est placare Deum, aliud placere Deo; hoc modo qvidem contritio Deo placet, non verò Deum placat, qvod unicum facit Christi meritum.

Ad IV. Non est infreqvens 1. In Scriptura peccati vocabulum pro pœna peccati usurpari, *Lev. 20. 20. Num. 9. 13.* Rex h. l. non qværebat, neqve Daniel respondebat de modo adipiscendi vitam æternam, sed de remotione pœnæ temporalis. 2. *Apologia August. Confeß. dist. inter peccata præterita, & futura*, & ab hisce, non ab illis liberare Eleemosynas statuit. Cum enim bona opera exercentur, peccata vitantur, nec Deus ita offenditur, qvàm aliàs fieri solet. 3. Tobiæ liber est Apocryphus; possunt tamen per mortem intelli-

gi pœnæ temporales, qvas Deus sæpè tollit aut mitigat, qvándo ergà pauperes fumus benefici.

Ad V. Oratio publicani impetravit à Deo peccatorum veniam, nimirum qvatenus profecta est ex fide, cujus respectu ipsa qvoqve pœnitentia salutaris est, qvia Deus in nobis invenit Christum (per fidem), ideoqve in nos ipsum vocantes infundit omne genus beneficiorum, non propter invocationis meritum, sed propter meritum Christi.

LOCUS XVI. DE ECCLESIA.

QVÆSTIO I.

An Ecclesia rectè distingvatur in visibilem, & invisibilem? Aff. Textus.

NEGATUR.

I. Non potest proferri dictum Scripturæ pro invisibilitate Ecclesiæ.

II. *Num. 20. 4: Cur eduxistis Ecclesiam in solitudinem?* Ubi Ecclesia vocatur populus ille notissimus Israël, qvi ex Ægypto exierat.

III. *Matth. 18. 17: Dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus.* Sed qvomodo Ecclesia aliqvid dicere posset, si Ecclesia esset invisibilis.

IV. Comparatur Ecclesia cum monte magno, & conspicuo, *Es. 2. 2. Dan. 9 25. Mich. 4. v. 1.*

V. Si Ecclesia invisibilis esset, non pateret nobis ad eam accessus, non possemus nos Ecclesiæ adjungere.

RESPONDETUR.

Ad I. Petitio est Principii. Deindè in ipso articulo tertio Symboli Apostolici dicimus: Credo Ecclesiam Catholicam &c. Ubi Ecclesia non intelligitur, qvæ videtur, sed qvæ creditur.

Ad II. Distingv. *inter Ecclesiam particularem, & Catholicam.* Nemo nostrum negat, particularem Israëlitarum Ecclesiam fuisse visibilem.

Ad III. Fallacia est Æqvivocat. in vocabulo Ecclesiæ, qvod hîc sumitur pro senioribus ac pro presbyteris, & pro visibili cœtu vocatorum,

sum, neqvaqvam verò pro catholica Ecclesia, qvæ est cœtus Sanctorum.

Ad IV. Esaias, & Mich. describunt Ecclesiæ magnitudinem, & claritatem, qvæ temporibus Messiæ per universam Evangelii prædicationem erat futura. Huic vaticinio respondet eventus, sed ex eo nihil contra nostram inferri potest sententiam.

Ad V. Distingv. *inter accessum localem, & manifestum, & spiritualem vel occultum*; etiamsi ille non habeat semper locum, hic tamen semper obtinet.

QVÆSTIO II.

An Ecclesia visibilis possit errare? Aff. Text.

NEGATUR.

I. *1. Tim. 3. 15. Ecclesia vocatur columna, & firmamentum veritatis.*

II. Ecclesia gubernata est, & gubernatur à Christo ceu sponsa à sponso. Et si Ecclesia in dogmatibus fidei, & morum erraret, Christo, & Spiritui S. hic error tribueretur.

III. 1. Sub anathematis fulmine obligamur credere Ecclesiæ in omnibus, ut patet *Matth. 18. 17.* 2. Iniqvum esset sub tam gravissima pœna obligare ad assentiendum in rebus incertis, & interdum falsis.

IV. Symbolum Apostolicum docet Ecclesiam esse sanctam, sanctitas autem Ecclesiæ reqvirit, ut nihil nisi sanctum doceatur.

V. Si Ecclesia errare potest, dogmata fidei in dubium vocarentur, Sed Matth. Marci Evangelia credere esse Canonica, non spectat ad salutem; multi enim sine ea cognitione salvati sunt. ut & ipsi libri Biblici.

RESPONDETUR.

Ad I. Fallaciam esse à dicto secundum qvid. Non 1. absolutè, & simpliciter Ecclesia columna, & firmamentum veritatis dicitur. 1. Est enim Ecclesia columna confessionis. 2. Custodiæ. 3. Professionis, & 4. testimonii doctrinæ cœlestis, depositi instar sibi commendati. 2. Columna dicitur non πρώτως primariò, qvæ sustinet ædificium, sed ipsa sustentatur in fundamento scil. Christo Jesu, in scriptis Prophetarum, & Apostolorum monstrato.

Ad II. Distingv. 1. *inter gubernationem absolutam, & conditionatam.* Non illo, sed hoc modo Spiritus S. gubernat Ecclesiam, qvam diu scil.

verbum DEI audit, retinet, & conservat. Et sic 2. sponsa qvoque Christi dicitur qvatenus sponsi sui vocem seqvitur.

Ad III. Fallacia est causæ. Non enim agitur hîc de infallibilitate doctrinæ, sed de censuris Ecclesiasticis, & correctione peccatorum. E. Hinc eam qvilibet audire tenetur, qvatenus illa audit Christum.

Ad IV. Distingv. *inter Ecclesiam catholicam invisibilem, & visibilem particularem.* De illa Symbolum Apostolicum, de hac loqvitur nostra qvæstio. 2. Distingv. *inter doctrinam, & vitæ juxta eam institutionem.* Nemo sanctus est, qvia sanctè docet, sed qvia sanctè vivit.

Ad V. Distingv. *inter simplicem ignorationem, & præfractam negationem.* Credere, qvod sint aliqvæ divinæ scripturæ, non est simpliciter necessarium ad salutem, nimirum si ex simplici ignoratione procedat, qvi verò pertinaciter negare vellet, is hæreticus redderetur, & à salutis possessione excluderetur.

QVÆSTIO III.

An Papa Romanus sit caput Ecclesiæ? Neg. T.

AFFIRMATUR.

I. Si tempore Apostolorum unus inter illos imperium obtinuit, etiam nostro tempore obtinere potest, qvod Christus ad Petrum dicit, *Matth. 16. 18: Tu es Petrus, & super hanc petram &c.* qvæ potestas postea in successores Petri derivata est.

II. Nullum aliàs datur caput visibile. Visibilis autem Ecclesia visibile reqvirit caput.

III. Nos habemus aliqvem antistitem, Superintendentem generalem, & caput.

IV. in V. T. usitatum fuit, ut unicus tantùm esset summus Pontifex. E. & in N. T.

V. Aut Papa Romanus est caput Ecclesiæ, aut nullum erit caput.

RESPONDETUR.

Ad I. Petitio est principii. Undè enim probabitur 1. potestatem illi soli præ aliis concessam fuisse? 2. eandem exercuisse? Cum scil. Petrus se redargui ab Apostolis fuerit passus, & iisdem cesserit *Gal. 2. 11. & 12.* Non dicitur super Petrum (sic enim fuisset fun-

damentum fragile, qvia demortuo Petro nullum esset fundamentum) sed super petram, qvæ petra, *Augustino* teste, confessio erat de Christo, qvi unicum Ecclesiæ suæ est fundamentum.

Ad II. 1. Non opus erit visibili capite, cum Christ⁹ semper præsens eam potenter regat, *Matth. 28. 20.* 2. Fallacia Consequentis. Non sequitur: Ecclesia datur visibilis, E. visibile ibi qvoqve dabitur caput; Alioqvin, & Ecclesia mortalis caput haberet mortale.

Ad III. Distingv. *inter caput inspectionis, & potestatis.* Non potestatis, sed inspectionis caput Antistitem, Superintendentem generalem agnoscimus.

Ad IV. (1) Qvod ibi Pontifex erat, erat ex præcepto DEI, hîc verò nullum præceptum. 2. Typus ille in Christo est impletus.

Ad V. Datur tertium, ipse scil. Christus.

QVÆSTIO IV.

An Papa Romanus sit Antichristus? Affirm. Text.

NEGATUR.

I. Antichristus, asserente Paulo. 2. *Thess. 2. 8.* veniet paulò ante finem mundi, neqve diu regnabit, i. e. tempore novissimo.

II. Unica erit persona; semper enim ejus fit mentio, in numero singulari adjuncto articulo ὁ υἱὸς, ὁ ἄνθρωπος. Plures autem fuerunt Papæ, qvàm unus. E. de Papa non potest dici, qvod sit Antichristus.

III. Destruet totum cultum divinum antea freqventatum, seqve ipsum constituet DEum. Papa autem hoc non facit.

IV. Evertet monasteria, & templa & abrogabit sacrificium, qvod de Papa dici non potest.

RESPONDETUR.

Ad I. Est Fallacia æqvivocat. in vocabulo *novissimi temporis.* Nam vocatur tempus novissimum ultima pars temporum à Christo exhibito ad finem seculi usqve, *1. Joh. 2. 18.*

Ad II. 1. Major negatur. Probatio qvoqve falsa est. Non enim semper ibi, ubi ponitur numerus singularis, & additur articulus Græcus, unica describitur persona. Falsitas apparet ex *Matth. 12. 35. Marc. 2. 19. Luc. 4. 4. 2.* Res ipsa ostendit, non posse hîc intelligi unicam personam, sed integrum aliqvem statum, & qvasi re-

regnum, in qvo ipse emineat. 3. Unica etiam est persona, ut Papa pro tempore existens, qvod non negamus.

Ad III. Petitio est Principii in Minore. Patitur enim 1. se DEum nominari. 2. Divinis honoribus gaudet affici. 3. Decretis suis divinitatem affectat, atqve præfert se Scripturæ.

Ad IV. Distingv. *inter templa, & monasteriorum ædificia, & veram in iis religionem, verumq; DEI cultum.* Licet enim non illa, hunc tamen omnino ipsum abrogare, testis est ipsa experientia.

QVÆSTIO V.

An verbum DEI sincerum, & legitimus Sacramentorum usus sint notæ veræ Ecclesiæ? Aff. Text.

NEGATUR.

I. Non potest ex iis notis cognosci, & sciri, qvi sint justi, & electi.

II. Prædicatio verbi est nota communis omnibus sectis opinione eorum. E. non est nota Ecclesiæ propriæ.

III. Prædicatio verbi non est notior Ecclesia. E non nota. Nota enim notior esse debet illa re, cujus est nota, nemo enim scire potest, ubi verè credatur verbum.

IV. Veræ notæ sunt inseparabiles. At in Ecclesia Corinthiorum, & Galatarum aliqvando non erat sincera verbi prædicatio, & tamen erant Ecclesiæ, *1. Cor. 11. Gal. 1.* & ita nota hæc potuit separari.

V. Pelagiani habebant Sacramenta, imò omnes sectarii, nec tamen sunt Ecclesiæ veræ.

RESPONDETUR.

Ad I. Est ἑτεροζήτησις. Non enim h. l. est qvæstio de notis electorum, sed de notis Ecclesiæ visibilis.

Ad II. Distingv. *inter commune revera, & opinione.* Non illo, sed h. m. communis esse videtur prædicatio verbi hæreticis, opinione verò errantium non.

Ad III. Etsi in Individuo monstrare non possumus, qvinam verè credant, hoc tamen novimus, ubicunqve verbum DEI purè prædicatur, semper aliqvos esse, qvi scrinio cordis illud recipiant, nunqvam enim verbum DEI redit vacuum.

Ad IV. Fallacia est accidentis, & à dicto secundum qvid. 1. Enim non omnes, sed qvidam Corinthii ita statuebant, ut, & Galatæ. 2. Di-

Distingv. *inter statum Ecclesiæ purum, & corruptum, & aliqva ex parte corruptum.* Potest enim Ecclesia sub corrupto visibilis Ecclesiæ ministerio qvoqve conservari.

Ad V. Non qværimus de usu Sacramentorum, sed conjunctum cum pura prædicatione, qvalis non est apud Hæreticos.

LOCUS XVII. DE SACRAMENTIS IN GENERE.

QVÆSTIO I.

An fides utentis Sacramento sit de Sacramentali essentia, vel integritate? Neg. in Textu.

AFFIRMATUR.

I. Nihil habet rationem Sacramenti extra usum. At fides pertinet ad usum Sacramenti. E.

II. Paulus negat, *1. Cor. 11. 20.* Corinthios edere corpus Domini, si fidem non adferant.

III. Fides percipit rem Sacramenti. E. Ad integritatem qvoqve Sacramenti pertinet.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter usum internum, & externum.* Major de hoc, non illo loqvitur. Sunt proindè qvatuor termini in argumento.

Ad II. Imò affirmat, *v. 10. 30.* Ex indigna cœnæ sumptione. 2. Loqvitur igitur h.l. de jure, non de facto, qvod fieri debeat, non qvod fiat.

Ad III. Res Sacramenti dupliciter accipitur: vel de re signata cœlesti, vel de salutari fructu. Illa etiam percipitur absqve fide.

QVÆSTIO II.

An fides, vel intentio administrantis ad Sacramenti integritatem reqviratur? Neg. Text.

AFFIRMATUR.

I. Intentio ministri determinat formam Sacramenti: Illa enim verba: Ego baptizo, & similia varias habere possunt significationes. Baptizare enim non est tingere aqvis. Tingit enim aliqvis aqvis, qvi lavat sordes corporis, qvi refrigerat, qvi lavando medetur.

At

At nihil fingi potest, qvod determinatur hâc indifferentia formæ, nisi intentio ministri.

II. Ministri Sacramentorum sunt instrumenta Dei, sed instrumenta animata, & ratione utentia. Ab his si auferatur intentio, desinunt esse instrumenta.

III. Verba practica non habent efficientiam, nisi dicantur ab eo, qvi potestatem, & voluntatem faciendi habet. Verba Sacramentorum sunt practica. E.

RESPONDETUR.

Ad I. Significatio verbi baptizandi 1. satis determinatur verbis illis additis, in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. ut non opus sit determinatione alia. 2. Distingv. *inter vocabulum baptizandi in Græco sumptum, & in actu Ecclesiastico, & sacramentali.* Illo modo varias habet significationes, hoc Ecclesiasticam, & sacramentalem significationem habere, nemo non intelligit.

Ad II. Etsi ministri sunt instrumenta animata, & ratione utentia, nihil tamen nisi externum præstant ministerium. Virtus autem & operatio gratiosa solius Dei est.

Ad. III. Concedimus, verba Sacramenti esse practica, qvæ licet à ministro oretenus pronuncientur, sunt tamen propriè ipsius Dei Authoris scil. & institutoris verba, à qvo, & solo omnem suam efficaciam habent, ad qvam & unicè hic respiciendum.

QVÆSTIO III.

An plura sint N. T. Sacramenta qvam duo? Neg. Text.

AFFIRMATUR.

I. In vita corporali reqviruntur septem. 1. Generatio. 2. Augmentatio. 3. Nutritio. 4. Remedium contra morbos. 5. Remedium contra reliqvias morbi. 6 Propagatio familiæ per parentes, & 7. Gubernatio Reipublicæ per Magistratum. E. multò magis in vita spirituali reqviritur (1) Generatio, qvæ fit per baptismum. (2) Augmentatio per confirmationem. (3.) Nutritio per Evchariſtiam. (4) Remedium contra morbos per pœnitentiam. 5. Remedium contra reliqvias peccatorum per unctionem extremam. (6) Ex parte Reipublicæ matrimonium. 7. Denique ordo sacer, qvo reguntur, & gubernantur

II. Se-

II. Septenarius numerus est mysticus, & in Scripturis celebris. Sic septem offerebantur animalia, septies aspergebatur sangvis, &c.

III. De unctione legitur, *Jacob. 5. 14: Infirmatur qvis, &c.*

IV. Matrimonium est à Deo institutum, imò mysterium expressè vocatur, *Eph. 5. 32.*

RESPONDETUR.

Ad I. Numerus Sacramentorum non ex congruentia rationis, qvam sibi qvilibet fingit, sed ex tabulis Scripturæ, & institutione divina colligi debet, ut ita sit fallacia consequentiæ.

Ad II. Petitio est principii. Tales enim similitudines offerri possent infinitæ, ut de binario, ternario, qvi numeri etiam sacri sunt, & de sacris usurpantur.

Ad III. 1. Male adducitur hic locus. 2. Est fallacia causæ. Non enim unctio ista instituebatur ad delenda peccata, vel peccatorum reliqvias, sed ad recuperandam valetudinem. 3. Fallacia divisionis. Qvod enim Apostolus adscribit fidei, id Pontificii unctioni.

Ad IV. Non ipsum matrimonium, sed spiritualis Christi cum Ecclesia conjunctio mysterium dicitur loco allegato.

LOCUS XIIX. DE BAPTISMO.

QVÆSTIO I.

An idem sit Baptismus Johannis, & Baptismus Christi? Affirm. Textus.

NEGATUR.

I. Baptismus Johannis dicitur Baptismus pœnitentiæ, baptismus verò Christi nuspiam dicitur baptismus pœnitentiæ, sed lavacrum regenerationis, ut Paulus ait, *Tit. 3. 5.*

II. Baptismus Johannis ab ipso Johanne institutus erat, passim enim in Scripturis baptismus Johannis vocatur.

III. Baptismus Johannis non habet eandem efficaciam, & vim, qvam Christi baptismus habuit; *Act. 1. 5.* Ipse Christus distingvit baptisma suum à baptismate Johannis. Et *Marc. 1. 8.* Johannes dicit: *Ego qvidem baptizo vos aqvis, ipse verò Christus baptizabit vos spiritu.*

RESPONDETUR.

Ad I. Est fallacia divisionis. Dicitur enim baptismus pœnitentiæ; sed in remissionem peccatorum, qvæ sine fide, & regeneratione locum habere non potest.

Ad II. Dicitur baptismus Johannis, tum 1. Ratione ministerii, tum 2. Respectu promulgationis. Erat enim tantùm baptismi minister, Christus verò Author & Magister.

Ad III. Baptismi vocabulum dupliciter accipitur, propriè, & metaphoricè. Propriè pro Sacramento initiationis, qvod est baptismus fluminis. Metaphoricè pro visibili effusione Spiritûs S. & donorum ejus, qvod dicitur baptismus flaminis. Priorem significationem vox baptizandi habet in verbis prioribus apud Marcum, & Lucam, posteriorem autem in verbis posterioribus.

QVÆSTIO II.

An baptismus sit repetendus? Neg. Textus.

AFFIRMATUR.

I. Baptizamur in remissionem peccatorum, *Act.* 2. 28. Jam verò qvotidiè indigemus remissione peccatorum. E. qvotidiana opus erit baptismi iteratione.

II. Sicut adulterio solvitur vinculum matrimonii, ita per peccatum tanqvam spirituale adulterium dissolvitur spiritualis desponsatio in baptismo facta, nova igitur erit opus desponsatione, ac proindè novo baptismo post peccata indigebimus.

III. Hypocritæ ad baptismum accedentes effectus ejusdem salutares non participant. E. baptismus est repetendus.

RESPONDETUR.

Ad I. Fallacia est consequentiæ. Fœdus enim illud in baptismo initum de remissione, est perpetuum, licet homo eodem excidat; qvando enim iterum pœnitentiam agit ad primi baptismi virtutem perpetuò valentem redit, & ita ex eo baptismo, qvo baptizatus est, gratiam sibi polliceri potest.

Ad II. Est 1. Simile. 2. Adulterium sufficiens est causa divortii; si verò maritus innocens adulteræ culpam remittit, non requiritur denuò nova desponsatio, sed partim sontis deprecatio, partim vitæ emendatio.

Ad III.

Ad III. Distingv. *inter substantiam, & fructum baptismi.* Est & manet baptismus verus legitimè in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. acceptus, sive credat baptizatus sive non. Qvi verò fide destitutus est, salutarem ejus fructum non percipit.

QVÆSTIO III.

An infantes sint baptizandi? aff. Text.

NEGATUR.

I. Nullum habetur mandatum, & exemplum Pædobaptismus.

II. Christus trigesimo demum ætatis anno baptizatus fuit, *Matth. 3. 16.* Christi vero actio est nostra institutio.

III. Infantes non intelligunt capita fœderis baptismi, qvod scil. in baptismo DEus cum iis init.

IV. Infantes non credunt.

V. Sacramenta sunt perfecta. E. non nisi perfectos ad sui perfruitionem admittunt. Infantes autem sunt imperfecti.

VI. Baptizandi debent ad Christum venire, *Matth. 18. 2.* Infantes autem venire non possunt.

RESPONDETUR.

Ad I. Dupliciter aliqvid mandatur, vel explicitè, vel implicitè. Licet non illo, tamen hoc modo omnino mandatum est in verbis illis: baptizate omnes gentes, *Matth. 28. 19.*

Ad II. Exemplum Christi est impertinens. Ille enim 1. pro sua persona baptismo non indiguit, nos omnino. 2. Christus baptismi sacramentum differre potuit, vitæ, & mortis potestatem habuit plenissimam, nos non. 3. Omnia qvidem facta Christi ad doctrinam nobis sunt proposita, non tamen ad imitationem sine ullo discrimine.

Ad III. 1. Eodem modo & Circumcisio in V. T. adhiberi non debuisset. 2. Licet enim non intelligant, postea tamen de eo sunt erudiendi. 3. Qvin imò inter homines infantum loco parentes sæpius respondent, & in fœderis capita compromittunt, qvantò magis DEus poterit cum infantibus inire fœdus!

Ad IV. 1. Per inversionem; ideo enim baptizandi, ut hocce organo Virtute Spiritus S. fides in iis excitetur. 2. Falsum est, infantes

credere non posse. Contrarium enim habetur *Matth. 18. 6.*

Ad V. Sacramenta dicuntur perfecta, non ratione objecti, sed hominum utentium, partim ratione causæ efficientis, partim ratione finalis causæ, & effectus. Invertimus E. argumentum, qvia infantes sunt imperfecti. E. baptizandi.

Ad VI. Expressè habetur προσφέρειν, qvod vocabulum significat infantem adhuc tenellum, & plerumqve adhuc lactantem. Est igitur vox veniendi latè hîc sumenda pro adduci, & appropinqvare.

QVÆSTIO IV.

An infantes fidelium ab utero matris DEI sint Filii, & adoptati hæredes vitæ æternæ? Neg. Text.

AFFIRMATUR.

I. A promissione, *Gen. 17. 7: Ero DEus tuus, & seminis tui post te.*

II. Liberi ob Patrem, & matrem fidelem sancti dicuntur, *1. Cor. 7. 14.*

III. *Rom. 11. 16: Si radix sancta est, sancti erunt & rami.*

IV. *Act. 2. 31: Vobis facta est promissio, & filiis vestris.*

RESPONDETUR.

Ad I. Promissio illa est conditionalis, facta sub conditione observatæ circumcisionis, ordinarii regenerationis medii. E. non nisi observatâ conditione ista qvicqvam prodesse possunt.

Ad II. Loqvitur ibi Apostolus non de sanctitate internâ fidei, sed sanctitate Ecclesiastica, qvæ nihil aliud est, qvàm qvædam prærogativa externa, qvia liberis Christianorum proximior, qvàm liberis infidelium extra Ecclesiam concessus est aditus.

Ad III. Non dicit Apostolus radicem vel, ramos ante circumcisionem sanctos fuisse. 2. Nec dicit qvod Judæi sancti sint propterea, qvod ex S. Patriarchis carnaliter nati fuerint, sed qvia primitias istas, & radices Patriarcharum sic dilexerit, ut adhuc multos per verbum, & Sacramenta convertere, & illuminare velit.

Ad IV. Distingv. *inter promissionem ipsam, & promissionis fructum*, qvi non nisi per baptismum confertur.

LOCUS

LOCUS XIX. DE COENA DOMINI.

QVÆSTIO I.

An Corpus Christi in sacra Cœna ore corporis percipiatur? Aff. Text.

NEGATUR.

I. Res spiritualis non nisi spiritualiter comeditur. Corpus Christi est res spiritualis. E.

II. Omnis promissio accipitur fide. Corpus, & sangvis Christi offeruntur nobis verbo promissionis. E.

III. Corpus Christi, qvod suam retinet qvantitatem, non est ad os nostrum proportionatum.

IV. Homo sumens Evchariſtiam constat animâ, & corpore, igitur ea, qvæ corpori nutriendo destinata sunt, organo corporis, qvæ verò animæ, fide accipit.

V. Qvicqvid ingreditur os, secedit in ventrem, *Matth. 15. 17.*

RESPONDETUR.

Ad I. Major est falsa. Nam verbum Evangelii est res spiritualis, & tamen auribus percipitur. E. Corpus, & sangvis Christi dici possunt res, seu cibus spiritualis, non ἁπλῶς, sed κατά τι, in comparatione ad externa symbola, qvæ omnium sensibus sunt exposita.

Ad II. Aliud est promissio, aliud res promissa, promissionis verbo oblata. Sunt igitur 4. termini.

Ad III. 1. Si corpus Christi manducaretur ore, primò & per se, non mediante pane, ideòqve physicè, tum demum oris nostri, & corporis Christi proportio reqvireretur. 2. Si inter ea, qvæ receptione sibi mutuò uniuntur, esset proportio qvantitativa, qvid fieret de columba, in qva erat Spiritus Sanctus?

Ad IV. Auditus verbi est alimonia mentis, & tamen organo aurium corporis percipitur. E. Corpus Christi, & sangvis tam mentis, qvàm carnis sunt cibus, qvo ad spem vitæ æternæ nutrimur.

Ad V. Christus loqvitur ibidem de cibo, qvi naturaliter manducatur, non qvi sacramentaliter. Alia enim est manducatio spiritualis, alia naturalis, alia Capernaitica, alia sacramentalis.

QVÆSTIO II.

An particularum IN, CUM, & SUB usus sit tolerabilis, & commodus? Affirm. Text.

NEGATUR.

I. Qvod est IN, CUM & SUB alio, non est illud ipsum, in qvo, cum qvo, & sub qvo consistit. Corpus Christi est tale, &c. E.

II. Additur aliqvid verbis Christi hâc ratione.

III. Mutatur prædicatum. Prædicatur enim ita non de pane, qvod sit corpus Christi, sed de corpore Christi, qvod sit in pane.

RESPONDETUR.

Ad I. Negatur propositio; se enim invicem explicant. Sic *Rom. 9. 5*, Christus est DEus, explicatur *2. Cor. 5. 19*: In Christo est DEus. Propositio illa est Ecclesiæ, non Christi.

Ad II. Aliud est verbis Christi aliqvid addere, aliud verò verum sensum ex iisdem eruere, & per alia verba exegetica declarare. Non illud, sed hoc particulis istis efficitur.

Ad III. Assumitur falsa hypothesis. Non enim Christus dicit: Panis est corpus meum, sed hoc, id est, ipsum meum corpus unà cum pane.

QVÆSTIO III.

An verum Christi corpus, & verus sangvis cum pane, & vino in sacra cœna ore manducetur, & bibatur? Aff. Textus.

NEGATUR.

I. Memoria est rerum absentium. In cœna est memoria. E.

II. Visibile corpus pro nobis in mortem traditum, est palpabile. E. tale manducamus.

III. Si corpus Christi ore editur, N. T. qvoqve ore editur, qvia poculum est N. T.

IV. Si sangvis Christi ore bibend', utiq; erit in poculo, qvod tamē non.

V. Qvod in cœna manducatur, denotatur particula *Hoc*; pronomine enim *Hoc* non corpus, sed panis monstratur.

VI. Nullum corpus humanum & organicum potest esse in pluribus Locis.

VII. *Coloss.*

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027629733/phys_0188
Mecklenburg Vorpommern

VII. *Coloss. 2. 8*, Non debemus Christum qværere sub elementis hujus mundi. Panis & vinum sunt elementa. E.

IIX. Porrigens non est porrectum. Corpus Christi in sacra Cœna mensæ assidens fuit porrigens. E.

IX. Si sangvis Christi est in calice, aut separatur à corpore, aut non separatur: si separatur, tunc moritur, si non, etiam de pane dici potest, qvod sit sangvis Christi.

RESPONDETUR.

Ad I. Falsa est propositio simpliciter intellecta. Christus enim tunc, cum discipulis suis corpus suum dabat, præsens erat. 2. Non tam ad corpus Christi, qvàm ad passionem, & mortem illius recordatio hæc referri debet.

Ad II. Confunditur 1. Res, & modus. 2. Distingv. *inter visibile actu, & potentia*: illo qvidem modo non est visibile, hoc tamen esse potest. 3. Mutatur genus prædicationis. Nam Major loqvitur de substantia, Minor de accidente.

Ad III. Petitio est principii. 2. Poculum enim non simpliciter N. T. denotat, sed propter sangvinem Christi, qvem sacramentaliter continet.

Ad IV. Petitio est principii. Dicitur enim qvod calix sit N. T. in sangvine: Non igitur nudè, & simpliciter, ut calix sit in sangvine.

Ad V. Iterum petit: principii. Non tantùm enim panis denotatur, sed totum complexum unà cum pane corpus involvens, ut supra fuit ostensum.

Ad VI. Distingv. *inter potestatem naturalem, & divinam.* Illa non potest, hæc omnino.

Ad VII. Per elementa mundi Apostolus non intelligit elementa naturæ, sed artis, non primæ, sed secundæ notionis. Loqvitur enim Apostolus de inani Philosophia, ejusqve deceptione.

Ad IIX. Valet in rebus naturalibus. Hoc autem non est naturale qvid, sed supernaturale. Christus ipse in actu manducationis fecit, ut unà cum pane manducaretur corpus, unà indistracta manducatione, modo arcano, & imperscrutabili.

Ad IX. Distingv. *inter separationem naturalem, & sacramentalem.* Naturali separatione amplius nunqvam separantur, verum sacramentali,

tali, qva corpus, & sangvis Christi separatim dispensantur, & sub separatis symbolis fruenda exhibentur. Aliud itaqve etiam loqvitur de corpore secundum se, & aliud secundum rationem Sacramenti. Non priori modo divellitur sangvis à corpore, secundum verò sacramentalem rationem distinctè possunt considerari.

QVÆSTIO IV.

An panis, & vinum per verba consecrationis transsubstantientur in corpus, & sangvinem Christi, ut nihil remaneat nisi species, & accidentia panis, & vini? Negatur in Textu.

AFFIRMATUR.

I. Verba illa: *Accipite, & manducate, hoc est corpus meum*, necessariò inferunt aut veram mutationem panis, aut metaphoricam. Illa enim potest asseri, qvia aliàs de pane triticeo dictum fuisset: Hoc est corpus meum.

II. Si cum corpore Domini maneret substantia panis, tunc duæ substantiæ haberent ordinem ad eadem accidentia, qvod absurdum.

III. Si unà cum corpore Domini substantia panis sub iisdem accidentibus contineretur, periculum esset, ne simpliciores panem adorarent.

RESPONDETUR.

Ad I. Committitur ἔλλειψις τῆς ἐπαναθμήσεως, insufficientiæ enumerationis. Non enim est substantialis, neqj metaphorica, sed sacramentalis mutatio, qvâ scil. panis à suo naturali usu transfertur ad sacramentalem, sicut & talis est unio.

Ad II. Primùm, magis est absurdum, qvod accidentia existunt sine subjecto. 2. Panis Evchariſtici officium est, esse communicationem corporis Christi secundum Paulum, qvod non tam secundum accidentia, qvàm ipsam substantiam est intelligendum.

Ad III. 1. Et ita accidentia qvoqve adorare posset populus. 2. Hâc de re populus potest institui, ne qvicqvam ex proprio cerebro hîc agat, sed secundum normam, & præscriptum divinum.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

An Sacramentum Cœnæ sub una tantùm, an verò sub utraqve specie simul necessariò accipi debeat? Aff. posterius in Textu.

NEGATUR.

I. Qvia totus Christus est sub pane.

II. Nonne sumitur major utilitas ex Communicatione sub una, qvàm sub utraqve

III. Nullum præceptum divinum de utraqve specie est datum.

IV. Vetus Ecclesia nunqvam improbavit communicationem sub unâ specie.

V. Multa seqvuntur incomoda comunionem sub utraq; specie. 1. Impossibilitas legem hanc implendi; Ubi enim populus est numerosus,& unus tantùm sacerdos,non possunt omnes illi, qvi adsunt ex poculo illo bibere,nec enim multi simul consecrare possunt calices. 2. Irreverentia Sacramenti,qvæ in effusione sangvinis non tuenda est. 3 Multi dantur abstemii, qvi hac ratione à communione arcerentur. 4. Penuria vini in qvibus dam locis.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter Unionem naturalem,personalem,& sacramentalem;* qvod corpus Christi non sit sine sangvine, spectat ad naturalem unionem corporis,& animæ, qvod Christus secundum utramqve naturam ubiqve præsens, spectat ad unionem personalem, qvod corpus mediante benedicto pane in sacra cœna manducetur,& sangvis mediante vino bibatur,ad unionem pertinet sacramentalem,qvæ non sunt confundenda.

Ad II. Cur Christus sub utraqve specie instituerit,si non major utilitas inde? E. nec fructus sperari potest,si contra institutionem Christi administratur.

Ad III. Contrarium est 1. manifestum in ipsa institutione: Hoc facite; qvicqvid hoc fine proponitur ut fiat,illud ad faciendum obligat,& per consequens est præceptum.

Ad IV. Falsum est. 1 patet hoc ex testimoniis multorum. 2. Consvetudo humana non debet præjudicare institutioni divinæ.

Ad V. Mirum itaqve Christum illa incommoda non vidisse. Ad 1.

à particulari ad universale nulla V. C. 2. Ordinentur plures ministri. 3. Iteretur sæpius Cœnæ administratio. Ad 2. Metuenda potius irreverentia Christi, si ab ejus verbo recedatur. 2. Cautio adhibenda est, ne fiat, Neqvaqvam verò usus alterius specici planè inde tolli potest. Ad 3. Ratio hæc particularis est, ex qvâ non potest universale calicis interdictum deduci. 2. Testatur experientia, abstemios guttulas aliqvas vini in Evchariſtia sine periculo vomitionis absumere. Ad 4. Non potest ullus monstrari locus, in qvem non advehatur tantum vini, qvantum ad Evchariſtiæ administrationem reqviritur.

LOCUS XX. DE JUSTIFICATIONE.

QVÆSTIO I.

An Bona Opera justificent? Neg. Textus.

AFFIRMATUR.

I. *Jacob. 2. 21: Abraham Pater noster, nonne ex operibus justificatus est.*

II. *Rom. 2. 13. Non auditores legis justi sunt apud DEUM, sed factores legis justificantur.*

III. Bona opera aut salvant, aut damnant, tertium non datur.

IV. *Prov. 10. 12. Charitas opprimit multitudinem peccatorum.*

V. Fides est opus, *Joh. 6. 29.* & tamen fide justificamur.

VI. Charitas est virtus maxima, E. maximè justificat.

VII. *Gal. 5. 6. Fides per charitatem est efficax.* E. fides per charitatem justificat.

IIX. Pietas ad omnia utilis est. *Tim. 4. 8.* E. qvoqve ad justificationem. Pietas verò consistit in bonis operibus.

IX. Remissa sunt ei peccata, qvia dilexit multum, *Luc. 7. 47.*

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter justificationem coram DEO, & coram hominibus spectatam.* Non de illa, sed de hac loqvitur Apostolus.

Ad II. Distingv. *inter actum unum, & continuationem.* Non qvi faciunt ea, qvæ legis sunt semel, sed qvi semper, & perfectè faciunt, sunt justificati, qvod de nemine nostrûm affirmari potest.

Ad III. Datur tertium, nempe B. O. declarant, demonstrant salvandum.

Ad IV.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027629733/phys_0192
Mecklenburg Vorpommern

Ad IV. Ignoratio est Elenchi. Loqvitur enim *non de justificatione, sed de offensis mutuis.*

Ad V. Distingv. *inter opus DEI, & opus nostrum*; fides non est opus virium humanarum, sed opus ipsius DEI. Illo modo dicitur fides opus, non verò hoc.

Ad VI. Petitio est Principii. Non enim est maxima virtus, sed fides, cujus proprium est apprehendere justificationem.

Ad VII. Fallacia est Conseqventis. Alia enim virtus fidei, qvæ exercet charitatem, & alia qvæ apprehendit Christi meritum, ut loqvitur noster *Hafenrefferus.*

Ad VIII. Unius inclusio non est alterius exclusio. Fides enim à pietate non est excludenda.

Ad IX. 1. Fallacia est causæ. Non enim est dilectio causa remissionis peccatorum, sed ex præcedente remissione tanqvam fructus, & effectus dilectio seqvitur. 2. Particula *qvia*, h.l. idemest, ac *ideò*.

QVÆSTIO II.

An sola fide justificemur? Affirm. in textu.

NEGATUR.

I. Non habetur illa phrasis in Scriptura.

II. Fides est qualitas.

III. Nulla potest dari vera, & solida causa, cur fides sola justificet.

IV. *1. Cor. 13. 2: Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem verò non habuero, nihil sum.*

V. *Jacob. 2. 24: Videtis, qvod homo justificetur ex operibus, non ex fide.*

RESPONDETUR.

Ad I. Licet hæc phrasis non totidem literis habeatur in Scriptura, habentur tamen æqvipollentes, ut sunt gratis, gratia sine operibus, fide justificamur, *Gal. 2. 6.*

Ad II. Consideratur fides *vel in prædicamento qvalitatis, vel relationis.* Non illa, sed hâc homo justificatur.

Ad III. Petitio est principii. Rationes enim aliqvot autor noster adducit, qvæ apud eundem legi possunt.

Ad IV. Distingv. *inter fidem salvificam, & miraculosam.* Non de illa, sed hac ibid. loqvitur Apostolus.

Ad V. Jacobus vocem fidei, *non pro fide justificante, sed pro externa*

fidei professione sumit, & non loqvitur de justificatione coram DEO, sed hominibus.

LOCUS XXI. DE CRUCE ET PRECIBUS.

QVÆSTIO I.

An sancti demortui sint invocandi? Neg. Text.

AFFIRMATUR.

I. Si viventium intercessiones licet precibus postulare, cur non, & sanctorum cum Christo regnantium?

II. *3. Reg. 2. 19*: Salomon thronum matri suæ juxta thronum suum collocari jussit. Verus Salomon Christus honoris causa matrem suam eodem honore afficit.

III. *Matth. 25. 40*: *Qvod feciſtis uni de his minimis, mihi feciſtis.*

IV. DEus ipse Sanctos honorat, E. & nos.

V. Innumera dantur miracula, qvibus sancti demonstrarunt, se preces viventium audire.

VI. Sancti Sunt sanctiores omnibus in terris, stant in conspectu DEI, vehementiore dilectione erga nos ardent, qvàm cum in his terris essent.

RESPONDETUR.

Ad I. Aliud est invocare sanctos, aliud expedire officium Charitatis Christianæ in communione precum proximi. Hujus, non illius habemus mandatum. E. conjunctio illa precum promissionem habet & exempla in Scripturis; Invocatio sanctorum neutiqvam; neqve ostendi potest, qvod in Ecclesia militante viventibus præceptum sit datum, qvod extendendum sit ad sanctos in Ecclesia triumphante.

Ad II. Theologia Symbolica, vel allegorica non est argumentativa, cum primis, qvando nullum comparationis datur fundamentum.

Ad III Ignoratio est Elenchi. Loqvitur enim Christus non de adoratione sanctorum, sed operibus misericordiæ, & Charitatis, qvæ afflictis hac in vita exhibentur.

Ad IV. Distingv. *inter honorem, seu venerationem, & adorationem.* Hæc, non illa sanctis denegatur. Ad V.

Ad V. 1. Distingv. *inter miracula vera, & falsa, seu ficta.* 2. Miracula absqve Scripturarum testimonio nihil probant, cum multæ sint fallaciæ.

Ad VI. Fallacia est causæ. Non enim hæ veræ causæ sunt, ob qvas sancti invocandi sunt, cum Scriptura alias suppeditet, invocationem svadentes, *Matth. 10. 6. 7.*

QVÆSTIO II.

An humana Christi natura in persona τῦ λόγυ sit adoranda? Affirmat Textus.

NEGATUR.

I. Maledictus, qvi confidit in hominem, & ponit carnem brachium suum, *Jer. 17. 5.*

II. *Es. 42. 8:* Gloriam meam alteri non dabo.

III. Si secundum humanam naturam Christus esset invocandus, secundum humanam naturam esset qvoqve Deus Dominus.

IV. Creatura non est adoranda. Humana Christi natura est creatura. E.

V. Christus est ex Patribus secundum carnem, qvi est super omnia Deus benedictus in secula, *Rom. 9. 5.* E. tantùm Deus benedictus debet adorari.

RESPONDETUR.

Ad I. (1) Limita h. m: sc. In homine nudo. (2) Fallacia divisionis. Additur enim, & corde suo recedit à Domino, qvod non fit, qvando Christum hominem adoramus.

Ad II. Sic formanda est propositio: Si humanitas Christi adoratur, aut est facta Deus, aut cum Deo personaliter est unita, qvod posterius hîc locum obtinet.

Ad III. Humana Christi natura est altera, vel alia, qvia qvando ὁ λόγος per unionem personalem communicat naturæ humanæ gloriam, non illam dat alteri, sed propriæ suæ assumptæ humanitati per unionem sibi appropriatæ.

Ad IV. Creatura propter seipsam non est adoranda, interim tamen propter unitam & communicatam sibi divinam hypostasin utiq; est adoranda.

Ad V. Fallaciam esse oppositionis. Christus est Deus bendictus in se-

ſecula, & Chriſtus natus ex Patribus ſecundum carnem, non eſt benedictus, ſubordinata ſunt, non verò contraria.

LOCUS XXII. DE MAGISTRATU.

QVÆSTIO I.

An Magiſtratus ſit Status vitæ Deo placens, in qvo Chriſtianus tempore N.T. illæsâ conſcientiâ vivere poſſit? Affirmatur in Textu.

NEGATUR.

I. *Gen. 49. 20: Non auferetur ſceptrum de Juda, donec veniat Schilo.* E. poſt adventum Meſſiæ ſceptrum externum, & regimen politicum eſt ablatum.

II. Beati mites, & pacifici dicuntur, qvi patiuntur propter juſtitiam, *Matth. 5. 10.* Qvod de Magiſtratu dici neqvit.

III. *Matth. 7. 1: Nolite judicare, & non judicabimini.*

IV. *Matth. 20. 25: Principes gentium dominantur, & Magnates poteſtatem exercent, vos autem non ſic.* E. Chriſtus non vult fideles eſſe principes, Reges, & Magiſtratus Politicos.

V. *Matth. 10. 16: Ecce mitto vos, ceu oves in medio luporum.* F. Suos Chriſtus Magiſtratum gerere noluit, ſed à Magiſtratu vim illatam ſuſtinere.

VI. *Matth. 26. 52: Reconde gladium in locum ſuum:* Omnis enim, qvi gladium ſumit, illo peribit.

VII. Chriſtiani vivunt ſub cura, & defenſione Dei. E. non indigent defenſione Magiſtratus.

IIX. Magiſtratus eſt hoc fine conſtitutus, ut ſub eo tranqvillam, & qvietam vitam agamus, *1. Tim. 2. 2.* Sed piorum ſors & conditio in hoc mundo eſt, ut variis tribulationibus exerceantur, per qvas regnum Dei ingrediuntur, *Act. 14. 22.*

RESPONDETUR.

Ad I. Fallacia eſt à dicto ſecundum qvid, ad &c. Non enim Patriarcha omnem poteſtatem ablatam eſſe vult, ſed de tribu Juda ſceptrum ablatum iri prædicit.

Ad II. Fallacia eſt oppoſitionis. Exempla enim teſtantur contrarium, mul-

multos scil. reges, & principes clementiæ laude, & pace commendari. E. sequeretur, omnem Magistratum immitem, & immisericordem esse, quod falsum.

Ad III. Distingv. *inter judicium temerarium, & privatum, ac necessarium, & publicum.* Non de hoc, sed de illo verba Christi sunt intelligenda.

Ad IV. Ea, quæ Apostolis à Christo dicta sunt, in triplici sunt differentia. Quædam sunt mandata personalia, quæ ad solos pertinent Apostolos, *Matth. 5. 11.* Quædam sub persona eorum omnibus Ecclesiæ ministris ipsorum in docendi officio successoribus sunt dicta, *Luc. 24. 47.* Quædam denique sub persona Apostolorum omnibus fidelibus sunt dicta, *Matth. 5. 16.* Non de prima, neque tertia, sed secunda classe verba Christi sunt sumenda, & intelligenda.

Ad V. Distingv. *inter Magistratus fideles, & infideles, Christianos, & Ethnicos.* Non de illo, sed his loquitur Christus ibidem.

Ad VI. Distingv. *inter gladium accipere privata authoritate, & gestare gladium mandato & jussu Dei.* De priori, non posteriori loquitur Christus, h. l.

Ad VII. Fallacia est oppositionis. Defendit enim Christus non immediatè, sed mediatè.

Ad IIX. Tribulationes non sunt unius generis. Quædam à Deo immediatè immittuntur, & Magistratus operâ præcaveri non possunt, quædam à malis hominibus inferuntur, & ab his Deus pios omnes immunes præstare, & liberare vult per Magistratum. Quod si verò Magistratus sit negligens, nec coërceat impios, patienter feramus, ne quicquam ex privata vindicta agamus.

QVÆSTIO II.

An licitum sit Magistratui bella gerere adversus hostes, qui pacem Reipublicæ turbare, & subditorum incolumitatem labefactare conantur? Affirmatur in Textu.

NEGATUR.

I. *Deut. 32. 35: Mihi vindicta, mea est ultio, ego retribuam.* Jam verò bella sunt species vindictæ.

II. *Matth.*

II. *Matth. 5. 22: Qvi fratri suo iraſcitur, reus erit judicii.* Si non licet fratri ſuo iraſci, multò minus bello ipſum petere licet.

III. *Matth. 5. 39: Ego dico vobis, ne reſiſtatis.* E. prohibet Deus belligerare.

IV. Bella à beluis acceperunt nomen. E. beluinum eſt bellum gerere.

V. Charitatis regulæ adverſatur; *Matth. 5. 44: Diligite inimicos veſtros.*

RESPONDETUR.

Ad I. Diſtingv. *inter vindictam licitam, ſeu ordinatam, & illicitam, ſeu inordinatam.* Non hujus, ſed illius vindictæ ſpecies eſt bellum. 2. Deus vindictam qvandoqve ſumit immediatè, qvandoqve mediatè per Magiſtratum, ad qvam poſteriorem exercendæ vindictæ ſpeciem etiam pertinent legitima bella.

Ad II. Fallacia eſt diviñonis. Additur enim (1) temerè, & ſine cauſa. (2) Loqvitur Chriſtus non de omni ira, ſed de cupiditate, vel potius ira ex privatæ vindictæ cupiditate orta. (3) Sicut E. ira qvædam eſt licita, qvædam illicita, ſic & bella talia dantur.

Ad III. Ignoratio eſt Elenchi. Non enim verba illa publicè per Magiſtratum exercitæ vindictæ, ſed corruptelis Phariſaicis divinæ legis opponit.

Ad IV. A notatione non ducuntur 1. Firma argumenta. 2. Non tam à beluis, qvam à duello derivatur, eò qvod licet multi ſint milites, duæ tamen ſint partes præcipuè adverſæ. 3. Diſtingv. *inter bellum juſtum, & injuſtum.* Hoc, non illud beluinum rectè dicitur.

Ad V. (1) Fallacia eſt oppoſitionis. (2) A dicto ſecundum qvid. Non enim regula illa tollit publicum Magiſtratus officium, ſed ad vitam Chriſtianorum privatam ſpectat, & prohibet, ne vindictam privatam ab illis, qvi ipſos lædunt, & affligunt, ſumere velint, ut ex tota contextus ſerie perſpicuum eſt.

LOCUS XXIII. DE CONJUGIO.

QVÆSTIO I.

Anne in N. T. Polygamia ſimultanea ſit approbanda, vel plures uxores ſimul ducendæ? Negatur in definitione Conjugii.

AFFIRMATUR.

I. Conformis eſt Polygamia ſimultanea exemplis ſanctorum Patriarcharum. II. 1. Cor.

II. 1. Cor. 7. 7: *Qvilibet donum suum proprium habet ex Deo, alius qvidem sic, alius verò sic.* Conjugium juxta varia hominum dona moderationem recipit. E. non est adeò stricti juris.

III. In Polygamia locum habent fines conjugis legitimi.

IV. Est remedium ad prioris conjugii sterilitatem, qvæ maledictionis loco habebatur, in V.T.

AFFIRMATUR.

Ad I. (1) Non exemplis, sed legibus est judicandum. (2) Distingv. *inter Polygamiam consideratam in V. & N.T.* Qvicqvid sit de Polygamia Patrum, sive ea in se peccatum fuerit, sive non fuerit, post institutionis tamen repetitionem, & confirmationem in N. T. ei non est locus.

Ad II. Distingv. *inter conjugium contractum, & contrahendum.* Paulus enim non jam de contracto, qvasi in illo à legibus institutionis pro diversitate personarum discedere liceat, loqvitur, sed de contrahendo.

Ad III. Respondet *August. c. 42.* contra Faustum: *Non solùm, qvo fine, sed qvomodò qvæstio fiat, videndum.*

Ad IV. (1) In N.T. sterilitatis opprobrium est sublatum, *Matth. 19. 12. 1. Cor. 7. 40. 2.* Sterilitatis causa non semper hæret in nobis, sed ab altiori principio, peculiari scil. Dei gubernatione, auspicatione, ac dispositione divinâ. Amovendum sterilitatis malum est, non autem contra conjugii leges aliqvid suscipiendum.

QVÆSTIO II.

An consensus Parentum in nuptiis liberorum sit necessarius? Affirm. Textus.

NEGATUR.

I. Exemplis Scripturæ *Gen. 26. 34.* Esau duas uxores duxit, qvæ ambæ offenderunt animum Isaaci, & Rebeccæ, Parentum ejus. Item Jacobi. *Gen. 29. & 30.* qvi duxit uxorem unam juxta consilium Parentum suorum, sed alias tres, & præsertim duas ancillas duxit, parentibus omnio insciis.

II. A sufficiente reqvisitorum ad Conjugium pertinentium enumeratione extra parentum consensum.

III. A minore ad majus. Conjugium servorum invitis Dominis ra-

tum, & firmum est, E. multo magis Conjugium filiorum invitis parentibus ratum, & firmum est.

IV. Testimonio *Lutheri*, & *Philippi* asserentium, matrimonium filiorum invitis parentibus contractum, si per copulam carnalem consummatum sit, non posse amplius à parentibus irritari.

RESPONDETUR:

Ad I. Non exemplis, sed legibus est judicandum. 2. Distingv. *inter jus, & factum.* Non de hoc, sed illo qværitur.

Ad II. Distingv. *inter consensum, & consensum legitimum*, DEiq; *verbo consentaneum.* Nuptias qvidem facit consensus, non autem qvaliscunqve, sed legitimus.

Ad III. Negatur Conseqventia. Servitus enim illa est introducta jure Gentium. Potestas autem Patria non ex illo dependet, & filialis subjectio est de jure naturæ.

Ad IV. Alia est qvæstio: An matrimonia liberorum invitis parentibus contracta antecedente copula carnali fiant rata? Alia qvæstio est in specialibus qvibusdam casibus, de qvibus consulendi sunt parentes, ut ex ἐπιεικείᾳ eadem rata habeant, & consensum illis præbeant. Non priori, sed posteriori modo prædicti Autores sunt intelligendi.

LOCUS XXIV. DE MORTE ET IMMORTALITATE ANIMÆ.

Qvæstiones hujus loci in loco de peccato, ut & de homine fuerunt discussæ.

LOCUS XXV. DE SEPULTURA.

QVÆSTIO I.

An mortui sint lugendi? Affirm. in Textu.

NEGATUR.

I. A Christi prohibitione. *Luc. 7. 13*, ad viduam, filii obitum lugentem dicentis: *noli flere.*

II. A pietate defunctorum conditione.

III. A

III. A negatione usus illius luctus.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. *inter luctum modicum, & immodicum.* Non illum, sed hunc Christus prohibet.

Ad II. Consideratur piè demortuus vel ratione hujus vitæ, in qva multis adhuc prodesse potuisset, vel ratione vitæ alterius, seu beatitudinis æternæ. Non hujus, sed illius ratione istum deflemus.

Ad III. Petitio est Principii. Testamur enim 1. hac ratione de nostra qvoqve fragilitate. 2. Præparamus nos ad beatum ex hac vita discessum. 3. Contestamur qvoqve affectum erga piè defunctum.

QVÆSTIO II.

An corpora vel ossa sanctorum demortuorum religioso cultu sint veneranda? Neg. implicitè sub qvæstione: *Qvomodo nos Christiani mortuorum reliqvias curabimus?*

AFFIRMATUR.

I. A Scripturæ exemplis. *Exod. 13. 19.* Ossa Josephi transportantur à Mose ex Ægypto, Item ossa Elisæi *2. Reg. 13. 21.* mortuum qvendam vocant ad vitam.

II. DEus Mosis corpus ipse honoravit, dum illud propriis suis manibus sepelivit.

III. γυνὴ αἱμορροῦσα tangens fimbriam Christi sanatur; qvid si ossa ejus tetigisset? *Matth. 9. 20.*

IV. A miraculis apud reliqvias factis, qvæ non fierent, si DEO cultus reliqviarum non placeret.

RESPONDETUR.

Ad I 1. Fallacia est causæ. Vera enim causa translationis ossium Josephi non fuit novi cultus erectio, sed Mosis prævidentis in Spiritu futuram populi Israëlitici calamitatem: ossium ergo observatio erat certa qvædã promissæ liberationis signo externo, de complemento admonitio. 2. Distingv. *inter id, qvod ordinarium est, & extraordinarium.* Extraordinarium enim erat, qvod de Elisæo asseritur.

Ad II. Fallacia est Conseqventiæ. Non seqvitur, ossa Sanctorum non sunt contemnenda, sed honoranda; E. religioso cultu sunt honoranda. Prius affirmamus, posterius negamus.

Ad III. 1. Non ex superstitione, uti Pontificii, sed ex vera fide faciebat hoc mulier illa. 2. Nec fimbria ipsa in, & per se vim illam habebat sanandi, sed assumpta Christi caro, fimbriâ ista vestita, & amicta.

Ad IV. Miracula illa, si qvæ facta sunt, non sunt facta ad confirmandum cultum Idololatricum, sed ad confirmandam, & testificandam illam Christi fidem, pro cujus confessione martyres sangvinem suum fuderunt.

LOCUS XXVI. DE PURGATORIO.

QVÆSTIO I.

An detur Purgatorium? Neg. in Text.

AFFIRMATUR.

I. Dictis in V. T. *Esa. 4. 4: Purgabit Dominus sordes filiorum & filiarum Sion.*

II. *Ps. 66. 12: Transivimus per ignem, & aqvam, & eduxisti nos in refrigerium.*

III. *Zach. 9. 11: Eduxisti vinctos de lacu, in qvo non est aqva*

IV. In N. T. *Matth. 12. 32*, dicit Dominus, esse qvoddam peccatum, qvod neqve in hoc, neqve in futuro seculo remitti qveat.

V. *Matth. 5. 26: Non exibis indè, donec ultimum qvadrantem persolveris.*

VI. *1. Cor. 3. 15. Ipse verò salvus fiet, sed sic tanqvam per ignem*

RESPONDETUR.

Ad I. 1. Est hoc vaticinium, non comminatio, sed promissio. 2. Insignis beneficii loco promittitur, purgatorium verò pontificium non tam beneficii, qvàm supplicii loco habendum est.

Ad II. Distingv. *inter ignem propriè, & Metaphoricè dictum.* Non de igne propriè, sed de Metaphoricè dicto, sumpto pro pœnis, & calamitatibus, qvas Scriptura sæpissime ignis, & aqvæ vocabulis describit, sunt intelligenda verba. 2. Loqvuntur verba non de mortuis, sed viventibus, ad qvos purgatorium propriè non spectat.

Ad III.

Ad III. Nec de limbo Patrum, neqve de purgatorio locus hicce uti Pontificii volunt, intelligitur, sed de ipso inferno, ex qvo Christus sua passione, & sangvinis effusione nos eduxit, qvi Patri suo cœlesti nos reconciliavit, & à potestate Satanæ liberavit.

Ad IV. Phrasis illa, *non remitti neqve in hoc, neqve in futuro seculo*, redditur apud *Marc. c. 3. 29.* per nunqvam, seu in æternum non remitti, & verus hujus φράσεως sensus est.

Ad V. Æqvivocatio est in vocabulo Donec, qvod hîc tempus denotat infinitum, uti *Matth. 1. v. ult. & Ps. 110. 1.* sumitur & *Gen 8. 7.*

Ad VI. Loqvitur Apostolus de igne Metaphorico, seu de igne tentationis, & probationis. 2. Locus hic totus est Allegoricus, ex qvo firma argumenta, & apodictica desumi neqveunt.

LOCUS XXVII. DE INVOCATIONE MORTUORUM.

NB. Vide hunc locum de cruce & precibus.

LOCUS XXIIX. DE FINE MUNDI.

QVÆSTIO.

An mundus sit finem habiturus aliqvando? Aff. Text.

NEGATUR.

I. *Eccles. 3. 14: Didici, qvod omnia opera, qvæ DEus fecit, perseverent in æternum.*

II. Mundus est ingenerabilis. E. & incorruptibilis.

III. In cœlo est tam nobilis forma, ut expleat appetitum materiæ, ne alias formas appetat.

RESPONDETUR.

Ad I. Æqvivocatio est in vocabulo *æternùm*: olam habetur in Ebræo, qvod sæpe in Scriptura sumitur pro tempore bene longo, qvam sententiam hîc recipiendam esse liqvet, cum aliàs seqveretur, omnia animalia bruta durare in æternum.

Ad II. Major 1. formaliter non procedit. Adam enim creatus fuit, non generatus, & tamen corruptibilis. 2. Mundus non est simpliciter ingenerabilis, qvia secundum partes, & generatur & corrumpitur.

Ad III. Contra essentiam materiæ est, ejusqve potentiam, qvæ non potest non plures formas successivè appetere.

LOCUS XXIX. DE RESURRECTIONE MORTUORUM.

QVÆSTIO.

An futura sit resurrectio mortuorum? Aff. Text.

NEGATUR.

I. *Ps. 1. 5:* *Impii non resurgent in judicio.*
II. *Ps. 88. 6:* *Mortuorum non ero memor amplius, & ipsi de manu tua sunt separati.*
III. *Es. 26. 14:* *Morientes non vivent, gigantes non resurgent.*
IV. *Job. 14. 12:* *Homo cum dormierit, non resurget.*

RESPONDETUR.

Ad I. 1. Distingv. *inter ipsam resurrectionem, & causæ bonitatem in judicio.* Non de illa, sed hac verba Davidis sunt intelligenda. 2. Distingv. *inter* στάσιν, & ἀνάστασιν. Ἀνάστασις erit communis, tàm piis qvam impiis, non verò erit talis impiorum στάσις (Sie wollen nicht Stich halten) ac piorum.

Ad II. Distingv. *inter mortem primam, & secundam.* Non de illa, sed de hac verba Psalmi sunt intelligenda.

Ad III. Distingv. *inter resurrectionem à mortuis, & ad vitam beatam, & ad damnationem.* Non de illa, sed hac loqvitur Propheta. Idem est ac si diceret, gigantes vel oppressores populi non adspiraturos ad vitam æternam: Damnatio enim & pœna æterna mors est, non vita.

Ad IV. Non resurget, scil. ante diem novissimum.

LOCUS XXX. DE JUDICIO EXTREMO.

QVÆSTIO

An futurum sit judicium extremum? Aff. Text.

NEGATUR.

I. *Joh. 3. 18:* *Qui credit in filium, non judicatur, qui non credit, jam judicatus est.* E. nemo judicabitur.

II. *Joh.*

II. *Joh. 8. 15: Ego non judico qvenqvam.*
III. *Joh. 12. 31: Nunc judicium est mundi.* E. aliud judicium non est sperandum.

RESPONDETUR.

Ad I. Distingv. 1. *inter judicii divini inchoationem, & consummationem.* Non de hac, sed illa loqvitur Christus. Vel 2. intelligitur partim de decreto judicii divini æterni, & immutabili, partim de finalis sententiæ absolutoriæ in die novissimo promulgatione, vel de judicii damnatorii negatione respectu piorum.
Ad II. Christus non judicat qvenqvam, scil. seorsim sine Patre.
Ad III. Distingv. *inter judicium inchoatum, & completum, & inter particulare, & universale.* De illo, non hoc loqvitur Christus.

LOCUS XXXI. DE INFERNO.

QVÆSTIO.

An sit infernus? Affirm. Text.

NEGATUR.

I. Christus infernum destruxit.
II. Jam factum est judicium, uti Christus ait, *Joh. 3. 15.* E. nullum futurum infernum.
III. Nemo scit, ubi sit infernus?

RESPONDETUR.

Ad. I. Fallacia est causæ. Christus infernum destruxit, non ut non sit amplius infernus, sed ne obsit, nec possit prævalere contra pios, & Christi Ecclesiam.
Ad II. Fallacia est à dicto secundum qvid. Factum est judicium, 1. Respectu decreti æterni. 2. Respectu sententiæ in judicio extremo judiciariæ prolationis, ut qvæstione præcedente id fuit expositum, non verò ratione consummationis, & complementi.
Ad III. Esse ἑτεροζήτησιν. Aliud enim est scire, ubi sit infernus, aliud verò scire, qvod sit infernus, qvæ qvæstiones non sunt confundendæ.

LOCUS

LOCUS XXXII. DE VITA ÆTERNA.

QVÆSTIO.

An futuri sint gradus præmiorum, & gloriæ in beatitudine æterna? Affirm. Textus.

NEGATUR.

I. *Matth. 20.13: Laborantibus in vinea idem datur denarius.*

II. *Matth. 13 43: Omnes justi dicuntur futuri, sicut sol in conspectu Dei:* At non lux major est ea, qvâ sol præditus est.

III. *Matth. 22.30: Omnes beati erunt, ut Angeli, & æqvali gloria præditi.*

IV. *1. Cor. 15. 28: Deus omnia in omnibus erit.*

RESPONDETUR.

Ad I. Per denarium non potest intelligi vita æterna, aliàs, & murmurantibus daretur, sed in genere intelliguntur præmia, sive ea sint temporalia, sive æterna, eademq; ex gratia, non autem operum meritis data, in qvo parabolæ scopo unicè subsistendum.

Ad II. Distingv. *inter locutionem absolutam, & comparatam.* Absolutè loqvendo gloria beatorum solis radiis longè erit splendidior; Comparatè autem loqvendo qvidam beati fulgebunt instar firmamenti, qvidam instar stellarum.

Ad III. Christus ibid. non loqvitur de gradibus gloriæ in specie, sed de qvalitatibus corporum ad vitam æternam resuscitatorum in genere.

Ad IV. 1. Etiam in his terris Deus omnia in omnibus est, *Eph. 1. 11.* non tamen æqvaliter per omnes operatur. 2. Loqvitur Apostolus *de beatitudine objectiva, & essentiali, non de formali, & accidentali.*

COLLE-

COLLEGIUM SECUNDUM THEOLOGICUM,

Proponens

Objectiones & solutiones breves ac nervosas, potissimùm contra Articulos fidei in libro Concordiæ descriptos, qvibus tamen alii qvidam adjuncti sunt, ex ore *B. D. Johannis Affelmanni* exceptæ, & fideliter consignatæ, à qvodam ipsius Auditore.

LOCUS I. DE SCRIPTURA SACRA.

QVÆSTIO PRIMA.

An Sacra Scriptura sit norma, & judex decidendorum dogmatum? Aff.

Objectio I.

De cujus authoritate dubitatur, illud non potest esse norma certa decidendarum controversiarum Talis autem est S. Scriptura; Ergò. Minor probatur. Multi enim libri in S. Scriptura occurrunt, qvorum authores non extant, ut *Libri Judicum, Regum, Paralipomenon, &c.* Ergò etiam de authoritate dubitatur. Responsio. Distingvendum est *inter authorem Principalem, & Secundarium, sive Ministerialem*; de hoc, non de illo qvodammodò dubitatur.

Instantia: Si verò de authore dubitatur, etiam de authoritate ipsa. Qvis enim scit, num fuerint isti homines Spiritu Dei ornati?

Resp. I. Nomen authoris non est argumentum authoritatis divinæ. Sicut igitur illud S. Scripturæ, si adsit, nullam confert authoritatem; ita etiam, si desit, nullam illi demit, id qvod probatur, qvia Apostoli allegantes Testimonia ex Prophetis V. T. rarissimè apponunt nomina.

III. Causa verò, qvare Deus in V.& N. Testamento interdum nomina apposuerit, interdum verò non præfixerit, hæc est; Nimirum noluit semper præfigi, ne putemus, illa humano studio esse consarcinata. Qvando verò nomina fuêre præfixa, ideò factum est, ut etiam posteritati constet de authoribus, & sic etiam de authoritate illorum.

IV. Patet id ex *Apocalypsi Johannis*, qvi nomen suum non expressit, canonem tamen adjecit. Qvod enim titulum illum attinet, qvi hoc modo habetur præfixus: *Apocalypsis Johannis Theologi*, ille demum à Concilio Ephesino fuit adjectus.

Objectio II.

Qvicqvid est causa hæreseos, illud non potest esse Canon, seu norma decidendorum errorum, sive dogmatum.

At talis est Scriptura. Ergò. Minor probatur; qvia omnes hæretici conantur hæresin suam ex ea probare.

Resp. I. Hæresis est contra Scripturam, ideòqve non ex Scriptura.

II. Qvod omnes hæretici hæresin ex Scriptura conantur probare, illud non Scripturæ, sed ipsis hæreticis est adscribendum, & fit per Accidens.

Objectio III.

Norma, & Judex controversiarum decidendarum debet esse in verbis planus, & perspicuus.

At talis non est Scriptura. Ergò.

Minor probatur: Qvia est obscura, id qvod patet ex Epistola. *2. Petr. cap. 3. v. 16.* ubi Petrus inqvit, *qvod in Epistolis Pauli qvædam sint difficiles intellectu*; qvæ difficultas oritur ex obscuritate.

Resp. A parte ad totum non valet consequentia. Qvædam sunt obscura; Ergò omnia.

Instantia: Si tota S. Scriptura dicitur esse norma, & judex, tota etiam debet esse plana, & perspicua.

Resp. I. Scholastici distingvunt *inter Elementaria, & Onomastica*; *Onomastica* sunt omnia illa, qvæ de nomine vel re mysteria continent, & hæc qvodammodo obscura sunt. *Elementaria* verò sunt vel *radicantia*, vel *radicata*; *Radicantia* sunt illa dicta, & loca, in qvibus articulus ex pro-

professo tractatur, & ad qvem locum reliqva omnia dicta sunt referenda, & hæc sunt plana; *Radicata*, qvæ ad locum illum sive radicantia pertinent, & hæc sunt obscura, ideoqve explicatione indigent.

II. Distingv. *inter obscuritatem, qvæ respicit S. Scripturam consideratam vel Materialiter, vel Formaliter.* Scriptura S. materialiter considerata, videlicet res, sive contenta in illa, ut mysteria, sunt obscura; Formaliter autem considerata, prout nimirum res illæ obscuræ verbis perspicuis, & planis traduntur, non obscura, sed plana, & perspicua est.

III. Distingv. *inter perspicuitatem qvoad nos, & qvoad Scripturam*; hoc, non illo modo omnibus est perspicua, sunt enim, qvi illam depravant.

IV. Seqventia verba dicti Petrini explicant priora: Nimirum illa sunt obscura, *non absolutè omnibus, sed illis*, qvi ista obscura dicta Pauli in alienum sensum detorqvent, id qvod voce στρεβλοῦσιν indicatur.

Objectio IV.

Ecclesia est columna ac firmamentum veritatis, ideoqve etiam est norma, sive judex veritatis.

Resp. I. Hoc argumentum ipsis Pontificiis est contrarium, qvi non totam Ecclesiam, sed Papam solummodò esse judicem dicunt.

II. Ecclesia est columna veritatis non ex se & absolutè, sed propter confessionem, *Matth. 16. v. 16. 18. Apoc. 3. v. 12.*

III. Distingv. *inter columnam fundamentalem, & ministerialem*; illa est sola Scriptura, hæc verò Ecclesia, qvæ est columna propter Scripturam S. Undè argumentor:

Propter qvod unumqvodqve tale est, id magis tale est.

Ecclesia est columna propter Scripturam. Ergò.

Objectio V.

S. Scriptura ab Ecclesia accipit authoritatem. Ergò illa est judex, &c.

Resp. (I) Propositio negatur, sive antecedens. Non enim S. Scriptura ab Ecclesia, sed ab authoritate divina habet illam authoritatem.

(II) Negant hoc ipsi Jesuitæ, ut *Gretserus*, qvi ideò accusat nostrates, qvod statum qvæstionis mutent.

Non enim, inqvit, illi dicunt, Scripturam ab Ecclesia habere authoritatem, sed à Deo. Distinguit autem *inter authoritatem respectu ipsius Scripturæ S. & respectu nostri; Scripturam* dicit, *respectu sui, authoritatem non habere ab Ecclesia, sed à Deo; respectu nostri verò, ut illa authoritas nobis etiam innotescat, omninò illam provenire ab Ecclesia.* Verum si seriò loqverentur, non ejusmodi argumenta proferrent, qvæ authoritatem S. Scripturæ conferri ab Ecclesia ostendunt. Refutatur verò *Gretserus*, qvando authoritatem ab Ecclesia Scripturæ S. conferri respectu nostri dicit, his argumentis:

(1.) Qvia Christus noluit ab hominibus authoritatem dari S. Scripturæ, *Joh. 11. v. 25. cap. 5. v. 34.*

(2.) Ut sese res habet in esse, ita etiam in cognosci & conservari: At in esse, sive ad essentiam & authoritatem respectu ipsius Scripturæ S. Ecclesia illi nihil confert. Ergò nec in conservari.

(3.) Dist. *inter certitudinem rerum gestarum, & authoritatem sive majestatem istarum rerum*: illa primariò ab ipsâ Scripturâ, secundariò verò ab Ecclesiâ; hæc solummodò à Deo, id qvod in Cantico canticorum allegoricè probatur, ubi Sponsa vel Ecclesia dicitur pendere ab ore Sponsi, *Cap. VIII. v. 3.* qvibus *Brentius* intelligit S. Scripturam.

Objectio VI.

Ecclesia fuit antè Scripturam, & sic est antiqvior Scripturâ, & per conseqvens, judex ac norma decidendorum dogmatum.

R. I. *Ecclesia consideratur vel Materialiter, vel Formaliter*; Materialiter considerata, fuit antè Scripturam, non vero Formaliter.

II. Aliud est *verbum Dei, & aliud scriptum verbum*: illud fuit cum Ecclesiâ; Hoc verò demum literis est demandatum.

Instantia: Sic verbum Dei differt à S. Scripturâ?

R. Neg. Unum est verbum Dei, qvia unum est fundamentum, suprà qvod est fundatum.

Objectio VII.

Qvi autores errare potuerunt, imò etiam errarunt gravissimè, illi non sunt pro normâ habendi.

Tales fuerunt Authores scripturæ S. licet immediatè fuerint vocati, ut e. g. *Petrus*, qvi tamen gravissimè erravit, undè etiam à Paulo fuit taxatus, *Gal. II. v. 13.*

Resp.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027629733/phys_0210
Mecklenburg Vorpommern

℟. Distingv. *inter errorem, & erratum*; Error est, qvando in doctrinâ fidei qvis cespitat; erratum, qvando qvis in facto aliqvo errat, hoc Petrus, non illum commisit.

Objectio IIX.

Norma debet esse vera, & ab omni contradictione aliena. Talis autem non est S. Scriptura, qvod probo ex *Cap. 27. Matth. v. 9.* ubi Evangelista testimonium ex *Jeremia* citat, qvod tamen in Jeremiânon habetur. Ergò.

℟. Variè sese in explicando hoc loco torserunt interpretes; Qvidam vitium esse typographicum asserunt, ita, ut pro *Zachariâ* fuerit positus *Jeremias*: Qvidam Patrum negligentiæ hoc adscribunt, qvasi illi textum hunc cum Jeremiâ non contulerint; Utriqve errant graviter; 1. enim vitium hoc non esse typographicum probatur, qvia apud vetustissimos authores ac Patres legitur *Jeremias*, non *Zacharias*: 2. Posterius negligentiam Patrum falsò accusat. *Augustinus* enim multum in hoc sudavit, ut allegoricè hæc ex *Jeremiâ* erueret.

Ideòqve vera Responsio est, qvam etiam habet *Hieronymus in Commentario super Zachariam*, qvod nimirùm Prophetæ V. T. pleriqve fuerint binomines, & sic *Zachariam* nominatum etiam fuisse *Jeremiam*.

Objectio IX.

Norma debet esse perfecta.

Talis non est Scriptura S. Ergò.

Assumptio probatur, qvia multi libri sunt amissi, *ut liber bellorum*, *Epistola ad Laodicenses, & alii*.

℟. I. Non propter numerum librorum, sed propter sufficientiam dogmatũ fidei salvificæ perfecta dicitur Scriptura, & norma perfecta.

II. Nobis sermo est de libris ad fidem Christianam pertinentibus.

III. Canon seu vis librorum consistit non in qvantitate, sed qvalitate.

IV. Epistola ad Laodicenses ideò dicitur, qvia ex Laodiceâ fuit scripta, *Col. IV. 15. 16.* & ut qvidam volunt, illa est Epistola ad Philemonem.

APPENDIX

QVÆSTIO SECUNDA.

An Traditiones in Eccleſiâ Papiſticâ ſint tolerandæ? Neg.

Objectio I.

Qvicqvid non eſt contra Scripturam, id bonâ conſcientiâ poteſt tolerari.

Tales autem ſunt traditiones in Eccleſiâ Papiſtica. Ergò.

℟. I. In ſacris non tantùm prohibetur illud, qvod eſt contrà S. Scripturam, ſed qvod etiam eſt præter illam, ut *Gal. 1. v. 8.* Si dicis, ibi *præter* idem ſignificare ac *Contrà* ſive *aliud*;

Reſpondeo ex græco Textu, ubi habetur παρὰ, *præter*.

II. Adiaphororum inſtitutio eſt θεσμὸν. Omnia enim in Eccleſiâ debent fieri ordine, & decenter, *1. Cor. XIV. 40.* non hypothetice, ut putemus, nos illis adiaphoris aliqvid coram Deo promereri poſſe.

III. Cultus electitii, etiamſi bono animo fiant, tamen ſi non habent fundamentum, nec mandatum in ſacris, non placent Deo. Exemplum habemus, *Zach. VII. v. 5. ſeqq.* ubi Judæi Jejunia inſtituunt ferè per menſes aliqvot, cujus cultûs cum non habuerint mandatum à Deo, diſplicebant etiam ipſi.

Inſtantia. Exemplum Ninivitarum contrariari videtur, qvi etiamſi non habuerint mandatum, ut jejunarent, attamen hic cultus placuit Deo, & indè fuit placatus; Reſpexit enim opera eorum, *Jon. III. Cap. verſ. 20.*

℟. I. Diverſimoda eſt ratio: Jejunium enim Ninivitarum fuit declaratio internæ obedientiæ, talis non fuit Judæorum.

II. Aliqvid in Scripturâ dicitur de toto, & ſeqventibus, qvod eſt intelligendum de parte, ſeu præcedentibus: ſic Deus reſpexit non tàm illa opera, ſed primariò fidem, qvæ deſcribitur *C. III. v. 5.*

Objectio II.

Patres ſæpè meminerunt traditionum in ſuis ſcriptis.

℟. I. Vel per traditionem intelligunt ipſam Scripturam S. Vel loqvuntur de ritibus Eccleſiaſticis. Qvæſtio autem eſt de rebus ad ſalutem neceſſariis.

II. Nota; Vocabulum *traditionis* etiam in ſacris uſurpatum reperitur de ipſâ doctrinâ in ſcripturâ tradita, ut *Act. VI. v. 14.*

III. No-

III. Notandum, *Eccium*, & alios Pontificios traditiones nominare tantùm illas, qvæ ex sacris non possunt probari; ideoqve ex hâc propriâ ipsorum confessione argumenta *Bellarmini*, qvæ pro Missâ, indulgentiis, purgatorio &c. (qvæ *Eccius* traditiones nominavit) non per se ex sacris colligit, solvuntur omnia.

De Authoritate librorum V. & N. T.

QVÆSTIO TERTIA.

An omnes libri V. & N. Testamenti sint Canonici? Neg.

Objectio I.

Qvicunqve libri ab Ecclesiâ in Canonem sunt recepti, illi etiam sunt Canonici.

At Ecclesia omnes libros recepit in Canonem; Ergò.

℟. Ad assumtum, illud negando, qvòd Ecclesia omnes receperit in Canonem, id qvod probo hoc Argumento: Aut enim Jesuitæ Ecclesiam intelligunt priscam, aut novam, aut utramqve; si de priscâ loqvuntur, in æternum demonstrare neqveunt, illam eos recepisse omnes in Canonem, sed potiùs contrarium ex *Augustino* patet; illi enim libri tantùm in Canonem suêre recepti, qvi fuerunt lecti ex umbone, sive cathedrâ. Sed ex hâc soli Canonici fuerunt lecti; Ergò: Vel si de novâ Ecclesiâ, seqvitur, hanc contrariari priscæ Ecclesiæ: Si de utrâqve, seqvitur, idem affirmari ac negari, qvod absurdum.

Instantia I. Patres, ut *Augustinus*, & *Hieronymus* illos receperunt in Canonem.

℟. Vocabulum Canonis tàm latè sæpè à Patribus sumitur, ut omne id significet, qvod non est Ethnicum, & in Ecclesiâ legitur. Sic *fabulam Hermetis Hieronymus* agnoscit Canonicam.

Instantia II: Concilia orthodoxa illos receperunt in Canonem, qvod negari neqvit.

℟. Id non omnia fecêre Concilia. Concilium enim Carthaginense illos seqvestravit à Canone; Ergò Concilia orthodoxa illos non Canonizant.

QVÆ-

QVÆSTIO QVARTA.

An liber Baruch sit Canonicus? Neg.

Contrà objicitur:

Scripta Prophetica sunt Canonica.

Liber Baruch talis est, qvia *Jeremiæ* Prophetæ adscribitur. Ergò.

℟. Negatur minor, Non enim liber iste fuit *Jeremiæ*, id qvod probatur, 1. qvia non fuit idiomate Hebræo conscriptus. 2. Qvia non spirat veritatem; Multis enim vitiis historicis scatet.

QVÆSTIO QVINTA.

Q. An Epistola ad Hebræos sit in Canone? Aff.

Contrà objicitur:

De cujus Autore fuit dubitatum, ille liber non est Canonicus.

At de Epistolæ hujus autore fuit dubitatum. Ergò.

℟. I. *Canonicum dicitur dupliciter: Vel ratione Autoritatis*, & sic omnes libri N.T. sunt Canonici; *Vel ratione Authoris*, & sic non sunt omnes Canonici. De hâc Epistolâ confer etiam *Syntag. Part. 1. p. 472.*

QVÆSTIO SEXTA.

An Epistola Jacobi sit in Canone? Aff.

Contrà objicitur:

Epistola qvæ evertit fundamenta Articuli fidei, illa non potest esse in Canone.

Talis est Epistola Jacobi, qvia contradicit *Paulo* manifestè in Articulo justificationis. Ergò.

Resp. Negando minorem. *Jacobus* enim non contradicit Apostolo; Nam Scopus in utroqve authore est considerandus, qvem reqvirunt textus, & circumstantiæ. At hic scopus fuit *Jacobo*, ut scriberet contrà Libertinos, qvi studium Bonorum Operum Adiaphoristicum esse voluerunt, annotante *Epiphanio Hæres. 23.* & probaret, justificatum non posse esse absqve operibus, qvibus fidem suam declararet, id qvod patet ex verbis illis: *Ostende mihi fidem ex operibus, &c. c. 2. v. 19. Paulus* autem considerat hominem ut justificandum. Et sic rectè dicit, qvod homo solâ fide justificetur.

Instantia: 1. Ut se habet res in esse, ita etiam in declarari. At justus declaratur operibus. Ergò etiam justus est operibus.

Resp.

Resp. Negatur consequentia ob diversitatem; Justus enim declaratur non Evangelicè, sed Legaliter; fit autem Justus non Legaliter, sed Evangelicè.

Instantia: 2. *Lutherus* autem hanc Epistolam ex Canone expunxit, ut videre est ex ejus Præfatione super hanc Epistolam.

Resp. ille postea *Tom. 1. Islebiensi* sententiam suam mutavit.

LOCUS II. DE DEO TRINUNO.

QUÆSTIO PRIMA.

Num in Compendiis Theologicis sufficienter hic locus exponatur? Aff. Contra:

Objectio I.

Qvicunqve mutilatè doctrinam hanc proposuerunt, nec etiam aliter proponere potuerunt, cum sit summum mysterium, qvod ratione comprehendi non potest, illi nec sufficienter istud explicare potuerunt. *Per speculum enim hic cernimus, 1. Cor. 13. v. 9.* E.

Resp. I. Distingv. cum Scholasticis inter *comprehendere, & cognoscere.* Comprehendere, voce strictè sumtâ, & stylo Scholastico, dicitur ad, cujus nihil est extra, qvod perfectè, & absolutè cognosci potest. Sic negamus, Deum posse comprehendi in totum, licet in tantum, ut *Bonaventura* loqvitur. Cognosci dicitur id, cujus aliqvid est extra, & sic Deum ex parte cognoscimus, non perfectè & absolutè.

II. Nomen Dei in S. Scriptura nobis proponitur duplex:

(1) Est cognitum, qvod cognosci potest, & qvoqve cognosci dicitur, de qvo *Jer. 23. v. 27.* De hoc meritò debemus esse soliciti.

(2) Est incognitum, qvod in hac infirmitate cognosci non potest; qvod etiam scrutari prohibemur, *Gen. 32. v. 29. Judic. 13. v. 18.*

(3) Ad dictum verò *1. Cor. 13. 9.* respondetur, qvod in illo duo proponantur, *vers. 12.*

(1) Visio: *Cernimus*, inqvit; Et sic Deus videtur hîc per speculum, non qvidem in essentia, sed in essentiatis, hoc est, in operibus ejus.

(2) Est de cognitione, qvæ verbis seqventibus *cognoscimus*, indicatur, & sic ex parte cognoscimus Deum, ubi nota canonem: *Cumænigma opponitur faciei ad faciem, de visione, qvando verò absolutè ponitur, tunc de cognitione est explicandum.*

Instantia ad posterius: Deus ex parte cognosci non potest, cum sit Spiritus.

Resp. I. Distingv. *inter modum, & ipsum actum cognoscendi, & inter objectum cognoscendi.* Cognoscimus ex parte, non Deum ex parte: Sic enim *ex parte*, refertur ad actum cognoscendi.

II. Ea est ratio cognitionis hujus mysterii, qvæ reliqvorum mysteriorum. Illa verò ex parte cognoscuntur. Ergò & hoc.

Objectio II.

Ex *1. Cor. 2. v. 14: Animalis homo non percipit ea, qvæ sunt spiritus Dei.* Omnis autem homo talis est. Ergò.

Resp. Qvidam ex Calvinianis interpretantur *illud animale* de omni homine, etiam renato, id qvod falsum. Aliàs enim ipse Apostolus non excluderetur, qvi tamen excluditur *versu 10. ejusdem capitis.* Ideò rectius explicatur de homine non renato, sibi relicto, qvi animæ suæ cogitationibus inhiat, id qvod probatur indè, qvia opponitur spirituali, *v. 16.* Spiritualis autem est renatus; Ergò animalis non renatus, vi contrariorum intelligitur.

Objectio III.

Si inter infinitum, & finitum nulla datur proportio, seqvitur, qvod nec doctrina de Deo tanqvam Ente infinito à nobis perfectè possit proponi. Antecedens est verum. Ergò & conseqvens.

Resp. I. Negatur antecèdens. Distingv. enim inter proportionem, qvæ analogicè proponitur, & sic datur proportio. Non verò qvando res eadem est cum analogia.

II. Antecedens non est universaliter verum; datur enim unio gratiosa inter Deum, & homines, & unio hypostatica inter λόγον, & humanam naturam. Ergo etiam proportio. Ideoqve

III. Datur inter infinitum, & finitum convenientia, & proportio, non ratione essentiæ, sed præsentiæ. Vid. *Meisn. Parte 1. Phil. Sobr. p. 1094.* & *Finck. in Theorem. Metaph. p. 199.*

QVÆSTIO SECUNDA.

An in Deum cadat Accidens? Neg.

Contra:

Deus dicitur habitare in Cœlis, in hominibus piis; illud autem est Accidens. Ergò.

Resp.

R. I. Errant Calviniani, *Pareus* & alii, qvi Deum ubiqve habitare docent, qvod falsum. Deus enim ibi dicitur habitare, ubi gratiosâ & gloriosâ præsentiâ adest piis. Probatur id ex *Deuteron. XVI. vers. 2. & 6.* qvi locus primus est, qvi agit de inhabitatione Dei. De Præsentiâ qvidem multa leguntur in *Exodo*, & *Numeris*, nihil verò de inhabitatione.

II. Distingv. *inter Considerationem absolutam, & respectivam.* Absolutè Deo nihil accidit, sed respectivè: Licet enim dicatur illi aliqvid accidere, non tamen id Deo, sed creaturis accidit. Elegans hâc de re simile habet *Scotus in libro Sentent.* de Nummo, cui minimo absolutè considerato nihil accidit, sed relatè, qvatenus exponitur, dicitur esse hujus vel illius valoris. Ideoqve

III. Resp. Deum habitare in Cœlis, & hominibus piis, non secundùm modum Subjecti & Accidentis, sed secundùm modum gloriæ & gratiæ.

Instantia: Si Deus habitat in piis, fortior operaretur in illis, eosqve defenderet ab hostibus ipsis insultantibus.

Resp. I. Promissio hæc de inhabitatione non est absoluta, sed hypothetica, sive conditionalis. Vide *Deuteron. 17. v. 11. & seqvem*, & *Ezech. 43. v. 9.*

II. Hostes illi vel sunt Pœna, vel Culpa: Si sunt culpa, peccatum nimirùm, distingv. *inter peccata Venialia & Regnantia*: Si sunt pœna, justè Deus illos immittit.

III. Deus ita habitat in piis, ut etiam in scholâ crucis agitari illos sinat. Conjungit illa duo accuratè Apostolus *Rom. 8. 17. 18.*

QVÆSTIO TERTIA.

An Pontificii Articulum de Unitate Essentiæ divinæ approbent? Ita ipsi volunt. Contrà

Qui præter unum Deum alios colunt, illisq; honorem divinum deferunt, illi unitatem Essentiæ divinæ negant. Tales autem sunt Jesuitæ. Frgò. Et per consequens malè Augustana Confessio dicit in Articulo I. illum pontificios approbare.

Minor latè probatur, *Part. 1. Syntagm. p. 697. seqq.*

Resp I. *Philippus in Apologiâ*, & Authores Augustanæ Confessionis respexerunt ad ipsissima verba pontificiorum, qvæ in scriptis recitant.

II. Distingv. *inter tempora prisca, & posteriora.* Anno 1530. in Comitiis Augustæ celebratis approbarunt; Sed posteà, præsertim verò postqvam Jesuitica illa cohors gens Lojolana surrexit, in Concilio sive colloqvio Wormatiensi secessionem à Nobis fecerunt, negantes, partim Nomen Dei non soli Deo esse proprium, partim Deitatem & unitatem Essentiæ divinæ non nisi traditionibus humanis Patrum posse probari.

QVÆSTIO QVARTA.

An Christus sit æternus Dei Filius secundùm Deitatem? Aff. Contra:

1. Si Christus secundùm humanam naturam est filius Dei, nec secundùm divinã, seqvitur, qvod non sit æternus: At prius verum, qvod probatur ex *Luc. 1 v. 35.* ubi Angelus ait: *Qvod ex te nascetur, filius Dei nominatur*; nec unicum dictum ex V. T. adduci potest, qvo probetur, Christum esse filium Dei secundùm Deitatem.

Resp. Posterius negatur. Extat enim clarissimum dictum *Ps. 2. v. 7.: Filius meus es tu, ego hodie genui Te.* Ergò.

Instantia: Hoc dictum pertinet ad humanã Christi naturam, qvod probatur ex *Cap. 13. Act. v. 33.* ubi Apostolus testimonium illud adducit ad probandam resurrectionem; undè sic argumentor:

Secundum qvam naturam Christus resurexit, secundùm eam etiam est filius Dei. At secundum humanam naturam resurrexit. Ergò.

Resp. I. Generaliter: Malè illi faciunt, nec methodicè rem tractant, qvi ex radicis investigatione æternitatem filii Dei probare nituntur, cùm nullum sit nomen, vel vocabulum apud Hebræos, qvod vi radicis & suâ naturâ denotet æternitatem: עֵלֶם enim descendit ab עָלַם *occultare*; ideòqve non ex voce, sed potiùs ex circumstantiis textûs probatio peti debet, qvod generaliter præmonendum.

II. Ad dictum *Act. 13.* Resp. qvòd distingvendum sit inter dicti alicujus literalem sensum, & inter illius applicationem. In sensu literali dictum illud *Psal. 2. v. 7.* agit de æternâ filii Dei generatione, appplicatur autem *Act. 13.* ad Christi resurrectionem.

III. Chri-

III. Christum Filium Dei secundùm humanam naturam etiam dici, sed in unione hypostaticâ, nos qvoqve asseveramus. Dicitur itaqve secundum humanam naturam filius Dei aut absolutè, aut respectu communicatæ hypostaseos; Non absolutè; Ergò respectu communicatæ hypostaseos; si hoc, ergò necesse est, ut ipse Christus secundùm divinam naturam hoc ab æterno habuerit, ut sit filius Dei; Qvomodo enimaliàs humanæ naturæ in Christo hypostasin communicare potuisset, ut secundum hanc nominaretur filius Dei?

Objectio II.

Ex *Cap. 1. Ad Rom. v. 4.* Christus demùm per resurrectionem consecutus est nomen illud, ut vocetur filius Dei. Ergò non ab æterno per generationem hoc habet.

Resp. I. Christum ab æterno habuisse personalem subsistentiam, probat *Cap. 5. Mich. v. 2. Psal. 110. v. 3. Joh. 8. v. 58.* E. non in tempore.

II. Vox græca ὁριθέντος a Vulgatâ malè explicatur per *prædestinationem*, qvod sic probo: Ea enim sunt prædestinata, qvæ cum fiunt, aliqvando non fuerunt: Christus autem ab æterno fuit; Ergò non prædestinatus, ideoqve vox illa non exponi debet per prædestinationem, sed potiùs per declarationem, qvæ non prædestinationem, sed positionem notat, & declarationem, qvæ facta est ex resurrectione, & non tollit, sed demonstrat divinitatem filii Dei, qvod duobus seqq. Argumentis probatur:

(I.) Qvi ita declaratur filius Dei in virtute Spiritûs per resurrectionem, ut virtus non tantùm sit Spiritus, sed etiam seipsum resuscitavit, de illius verâ divinitate non est dubitandum. Sicut enim Ariani Deitatem patris ideò concesserunt, qvòd filium suscitârit à mortuis; Ergò etiam ipsius filii Deitas rectè indè probatur, qvòd seipsum suscitârit à mortuis. At prius est verum, qvod constat ex *Joh. 10. v. 17. 18.* Ergò.

(II.) Ea est ratio resurrectionis Christi, qvæ reliqvorum miraculorum; Horum autem est ratio, ut declarent ita filium Dei, ut sit ipse Dei filius. Ergò etiam eadem erit ratio resurrectionis. *Vid. Joh. 5. v. 18.*

Instantia: Si Christus per resurrectionem fuit declaratus filius Dei, seqveretur, λόγον fuisse mortalem: Ille enim resurrexit, qvi fuit

mortuus; At filius Dei fuit mortuus & per resurrectionem iterum filius Dei declaratus. Consequens autem est absurdum. Ergò.

Resp. I. N.V.C. Mortuus enim fuit, non secundùm divinam, sed humanam naturam; Interim persona sibi mortem appropriavit, ut declaratur in primo genere Communicationis idiomatum.

II. Res aliquando tunc dicitur fieri, cùm nobis innotescit. Exempla sunt *Gen. 12. 28. & 29. & Cap. 22. v. 12.* Sic Christus etiam per resurrectionem nobis dicitur esse vel declarari, cum nobis innotescit.

III. Nota *Col. 1. 18.* Christus dicitur ex resurrectione declaratus primogenitus, quia ex nullâ aliorum resurrectione hoc factum est, ut per illam fuerint primogeniti declarati.

IV. Nota per Spiritum sanctificationis in dicto Apostolico *Rom. 1. v. 4.* non intelligi Spiritum S. sed divinam Christi naturam, quod probo.

(1) Ex oppositione, cum dicitur *genitus ex semine David secundùm carnem*, sicut ergò ibi sumitur vocabulum carnis, sic etiam hîc Spiritûs vocabulum; at ibi denotat humanam Christi naturam; Ergò & hîc vocabulum Spiritûs denotabit divinitatem Christi, id quod

(2) Probatur ex regula illa orthodoxorum: *Cum caro opponitur Spiritui, & sermo est de homine, tunc caro denotat affectus carnales, Spiritus verò renatos; Cum verò sermo est de Deo, tunc per carnem intelligitur humana natura, per Spiritum v. divina.* Applicentur hæc ad institutum, & res erit clara; vide *1. Pet. 3. v. 18. 1. Tim. 3. v. 16. Joh. 6. v. 63.*

(3) Idem constat ex observatione *B. Brentii: Cum Scriptura de Spiritu S. loquitur, dicit πνεῦμα ἅγιον; cum verò de divinitate sermo est, inflectit casum, & dicit, non Spiritum S. sed sanctificationis.*

Objectio III.

Exod. 17. v. 15. Nomen Jehova etiam Altari tribuitur; *ædificavit Moses Altare, & vocavit nomen ejus: Dominus vexillum meum.* Ergò ex nomine Jehova tributo Christo non rectè colligitur, illum esse verum Deum.

Resp. I. Distingv. *inter rei simplicem denominationem, & per periphrasin qvandam factam descriptionem*; Hoc loco Altare illud non simpliciter vocatur Jehova, sed describitur ita per qvandam periphrasin, idqve

II. Non

II. Non ratione ipsius essentiæ, sed saltem memoriæ: Erat enim Altare illud memoriale auxilii divini, in hoc bello contra Amalekitas præstiti; nec tamen propterea rectè dico, ipsum Altare fuisse Jehovam; sicut per periphrasin nomino Gothofredum; Germanicè Gottfried/ non verò simpliciter illum Deum, Gott/ nomino.

III. Simile exemplum habemus apud *Nazianzenum:* Ubi habetur de qvadam imagine erectâ, in qva creatio mundi fuit depicta, cum hac inscriptione: *Deus creavit mundum.* Anne propterea ipsa statua fuit Deus, & creator mundi? Absurdè; sed saltem erat memoriale creationis mundi; idem & hîc habeto.

Objectio IV.

Ex *Joh. 1. v. 1.* Tale hoc loco intelligitur principium, qvale etiam habetur, *Joh. 16. v. 4. cap. 15. versu ultimo.* At hîc intelligitur saltem initium ministerii N. T. in qvo Christus cum Apostolis fuit conversatus. Ergò.

Resp. I. Explicatio illa, qvæ desumitur ex locis parallelis, & homogeneis, est præferenda illi, qvæ desumitur ex heterogeneis; at locus parallelus, *Prov. 8. 22.* explicat & testatur, hunc locum de principio æternitatis agere, (qvamvis alii de principio creationis, ita, ut Christus tunc fuerit, cum omnia fuerint creata, qvod tolerari potest, illa tamen minimè præferenda, qvippe ex loco homogeneo, hæc verò ex heterogeneo desumta) & imò accipi posse, & debere. Ergò.

II. Loca verò illa, qvæ adducuntur, sunt heterogenea. Non enim agunt de Christi divinitate, nec de principio æternitatis, sed restaurationis ministerii Ecclesiastici N. T. Ergò huc non qvadrant.

III. Si verò indè licet sic argumentari: Vox initii ita sumitur apud *Joh. 16.* Ergò & *c. 1.* qvidnî etiam mihi sic argumentari licebit, *Joh. 8. v. 44. Diabolus ab initio non stetit, &c.* ibi intelligitur initium defectionis, Ergò & hîc, *c. 1.* Absurdè! Qvare accipiatur illa, qvæ desumitur ex locis homogeneis, missâ illâ, qvæ desumitur ex heterogeneis. Imò

IV. Ipse *Georgius Davidis* hunc locum intelligit *non de principio istius restaurationis,* sed *istius* anni, qvo Johannes hæc scripsit, idqve probare annititur ex *Marc. 1. v. 1.* Sed & hæc explicatio ex locis heterogeneis; interim videant Photiniani de Cadmæa sua concordia in explicandis Scripturæ dictis.

Inqvis:

Inqvis: Apud Salomonem in Proverbiis citato loco legitur: *Creavit me.*

Resp. I. Malè! in fonte enim *non creavit, sed possedit me.*

Objectio V.

Per *verbum* apud Johannem non intelligitur verbum qvoddam personale, ab æterno subsistens, sed vocale, qvia Christus, *v. 18.* propterea dicitur verbum, qvod nobis enarravit voluntatem Dei.

Resp. I. Verbum aliud est vel Naturale, nimirum vox hominis in auras evanescens; Vel Spirituale, idqve iterum vel Vocale verbum Dei, sacro codice contentum, vel Personale, ipse nimirum Filius Dei unigenitus, *v. 18.*

II. Johannem autem non de verbo vocali, sed Personali loqvi, (1.) sic probo: De tali loqvitur verbo, qvod est incarnatum, *v. 14.* id qvod de verbo vocali dici neqvit. Ergò (2.) ipse Johanes genuinus sui ipsius interpres videatur de hoc verbo *1. Joh. 1. v. 1. Apoc. XIX. v. 13.* (3.) Christus dicitur qvidem etiam verbum Dei, qvia enarravit nobis voluntatem Dei Sed non tantùm, qvia apud Deum fuit ab æterno, nec tamen ab æterno nobis revelavit istam voluntatem.

Objectio VI.

I. Per *Omnia*, qvæ hic per verbum facta sunt intelliguntur illa, qvæ facta sunt in ministerio N. T.

II. Particula *Per*, explicante ipso D. *Heerbrando in Compend.* denotat instrumentum.

Resp. I. Johannes describit h. l. creationem tùm per ampliationem, tùm per restrictionem. Per ampliationem, cum dicit, *omnia per ipsum sunt facta.* Qvæ verò *per omnia* intelligat, explicat Paulus, *Col. 1. v. 16.* per restrictionem, *qvod factum est.* Qvâ restrictione juxta *Chrysostomum* creaturam vult distingvere 1. à non creatura, nimirum Spiritu S. Vel 2. ab illis, qvi creaturis accesserunt, ut sunt peccata, &c.

II. *Heerbrandus* excusari potest. Ille enim intellexit instrumentum conjunctum, & essentialiter unitum, non separatum, sermone modificato. Aliter Ariani.

Objectio VII.

Dictum *Ps. 2. v. 7. hodie genui te, Act. 13. v. 14.* applicatur ad resurrectionem Christi, ubi *gignere* idem est, qvod suscitare.

Resp.

Resp. I. Ex canone: Argumenta ex humano circulo desumta, & Deo tributa, prius ab omni imperfectione, & humana significatione sunt purganda, anteqvam Deo tribui possint. Sic etiam vocabulum *hodiè*, qvia in humano circulo significat certum tempus, ab illa significatione est repurgandum, qvando Deo tribuitur, cum Deus nulli subjaceat tempori, sed in perpetua æternitate versetur.

II. Hoc canone Calviniani uti non possunt; statim enim responderet *Photinianus*: Si vos Calviniani in simili locutione de loco, cum Deus dicitur esse in cœlis, in loco excelso, &c, omnia intelligitis propriè, qvidnî etiam de tempore idem valebit?

III. Res in sacris qvandoqve dicitur fieri, cum manifestatur, cujus rei elegans exemplum habemus, *Jac. 2. v. 23.* ubi dicitur, tunc demùm illud esse impletum, *credidit Abraham*, &c. cum offerre voluisset filium suum, *Gen. 22.* cum tamen longè ante, *CXV.* id fuerit impletum. Facto verò hoc suo fidem suam declaravit. Sic etiam hoc loco vaticinium hoc dicitur impletum, cum Christus filius Dei declararetur per resurrectionem, explicante *Paulo, Rom. 1. v. 4.*

QVÆSTIO QVINTA.

An & qvomodo differant Personæ Trinitatis, num realiter, sive saltem ratione;

Pro posteriore argumentor:

Objectio I.

Essentia idem est cum paternitate; Essentia idem est cum filiatione. Ergò filiatio est paternitas, & sic etiam Pater & Filius ratione saltem differunt. Qvæ enim in uno tertio conveniunt, illa inter se conveniunt.

I. Argumentum hoc nec Logicè, nec Theologicè procedit. Non Logicè, qvod sic probo; Qvia ex puris particularibus nihil seqvitur. Terminos autem hîc esse particulares, sic probo; Essentia sumitur vel ut est communis, vel propria; Communis est, qvando ponitur absqve proprietate characteristica; Propria, qvando cum additione characteris ponitur, qvod cum hic fiat in utraqve parte, termini sunt proprii ex particularibus.

II. Nec Theologicè. Ratione enim personas divinitatis non

differre, probatur hoc modo: *Ratione differre* aut sumitur *sensu Thomistico*, aut *Scotistico*: Priori modo nil aliud significat, qvàm qvæ differunt ratiocinatione tantùm, & respectu nostri conceptûs: Posteriori modo differunt ut ratiocinata. Utroqve modo personæ ratione non differunt; non priori, qvia tunc nullum planè discrimen esset inter personas. Noster enim conceptus non importat discrimen rei; Non posteriori, qvia sic caderet in Deum compositio, qvod absurdum, ideòqve ratione non differunt: *Nec 2. Modaliter*, qvia idem est, qvod accidentaliter; sed 3. *Formaliter*, qvæ est inter rem & rem, ut res non sit eadem, sed in prædicatione aliqvid prædicetur de uno, qvod non de altero; Sic essentia Patris est communicabilis, non verò paternitas.

Instantia: Personas modaliter differre, probatur testimoniis Patrum, qvi illas differre τρόπῳ ὑπάρξεως dicunt.

Resp. Aliud est differre modo ὑπάρξεως, & aliud modaliter; prius nos etiam dicimus, posterius negamus, qvod tamen *Keckermannus*, qvamvis admonitus ab *Heidelbergensibus*, publica tamen disputatione defendit.

Objectio II.

Gignere & gigni aut differunt substantialiter, aut accidentaliter; Non prius, Ergò posterius.

Resp. I. Trinitas non subest Categoriis, ideòqve non debet ex illis dijudicari.

II. Si in unione Hypostaticâ datur tertium, qvidni etiam in tremendo & summo illo Trinitatis Mysterio. At datur tertium in unione. Unio enim illa non est Accidentalis, nec Substantialis, sed Personalis.

III. In unione gratiæ in sanctis datur tertium. Unio enim illa non est Substantialis, nec Accidentalis, sed gratiosa. Ergò.

De Spiritu Sancto.

QVÆSTIO PRIMA.

An Spiritus S. sit Deus & persona â Patris & filii persona distincta? Aff. Contra:

Objectio I.

Persona non est in persona. Spiritus S. est in persona; est enim in Deo Patre & filio. E. non est persona.

Resp.

Resp. I. Spiritum S. esse personam, probatur hoc argumento: Cui idoneum testimonium adscribitur, ille est persona. Spiritui S. hoc adscribitur, *1. Joh. 5. v. 7.* Ergò.

II. Potest inverti. Spiritus S. est in Deo, non in tempore, sed ab æterno, Ergò est Deus. Qvi enim in Deo est ab æterno, ille verus est Deus.

III. A περιχωρήσει, qvæ est mutua inter personas in essentiâ.

IV. In Deo dicitur esse Deus, non tantùm respectu naturæ, sed etiam personæ; Sic non tantùm filius est in patre, sed & Pater est in Filio, *Joh. 14. v. 10.* & tamen Pater est persona, ut & Filius.

V. Si absurdum non est, personam esse in naturâ, in unione nimirùm Hypostaticâ; non etiam absurdum est, personam esse in personâ.

Instantia ad secundam Responsionem: Qvicqvid est in Deo, est Persona. Omnipotentia est in Deo. Ergò est Persona.

Resp. 1. Major Universaliter vera non est, aliàs seqveretur, qvod etiam essentia, & intellectus, imo & notitia Dei essent personæ, qvia tam essentia, & intellectus, qvàm notitia Dei sunt in Deo. 2. qvicqvid ita est in Deo, ut per illud subsistat, illud est persona. At per omnipotentiam; non subsistit Spiritus S. Ergo. 3. Qvi ita est in Deo ab æterno, ut perficiat opera divina, radicaliter ac Principaliter, ille est persona. Talis autem est Spiritus S., *Psal. 100. v. 2.* Ergò.

Objectio II.

Deo nihil est superius.

Spiritu S. aliqvis est superior, nempe Deus Pater, qvi est mittens & dans Spiritum S. Dator autem & mittens superior est misso. Ergò.

Resp. *Missio* illa est vel *respectu decreti æterna*, & sic non est inæqvalis, qvia est æterna: Vel *in tempore*; & si indè concludi possit, Spiritum S. Patre esse inferiorem, seqveretur etiam, seipso esse inferiorem, qvia seipsum dicitur dare in *Epist. Gal. 3. v. 5.*

Objectio III.

Spiritus Dei non est ipse Deus, sicut Spiritus hominis non est ipse homo. Spiritus S. est Spiritus Dei. Ergò.

Resp. I. Qvi ita est Spiritus Dei, ut omnia opera divina perficiat, ille est ipse Deus; talis autem est Spiritus S. Ergò. *Rom. 8. v. 11.*

Regional-bibliothek Neubrandenburg http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027629733/phys_0225 Mecklenburg Vorpommern

II. Cui tribuntur opera divina & proprietates, ille est Deus. Talis autem est Spiritus S. Ergò. Assumtio probatur ex *1. Cor. 2. v. 10. Spiritus scrutatur corda hominum*, qvod esse proprium divinæ essentiæ, probatur ex *Rom. 11. v. 34.*

Instantia: Qvicunqve novit omnia, & scrutatur, ille est Deus. Essentia novit omnia. Ergò.

Resp. I. Loqvendum est cum Scripturâ, qvæ, cùm nullibi ita loqvatur, nec nos ita loqvi decet.

II. Attributa divina dupliciter considerantur; Vel absqve limitatione Characteristicâ, & sic cum essentiâ unum & idem sunt; Vel cum limitatione Characteris hypostatici, & sic persona agit cum essentiâ.

III. Distingv. est *inter Operationes seu actiones, & attributa.* Sic omnia nosse est attributum essentiale, & sic essentia novit omnia directè, qvia illud nosse non denotat actionem; Scrutari verò notat actionem. Cùm verò actiones sint suppositorum, sive personarum, ideò illæ non essentiæ, sed personæ Spiritus S. tribuendæ sunt.

IV. Alia ratio est Spiritus hominis, & Spiritus Dei: Anima enim est principium, qvo homo novit hæc vel illa, homo verò est principium qvod novit. Spiritus S. autem non est principium qvo, sed qvod, nimirum ipsa Causa, qvæ scrutatur omnia.

V. Scriptura cùm vocem *Spiritus* sumit essentialiter, non loqvitur Spiritus Dei, sed Spiritus Deus *Joh: 4. v. 24.* & cùm sumit personaliter, dicit Spiritus Dei. *Rom. 8. 14.*

Objectio IV.

Qvare igitur Apostolus in inscriptione suâ non facit mentionem Spiritus S. qvod videtur derogare ipsius divinitati? adde locum *1 Cor. 8. v. 6.*

Resp. ab inclusivâ ad exclusivam non V. C.

LOCUS III. DE PERSONA CHRISTI.

Deus dicitur *Es. XLV. v. 15.* absconditus; Qvod licet etiam commodè explicari possit cum dicto illo Paulino, *1. Tim. 6. v. 16.* ubi dicitur Deus habitare lucem inaccessam, id est, in habitaculo inaccesso sive abscondito; nihilominus tamen etiam commodè cum *Cyrillo*,

&

& *Athanasio* de personâ Christi explicari, & exponi potest, qvòd scil. divina natura filii Dei abscondita sit in humanâ naturâ, in qvâ juxta Paulum omnes thesauri sunt reconditi. De hâc re jam sumus pluribus acturi.

QVÆSTIO PRIMA.

An Christus sit verus Deus? Aff. Contrà:

Imago Dei repræsentans Deum non est ipse Deus. Christus est imago Dei, *Col. 1. v. 15. Heb. 1. v. 3.* Ergò.

Resp. Aliter ad hoc argumentum respondetur in schola heterodoxa *Osiandri*, aliter in scholâ orthodoxâ: In Scholâ *Osiandri* respondetur ad Minorem, Christum esse imaginem Dei, respectu humanæ naturæ, qvi error fuit *Osiandri*, & qvidem gravissimus: In Scholâ Orthodoxâ respondetur, qvòd imago Dei sit filius Dei, ita ut tamen sit etiam ipse Deus. Idqve probatur tribus argumentis:

I. Ut se habet verbum Dei ad ipsum Deum, ita etiam se habet imago Dei ad ipsum Deum. At verbum Dei ita se habet ad DEum, ut sit ipse Deus, *Joh. 1. v. 1.* Ergò etiam imago Dei ita se habet ad DEum, ut sit ipse DEus.

II. Ut res se habet in esse; ita etiam in imaginando; Atqve ita qvò res est excellentior, eò excellentiorem etiam habet imaginem; Jam autem Deus est excellentissimus, & perfectissimus. Ergò etiam perfectissimam necesse est ut habeat inaginem, qvæ etiam est ipse DEus.

III. Qvi ita est imago, ut etiam sit character, ille non nudam tantùm umbram, sed etiam personam significat. Talis est filius Dei, *Col. 1. v. 15.* Et sic character est qvasi perfectio imaginis divinæ. Tantùm igitur abest, ut ex voce imaginis infringatur doctrina de divina Christi naturâ, ut potius ea stabiliatur.

QVÆSTIO SECUNDA.

An ex *Mich. 5, v. 2.* probari possit æternitas, sive Deitas æterna filii Dei? Aff. Contrà:

Si dictum hoc loqvitur de æterna generatione, seqveretur, duplicem esse Christi generationem. Dicit enim egressiones ejus ab æterno. At hoc falsum. Ergò.

Resp. 1. D. *Chemnitius in Harmonia Evangelica* duplicem constituit generationem, unam in tempore, alteram ab æterno; Prophetam autem *Micheam* de duplici generatione loqvi, indè apparet, qvod *Matth. cap. 2. v. 6.* explicet, & applicet hoc dictum ad temporalem Christi nativitatem. 2. Probatur ex ipsis verbis textûs, qvi ita habet: *Egressus sive egressiones ejus ab initio, & à diebus æternitatis:* Ubi illud *ab initio* per Athnach sejungitur à diebus illis æternitatis; Et licet Athnach interdum sejungat, interdum connectat dictiones, & sententias, hîc tamen illam esse disjunctivam, probatur ex applicatione, *Matth. c. 11. v. 6.* & *Joh. 7. v. 42.* 3. Si nulla alia ratio dari potest, qvare Spiritus S. loqvatur in plurali numero, qvàm hæc, seqvitur necessariò, hanc esse tamdiu retinendam, donec melior datur. At melior dari non potest. Ergò hæc retinenda. Vide de hoc dicto partem primam Syntagmatis p. 95.

De Communicatione Idiomatum.

QVÆSTIO PRIMA.

An idiomata divinæ naturæ sint communicata humanæ? Aff. Contrà:

1. Qvicqvid non est habile ad recipienda omnia idiomata divina, illi etiam idiomata non possunt communicari. Humana natura non est habilis ad omnia idiomata recipienda. Ergò etiam omnia illi non sunt communicata; Æternitas enim tollit humanam naturam, si illi communicaretur. Esse enim in tempore, & esse ab æterno, se mutuò tollunt.

Resp. Omnia idiomata communicata non tollere ipsam humanam naturam, indè probatur, qvia tota hypostasis est communicata, & tamen non tollit, sive evertit humanam naturam. Ergò nec idiomata. Antecedens probatur ex illustri illa sententia Apostolica, *Col. 2. v. 9. In ipso inhabitat tota plenitudo Deitatis corporaliter.* Qvæ igitur Apostolus conjungit, illa nos non debemus seqvestrare. Ille autem conjungit, ac omnia idiomata uno qvasi vocabulo complectitur, dicens, πᾶν πλήρωμα, *tota plenitudo*; E. Si verò de prædicatione est sermo, respondemus, aliam esse rationem, cur nimirum omnia qvidem carni sint communicata, sed non omnia de illa prædicentur. Hujus verò est ista ratio.

ratio. Illa enim tantùm prædicantur de carne, qvæ 1. ad officium redemptionis pertinent. 2. Qvæ foràs prodeunt, & effecta extra se relinqvunt.

Instantia I: Dictum *Col. 2. 9.* explicatum fuit de humanâ naturâ e' vocabulo σωμαλικῶς; Vocabulo autem illo non posse denotari humanam naturam, sic probo:

Vocabulum σῶμα ibi denotat personam. Humana natura non est persona. Ergò.

Resp. Qvidam Patres vocabulum σωμαλικῶς exposuerunt per *personaliter*. Qvæ explicatio est qvidem vera, sed non est sufficiens, ac perfecta. Maluerunt tunc patres potius modum inhabitationis exprimere, qvàm ipsum Subjectum. Humanam autem naturam esse habitaculum illud, in qvo tota Deitas habitat, & non divina natura sive persona, sic probo:

Si intelligitur divina natura, in qvâ habitat tota illa plenitudo, sequeretur, duplicem esse in Christo Deitatem, unam inhabitantem, alteram habitaculum, qvod absurdissimum; Si persona Christi intelligitur, seqveretur divinam naturam personaliter saltem illi esse communicatam, nec essentialiter, qvod itidem falsissimum; Ideòqve humanam naturam intelligi necesse est. Nec etiam in sacris ullum reperitur dictum, in qvo extet Deitatem inhabitare in Deitate. E.

Instantia II: Nulla est ratio cohærentiæ in allegato dicto Apostolico, *Col. 2. v. 9.* cum *v. 8.* E. Inspiciatur Textus.

Resp. Maximè *v. 8. cum 9.* cohæret; Res enim erat Apostolo cum illis, qvi per traditionem humanam gentibus circumcisionem imposuerant. *Contrà* hos scripsit Apostolus, & illos Pseudo-Apostolos hoc argumento prosternit:

Circumcisio illa est contrà Christum, illiusq; evacuat meritum, qvod probat jam Apostolus *v. 9.* E. non est illa Ethnicis conversis imponenda.

Instantia III: Si eodem modo Christ⁹ habitat in nobis, ac divina natura in humana, nec tamen nos fiamus participes idiomatũ divinorum, seqvitur ex illo dicto, communicationem probari minimè posse. At prius verum. Christus enim habitat in nobis totus, & sic etiam

tota

tota Deitas,& qvidem σωμαλικῶς, si explicetur per corpus, in corpore enim nostro inhabitat. E.

Resp. In nobis habitat qvidem Deitas, sed non πᾶν πλήρωμα, qvod stylo Scripturæ S. de solo prædicatur Christo.

Instantia IV: Ubi essentia divinitatis, ibi tota. E.

Resp. I. *Brentius* simili declarat desumto ab anima. Anima tota est in singulis partibus; Non tamen dicendum πᾶν πλήρωμα animæ habitare in singulis partibus. Si igitur hoc procedit de anima, qvantò magis de unione illa perfectissima.

II. Stylus Scripturæ hîc est imitandus, qvi hanc prærogativam soli attribuit Christo, non nobis hominibus.

Instantia V: Esset ταυτολογία, qvia in ipsa humana natura inhabitat, & tamen σωμαλικῶς, i. e. in σώματι.

Resp. Ex hypothesi Calvinianorum potius est ταυτολογία, qvî per vocabula, *in illo*, personam intelligunt. E. minimè ex nostra. Personam autem intelligi non posse, paulo ante probavimus.

Instantia VI: Modus rei,& ipsa res unâ voce non possunt exprimi. Ergò nec vocabulo *corporaliter* modus præsentiæ sive inhabitationis & ipsum habitaculum intelligi possunt.

Resp. I. Non est absurdum, ut unâ voce, & ipsa res, & modus rei indicetur.

II. Propter Patres nonnullos admittimus hunc modum, qvi, ut ante dictum, explicarunt per *personaliter*, qvæ sententia qvidem est vera suo sensu, sed tamen non est perfecta. Aliàs enim seqveretur, Apostolum *Paulum* nos deducere velle ad Deum ipsum, qvi est ignis consumens extra carnem.

Objectio II.

Negatâ causâ, negatur effectus; in Christo negatur causa communicationis idiomatum. E. Antecedens probatur; Qvia communicatio naturarum non est facta, qvæ est causa communicationis idiomatum. Ant. probatur, qvia characteres personales Filii Dei humanæ naturæ non sunt communicati, ut gigni à Patre, unà cum Patre spirare Spiritum S. Non enim prædicantur de humana natura. Communicatio autem ex prædicatione ab ipso *Schrödero* fuit definita.

Resp. I.

Resp. I. Sicut à negatione causæ ad negationem effectûs valet consequentia, ita contra à positione causæ valet consequentia ad positionem effectûs. Jam unio personalis est causa communicationis idiomatum; illa autem fuit facta; E. etiam hæc sit subsecuta, necesse est.

II. Qvæ communicantur, illa etiam prædicantur, sed non eodem modo. Sic persona fuit humanæ naturæ communicata, sed non prædicatur directè de humana natura in abstracto. Non enim dico, humana natura est persona, sed personata. Sic filius natus dicitur Pater æternitatis, Es. 9. v. 6. Eodem modo humana natura est æternata, sed non æterna.

Objectio III.

Qvæ communicantur, etiam prædicantur; Spiritus, divina nimirum essentia humanæ naturæ est communicata. Ergò etiam prædicatur de illa, & per consequens dici potest, humanam naturam esse Spiritum.

Resp. I. Potius contrarium sequitur. Si enim est Spiritus, qvomodo illi Spiritus est communicatus?

II. Communicatio est vel κατὰ μέθεξιν, vel κατὰ συνδύασιν. Illa sic denominat subjecta directè, ut genus prædicatur de sua specie, hæc verò non item.

Objectio IV.

Qvæcunqve communicatio idiomatum importat confusionem naturarum, illa est Eutychiana.

Atqvi talis est hæc communicatio. Ergò.

Resp. I. Negatur Minor. Communicatio enim, qvæ fit κατὰ συνδύασιν nullam importat confusionem naturarum.

II. Ab Eutychianismo nos dissentimus, 1. In ipsis circumstantiis. Illi enim post resurrectionem Christi confusionem naturarum dixerunt factam; Nos in ipso unionis momento non confusionem, sed communicationem naturarum factam dicimus. 2. In reipsâ. Illi humanam naturam dixerunt absorptam à divina, nos unitam. Illi statuerunt confusionem, nos communicationem.

Objectio V.

Si propter unionem humana natura facta est particeps proprietatum

divinarum, divina etiam propter illam unionem facta est particeps humanarum proprietatum. Ratio, qvia propter hanc unionem æqvè divina natura est unita humanæ naturæ, ac hæc illi. Atqvi Antecedens est verum. Ergò & Consequens.

Resp. Aliter ad hoc argumentum respondent *Giessenses*, aliter *Tubingenses*. Illi dicunt, non procedere hanc illationem ideò, qvod assumentis sit dare, & non assumti. *Tubingenses* verò affirmant, divinam naturam etiam suscepisse proprietates humanas: Probant id hoc argumento: Qvia suscepit ipsam humanam naturam; humanam autem naturam fingere absqve proprietatibus, dicunt esse ex homine facere monstrum. Qvod si verò qvis inferat: Ergò divina natura est passa, mortua, &c. tunc Resp. semper esse habendam rationem prædicationis Subjecti & Prædicati; probant id ex *c. IX. v. 5. Rom.* ubi idem Christus *Deus dicitur esse secundum carnem ex patribus.* *Giessensium* tamen sententia est præferenda; Natura enim divina tantum appropriavit sibi idiomata humanæ naturæ. Hinc primum genus communicationis idiomatum à Patribus vocatur *ἰδιοποίησις appropriatio.*

Objectio VI.

Communicato uno idiomate, communicantur omnia. Qvia hoc essentiæ divinæ simplicitas importat.

Resp. I. Non repetam, qvæ alii adducunt ad hoc argumentum; saltem adducam regulam, *D. Jacob. And. De actionibus & operibus*, inqvit, *Dei judicandum est non ex essentiæ divinæ simplicitate, sed ex solo verbo Dei revelato.* Hæc si applicetur, solutio erit facilis.

II. Idiomata divina considerantur dupliciter: Vel intra essentiam divinam, vel extra; Qvatenus considerantur intra essentiam divinam, sic simplicissimè sunt conjuncta; Qvatenus verò considerantur ad extrà, h. e. qvatenus foràs operationem qvandam edunt in creaturis, sic sunt distincta & distinctè consideranda, pendetqve hæc distinctio non tàm ab ipsa essentiæ simplicitate, qvã diversitate objecti. Sic qvamvis justitia, & bonitas in Deo non differant, tamen ratione diversi objecti, & diversorũ actuum omninò differunt; Justitiâ enim sua damnavit Judam, misericordiâ verò suâ Petrum recepit in gratiam. *Inqvis:* Patres tamen accuratè distingvunt *inter totum Christum, & totum Christi*; totum Christum dixerunt esse ubiqve, non totum Christi. Resp.

Resp. *Damascenus* & alii Patres per totum Christum non intelligunt personam tantùm sine respectu naturarum, sibi invicem unitarum; sed per totum Christum intellexerunt personam totam in duabus naturis, nimirum in actu personali; per totum Christi ipsas naturas in actu proprio, & naturali, nimirum qvid unaqvæqve possit ex se naturaliter; Sic rectè dico: Totus Christus est ubiqve; sed non totum Christi, h. e. duæ naturæ sunt ubiqve, nimirum naturaliter; sic enim sola divina natura est ubiqve; humana verò Personaliter.

QVÆSTIO SECUNDA.

An humana natura in Christo constituat personam? Neg. Contra:

Objectio I.

Anima & corpus unita constituunt personam; In Christo est anima, & corpus. Ergò.

Resp. Committitur Elench⁹ insufficientis enumerationis partium. Non enim tantùm reqviritur ad constitutionem personæ, anima, & corpus, sed etiam subsistentia propria, qvam Christus non habuit.

Instantia: Seqvitur indè, si Christus non habet propriam subsistentiam, nostram naturam esse perfectiorem Christi naturâ humanâ.

Resp. Minimè; tantò enim perfectior est humana natura Christi præ nostrâ, qvia illa subsistit in persona τῦ λόγȣ, qvod de nostra negatur.

Objectio II.

Perfectus homo est persona.
Christus est perfectus homo. Ergò.

Resp. Distingv. *inter rei substantiam, & subsistentiam.* Christus est perfectus respectu substantiæ, qvæ maximè reqviritur ad perfectionem essentialem hominis; subsistentia non item. Causa verò, qvod humana natura non sit persona, hæc est, qvia sic essent duæ personæ in Christo, & sic etiam duo Christi, qvod est contrà Apostolum, *1. Cor. 2. v. 6. 8.* ubi dicit: *Unus est nobis Christus;* Non unitate essentiali, nec κεφαλῇ, ut *Nestorius voluit*, sed unione personali.

Objectio III.

Christus secundùm Humanam Naturam nobis per omnia fuit similis. Ergò etiam perfectus homo; Et sic etiam persona.

Resp. I. Humana natura dupliciter consideratur: Vel in se, vel in personâ τῦ λόγυ; in se considerata nobis est similis, non verò in personâ τῦ λόγυ.

II. Distingv. *inter ipsam Subsistentiam, & subsistendi modum*; illam Christus nobiscum habet communem, & reverâ subsistit, sed non per se, & à se, sed in λόγῳ.

III. Loqvitur Paulus de Statu Exinanitionis, in qvo Christus qvoad infirmitates nobis per omnia erat similis, absqve tamen peccato.

IV. Multa tribuuntur Christo secundùm humanam naturam, in qvibus nobis non est similis, ut sedere ad dextram Patris, &c.

QVÆSTIO TERTIA.

Nùm Christus secundùm divinam naturam etiam sit exaltatus? N. Contrà:

Secundùm qvam naturam Christus est exinanitus, secundùm eam etiam est exaltatus. At secundum divinam naturam etiam est exinanitus, ut patet ex *v. 5. 6. Cap. 2. Phil.* ubi Paulus exinanitionem describit per assumtionem formæ servi, qvam Deus, non homo, assumpsit, aliàs enim homo seipsum assumpsisset.

Resp. I. Loqvitur Paulus de CHRISTO, non incarnando, sed incarnato.

II. Secundùm divinam naturam non est in formâ Dei, sed est ipsa Forma Dei; secundùm humanam naturam est in forma Dei.

III. Secundùm divinam naturam est ἴσος Deo, secundùm humanam Deo ἴσα.

QVÆSTIO QVARTA.

Num Christus ab ipso momento unionis sederit ad dextram Patris? Dist.

Si Christus in ipsâ unione sedet ad dextram Dei, & demùm post ascensionem etiam consedit ad illam, seqvitur, Christum bis sedisse ad dextram Dei, & sic etiam bis esse exaltatum.

Resp. I. Sedere ad dextram Patris vel sumitur sensu stricto, vel lato:

lato: Stricto sensu sumitur in articulis fidei Apostolicis pro exaltatione, Et sic Christus ab ipso momento unionis non consedit ad dextram Majestatis: vel sumitur lato sensu, ut idem sit, ac esse in personâ Dei, qvæ dextra ipsâ. Sic Christus ab initio unionis consedit ad dextram Dei, qvia fuit in personâ Dei, qvæ est ipsa dextra Dei.

II. Distingv. *inter esse in dextrâ Dei, & sedere ad dextram*; Illud *Brentius* affirmavit de Christo, nimirùm qvod ab unionis momento fuerit in dexttâ Dei; Non verò hoc.

Instantia: Form. C. p. 608. videtur etiam asserere, humanam naturam esse exaltatam ab unionis momento.

Resp. I. Fit illud in latâ significatione.

II. Distingv. *inter exaltationem, qvæ facta est ad κτῆσιν, & ad χρῆσιν*: priori modo caro Christi ab ipso unionis momento fuit exaltata, sed non posteriori.

De Omnipræsentia Carnis Christi qværitur: An Christus secundum humanam naturam verè sit omnipræsens? Aff. Contra:

Theologi probaturi Omnipræsentiam Carnis Christi, inter alia adducunt qvoqve visionem illam ex *Joh. Apoc. c. 1. v. 13.* contrà qvod sic argumentor:

Objectio I.

A visione prophetica non valet argumentatio ad rei veritatem. At hîc describitur visio prophetica. Ergò Omnipræsentia ex illâ visione non potest probari.

Resp. I. Non simpliciter, & directè Theologi ex hoc probarunt omnipræsentiam carnis Christi, sed indirectè, & qvidem hâc occasione: Cùm enim *ZWinglius* Anno 1531. postularet ab Orthodoxis Theologis, ut unum locum ex sacris adducerent, qvo probare possent, Christum omnipræsentem esse, tunc illi non qvidem categoricè, sed hypotheticè hunc locum adduxerunt, ita, ut si Christus ita ascenderit cœlum, ac sederit ad dextram Patris, ut etiam ambularet in medio VII. Ecclesiarum, nihil obstare, qvo minus etiam ubiqve possit & velit esse præsens.

II. Ad visionem Respondetur; Ea est ratio visionum, qvæ, & para-

rabolarum: illarum autem hæc est ratio, ut non tantùm respiciantur ipsæ parabolæ, sed etiam ipsarum applicationes, & explicationes. Ita etiam visiones non tantùm sunt respiciendæ, sed etiam illarum applicationes, & explicationes: Applicatio autem hujꝰ visionis fit in *Cap. 2. v. 1.* ubi non tantùm de visione, sed etiam explicatione visionis agitur.

Objectio II.

Triplices vulgò numerantur præsentiæ modi: Aut enim præsentia est definitiva, aut repletiva, aut circumscriptiva: Neutra autem hæc est omnipræsentia Christi secundum humanam naturam; Non repletiva, qvæ per solius essentiæ infinitatem competit soli Deo; Non definitiva, qvæ competit Angelis, nec propriè est omnipræsentia; Nec circumscriptiva, qvia hæc humanæ naturæ est essentialis. Ergò nullo modo.

Resp. I. Est insufficiens enumeratio partium: Si enim tot saltem essent præsentiæ modi, seqveretur, Filium esse in Patre, aut repletivè, aut definitivè, aut circumscriptivè.

II. Præsentia illa carnis Christi dicitur personalis.

III. Stylo S. Scripturæ dici posset impletiva, *Ephes. 4. 10.*

Instantia ad Secundam Responsionem: Si præsentia illa humanæ naturæ in Christo dicitur personalis, seqveretur, duplicem esse præsentiam in Christo: Unam essentialem personæ τῦ λόγυ, alteram personalem humanæ naturæ, qvod absurdum.

Resp. Una est præsentia, sed modi sunt diversi: Essentialis nimirum, & Personalis.

Instantia ad Tertiam Responsionem: Theologi probaturi præsentiam hanc impletivam, adducunt dictum *Jer. 23. v. 24.* Falsò autem id fieri sic probo: Deus ibi dicitur implere omnia propter Essentiæ infinitatẽ, & sic illa præsentia est essentialis Deo, caro autem Christi dicitur omnipræsens, non essentialiter, sed personaliter, ideòqve non rectè dictum illud adducitur ad probandum hunc modum præsentiæ.

Resp. Rectè hoc dictum opponitur adversariis, sed alio modo; Qvando enim illi dictum illud Apostolicum volunt intelligi de impletione scripturarum, rectè contrà ex *Jer. 23. Cap. v. 24.* illud adducitur

tur, qvo probatur, qvod vocabulum *implere*, cùm absolutè sine additione vocabuli scripturæ ponitur, non scripturarum impletionem, sed præsentiam impletivam describat; qvando verò illa particula (*scripturæ*, sive qvod *scriptum est*, ut *Matth. 2. v. 10.*) additur, tunc impletionem scripturæ denotat.

Objectio III.

Λογος in statu Exinanitionis fuit ubiqve; Caro in statu Exinanitionis non fuit ubiqve. Ergò duæ dantur præsentiæ.

Resp. I. Æqvè caro Christi in statu Exinanitionis fuit omnipræsens, ac in statu Exaltationis, qvod sic probo:

Præsentia illa carnis dependet ab unione personali. Qvod si ergò statuatur, carnem Christi in statu Exinanitionis non fuisse ubiqve, sed in statu Exaltationis, seqveretur, unionem in exaltationis statu fuisse fortiorem, ac in statu exinanitionis, qvod absurdum.

II. Qvidam respondent distingv. *inter actum primum, & secundum*; Et secundum actum intelligunt non tàm de ipsâ præsentia, qvàm de præsentiæ operatione, qvod sic velim intelligas, illos non loqvi de omnipræsentia, qvæ fit per operationem, vel influentiam, sed qvæ fit per indistantiam. Secundùm hanc enim etiam in statu exinanitionis fuit secundum carnem præsens apud omnes creaturas. Vide *Part. 1. Synt. p. 126.*

Instantia: Reliqva idiomata carni communicata ex sacris qvidem possunt probari, sed non omnipræsentia.

Resp. Uno idiomate nominato, qvod ad officium Christi pertinet, non excluditur alterum, qvod huc spectat: Sic nominato idiomate Omniscientiæ, & omnipotentiæ, non excluditur omnipræsentia, qvia non minùs hæc ad officium Christi regium pertinet, ac illæ.

Objectio IV.

Si unio est causa Omnipræsentiæ, seqvitur etiam, rectè dici divinam Christi naturam esse passam &c. qvia tàm hæc illi, qvàm illa huic est unita.

Resp. I. Unitarum non est eadem ratio; Causa est hæc, qvia non humana assumpsit divinam naturam, sed divina humanam; assumentis autem est dare, & non assumpti.

II. A toto ad partes V. C. non ratione Essentiæ seu affectionum, sed ratione præsentiæ tantùm. Obje-

Objectio V.

Nullum corpus verè humanum omnibus suis proprietatibus præditum (qvod dicitur in S. scriptura abfuisse, de loco ad locum migrasse &c.) potest esse ubiqve. Tale est corpus Christi. Ergò.

Resp. I. Distingv. cum *Athanasio inter corpus verè humanum, & merè humanum*: Argumentum concludit de corpore merè humano, non verè humano.

II. Si ex illo, qvod Christus alicubi dicatur abfuisse, argumentari licet ad denegandam omnipræsentiam carni Christi, seqveretur, qvod nec Deus etiam sit omnipræsens; ille enim etiam dicitur *1. Reg. 19. v. 11. 12.* abfuisse alicubi. At hoc de Deo affirmare est absurdum, & blasphemum. Ergò. Ideòqve illa dicta, qvæ de absentia Christi loqvi videntur, non de ipsâ absentiâ, sed de modo absentiæ, & præsentiæ sunt intelligenda. Sic Christus *Luc. 24. v. 44.* dicit, *hæc sunt verba, qvæ locutus sum vobis, dùm adhuc essem vobiscum*; & tamen adhuc erat cum illis, sed non eodem modo.

III. Qvorum causæ sunt subordinatæ, illa etiam inter se sunt subordinata. At causæ horum prædicatorum, nimirum esse in loco, & esse ubiqve, sunt subordinatæ; illud enim dependet à proprietate naturæ, hoc à personali unione. Ergò.

Objectio VI.

Christus dicit *Joh. 17. v. 13, Non amplius sum in mundo*; E. non est omnipræsens.

Resp. Dictum hoc non de præsentia locali, ut qvidam explicant, sed de mundanâ conversatione est explicandum, qvam Christus paulò post erat relicturus.

Objectio VII.

Qvicunqve est omnipræsens, est Deus.
Christus secundùm humanam naturam est omnipræsens. E.

Resp. Propositio vera est de essentiali omnipræsentia, & sic Christus non est omnipræsens, sed Deus; Sed Personaliter est omnipræsens, & sic Deus dicitur, non in abstracto, sed concreto, ut Christus homo est Deus.

Instantia: Ergò duplex est omnipræsentia.

Resp. N. Distingv. enim *inter rem, & rei habendæ modum*; Omnipræsentia est una, sed modus habendi est diversus.

Obje-

Objectio VIII.

Omnipræsentia carnis Christi dependet non ab unione personali, sed à sessione ad dextram Patris, qvod probatur *ex Ephes. 4. 10.* consedit enim ad dextram Patris, *ut impleret omnia.* E. Si ideò consedit, ut impleret omnia, tùnc per sessionem demùm erit omnipræsens.

Resp. I. Opponuntur in hoc argumento non opponenda, sed qvæ sunt subordinanda.

II. Distingv. *inter ipsam carnis humanæ omnipræsentiam, & carnis omnipræsentis dominium.* Illa dependet ab unione personali; Hoc verò à sessione ad dextram patris, & de hoc, non illâ loqvitur dictum allegatum. Omnipræsentia igitur dominans dependet à sessione; Et sic Christus in statu Exinanitionis non fuit omnipræsens; ipsa verò omnipræsentia ab unione dependet, & sic in statu exinanitionis secundum humanam naturam verè fuit omnipræsens.

LOCUS IV. DE PECCATO.

QVÆSTIO PRIMA.

An peccatum Originis sit ipsa natura, sive Substantia humana? N. Contrà:

I. Sicut Theologi probaturi, Sacramenta esse in Prædicamento actionis, argumentum indè sumunt, qvia omnia verba Sacramenti actionem denotant; Ita etiam rectè inferri potest: peccatum Originis describitur verbis substantialibus, ergò etiam est Substantia ipsa hominis.

Resp. I. Dupliciter ad hoc argumentum respondetur, 1. per se, & 2. ex hypothesi.

1. Per se, qvod sit homonymia in voce Substantiæ, qvæ juxta *Lombardum* sumitur tripliciter: 1. pro modo, ut in Categoriis;
2. Pro rei alicujus argumento;
3. Pro proprietate aut adjuncto aliqvo ipsam Substantiã concomitante; Non priori, nec secundo, sed tertio respectu peccatum potest dici substantia. Concomitatur enim intimè ipsam hominis naturam.

II. Ex Hypothesi *Flacii, & Flacianorum. Flacius* aliter dixit peccatum

esse substantiam, ac discipuli ejus : Ille hominem aliter considerauit Theologicè, aliter Physicè : Theologicè consideratum hominem dixit esse ipsum peccatum, non Physicè; *Flaciani* verò deindè omnem hunc respectum sustulerunt, & propriissimè dixerunt, hominem etiam Physicè esse ipsum peccatum.

III. Si ideò peccatum Originis est Substantia, etiam peccata Actualia erunt Substantia, qvia etiam hæc *Matth. 18. v. 8. 9.* verbis Substantialibus describuntur.

IV. Peccatum consideratur dupliciter; vel Abstractivè, & sic semper describitur ut Accidens : vel Concretivè, ut cum subjecto connotatur, sic interdum describitur verbis substantialibus, ut caro, vetus homo, &c.

V. Maxima est ratio diversitatis in simili. Sacramenta enim describuntur verbis propriis, ac propriè actionem significantibus; peccatum verò impropriè verbis Substantialibus describitur.

Argumentum II.

Q. est causa Efficiens, illud est Substantia. Peccatum Originis est causa Efficiens, operatur enim juxta Paulum. Ergò.

Resp. 1. Distingv. *inter Causam Efficientem Metaphysicam, & Ethicam.* Peccatum est causa Efficiens Ethica, non Metaphysica; reddit enim naturam vitiosam.

2. Non tantùm Causa Efficiens, sed etiam deficiens operatur.

3. Ipsa etiam scriptura hoc termino utitur, *Ps. 95. v. 8.*

QVÆSTIO SECUNDA.

An sit peccatum Originis in hominibus? Aff.

Contrà:

1. Sanctum esse, & habere peccatum sunt contradictoria. Infantes nati ex conjugio dispari, uno infideli, altero fideli, sunt sancti. *E. 1. Cor. 7. v. 14.*

Resp. I. Variè ad hoc à variis respondetur. *Osiander in glossis Marginalibus* interpretatur de sanctitate politicâ, qvâ liberi illi legitimè dicebantur nati, qvæ responsio insufficiens est : Sic enim non tantùm illi dicendi essent sancti, sed etiam omnes ethnicorum (apud qvos legitimum fuit conjugium) liberi essent dicendi sancti, qvod absurdum.

2. Alii

2. Alii interpretantur de sanctitate non inhærente, nec imputativâ, sed fœderali, qvâ liberi per Baptismum fœderi inserendi, dicebantur sancti; Nec hæc responsio consistit. Sanctitas enim illa fœderalis non potest esse antè fœdus, & prior fœdere in Baptismo ineundo.

3. Vera igitur Responsio petitur ex ipso textu Apostolico, in qvo Apostolus respicit ad ritus Mosaicos, ubi alia animalia erant sancta, qvæ nimirùm adhibebantur ad cultum, & sacrificia &c. Alia dicebantur immunda, qvæ non admittebantur ad cultum istum. Sic etiam Apostolus hîc liberos illos vocat sanctos, qvi jus habent ad Baptismum, immundos, qvi carent hoc jure. *v. 14.*

Instantia contrà ultimam responsionem: Talis hîc intelligitur sanctitas, qvalis non erat in conjugio infideli: Hæc autem sanctitas est in conjugio infideli. E.

Resp. Aut qværitur de liberis adultis, aut de liberis in infantia: Si de illis, admittuntur non prius, qvàm professi sunt fidem Christianam: Si de his qværitur, nec habent jus ad baptismum, qvia sunt sub potestate parentum, qvibus vi infantem eripere & ad baptismum rapere non licet. Qvod si verò uterqve infidelis conversus fuerit, & baptizatus, vel si saltem pater fuerit baptizatus, tunc infans etiam matre nolente est baptizandus, qvia pater est caput mulieris. Accidit casus hic qvondam Francofurti, ut Judæus baptizatus voluerit etiam filium suum baptizari, mater verò non baptizata noluit, & strenuè pugnavit contra maritum. Ibi tunc Theologi Giessenses concluserunt ex sacris, qvia vir esset caput mulieris, infantem mulieri esse eripiendum, & baptizandum.

Objectio II.

In qvibus adhuc est imago Dei, illi liberi sunt ab omni peccato. In infantibus adhuc est imago Dei, *Gen. 9. v. 6.* E.

Repr. Imago Dei dupliciter consideratur: Vel in prædicamento Qvalitatis, vel Prædicamento Relationis: In prædicamento relationis considerata habet pro formali gratiosam totius S. Trinitatis inhabitationem, & sic non est absqve sanctitate. In Prædicamento qvalitatis iterum dupliciter, vel stylo scripturæ, & secundum principaliorem respectum, & sic pro formali habet rectitudinem cum justitia

stitia connaturali in intellectu, & voluntate, & sic etiam semper est cum sanctitate & justitia, sed proh dolor fuit amissa, nec ullæ reliqviæ manserunt. Ad qvod enim renovamur, illud non habemus; Ad imaginem autem illam renovamur, *Eph. 4. 22.* nec etiam reliqviæ renovantur. Si verò majores illæ fuerunt in Ethnicis, qvàm in nobis, indè seqveretur, illos magis renovari ad imaginem Dei, ac nos, qvod absurdum; Nec etiam hoc respectu consistit in dominio illo in animalia, qvod sic probo: Imago Dei in altera vita erit. Dominium in animalia ibi non erit. Ergò.

Vel sumitur secundum minus principaliorem respectum, & stylo Ecclesiæ: & sic consistit in tribus animæ potentiis, inprimis in dominio, & in acrimonia judicii; Hâc ratione verò etiam absqve sanctitate considerari potest.

3. Ad dictum *Gen. 9. v. 6.* respondetur, qvod homo post lapsum ad imaginem Dei dicatur factus, non simpliciter, & absolutè, sed secundum qvid, scil. ratione alicujus conformitatis cum Deo qvoad intellectum, & voluntatem, & harum facultatum usum in rebus externis.

Objectio III.

Ex *Eph. 4. v. 22.* Qvodcunqve renovatur, illud non planè est abolitum. Imago in hominibus renovatur, ut patet ex dicto Apostolico. Ergò.

Resp. I. Ex collatione hujus dicti cum illo, *Col. 3. v. 10.*

II. Renovatio consideratur vel in ipso actu, & initio, vel in medio, Vel in fine. Illa, qvæ fit in ipso initio, & de novo, non per se ponit imaginem, de qva hîc Apostolus loqvitur, undè *Col. 3. v. 10.* usurpatur phrasis *induere novum hominem;* Qvæ verò fit indies, & in medio est, illa aliqvo modo ponit imaginem.

III. Distingv. igitur inter renovationis initium, & progressum: Ratione initii non præsupponit imaginem Dei, cum Apostolus versu seqventi illam statim explicet, qvod idem sit, ac de novo induere, &c. Ratione progressus, aliqvo modo conceditur.

Objectio IV.

In sacris multi sanctissimi viri dicuntur integro animo, & corde perfecto Deo obediviſſe, & ex toto corde eum dilexiſſe, &c. Ergò in illis non fuit peccatum.

Resp.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027629733/phys_0242
Mecklenburg Vorpommern

Resp. 1. Integritas alia est Politica, alia Theologica: Integri dicuntur viri illi politicè, id est, non fucati, sinceri, non hypocritæ, sed hæc integritas non caret imperfectione, non verò Theologicè.

2. Distingv. *inter totum Qvantitatis, & Qvalitatis*; intelligitur ibi totum non qvantitatis, qvod est perfectum, sed qvalitatis, id est, piè & sincerè Deum diligere.

3. *Inter actionem totalem, & partialem.* Locutiones illæ non ad actiones totales sunt trahendæ, sed ad certos qvosdam actus pios, & laudabiles, locum vide 2. *Reg.* 10. *v.* 9.

4. *Bonaventura* dicit, obediverunt Deo non in totum, sed in tantum.

Objectio V.

Ex *Ezech.* 18. *v.* 17. Filius non morietur ob delicta parentis, nec portabit iniqvitatem Patris, *v.* 20. E. nos, qvi sumus liberi Adami, non rei simus peccati, & mortis illius.

Resp. I. Ex *Rom.* 5. *v.* 12. ubi dicitur, *per primum hominem peccatum introivisse, & per peccatum mortem*, ubi nonnulli per mortem intelligunt mortem gloriæ, qvod falsum est, aliàs enim omnes infantes subjecti essent huic morti, & damnarentur; Nec etiam mors gratiæ sive spiritualis hîc intelligitur, qvæ nihil aliud est, qvàm peccatum, qvod tamen hîc à morte distingvitur. Ergò Apostolus intelligit mortem temporalem. Apud *Ezech.* verò vocabulum mortis non denotat mortem temporalem (ut qvidam falsò ex 24. *Devt. v.* 26. explicant; Talis enim intelligitur mors, qvalem per conversionem possumus effugere; Mortem autem temporalem non possumus effugere. E.) sed æternam.

II. Ad argumentum Resp. Peccatum hoc, qvo nos rei simus mortis, non esse alienum, nec privatum, sed proprium nobis, & ab Adamo in nos derivatum. Nos enim in illo peccavimus, & ille gessit personam totius generis humani.

Instantia: Scriptura nullibi ita loqvitur per præteritum.

Resp. Falsum hoc esse, patet ex *c.* 7. *Hebr. v.* 9. ubi Levi dicitur decimatus in lumbis Abrahami, & tamen longo tempore post Abrahamum vixit.

QVÆSTIO TERTIA.

An peccatum Originis sit tâm grandè peccatum, ut totum hominem intus, & extus corruperit? Aff. Contra:

Argumentum Strigelii.

Nullum accidens potest corrumpere substantiam; ex definitione accidentis, qvod circà substantiæ corruptionem potest abesse, vel adesse. Tale accidens est peccatum Originis. Ergò.

Resp. I. Qvidam ex Theologis Orthodoxis, ut *Jacobus Andreæ* p. m. rejecerunt terminos istos Logicos ex hoc loco: *Chemnitius* verò retinendos illos esse probat ex ipsa S. Scriptura, qvæ his terminis utitur, adesse, inesse, &c. ideoqve,

II. Distingv. *inter accidens Metaphysicum, Logicum, & Ethicum.* Peccatum Originis non est Accidens Metaphysicum, qvia proprietates hujus Accidentis ei non competunt, sed Logicum, qvia accidit, & adjacet homini; Et Ethicum, qvia corrumpere potest substantiam, & naturam reddere vitiosam ac malam, vel etiam bonam: Et qvamvis qvidam sint, qvi hanc distinctionem sannis, & scommatibus excipiunt, cum tamen nos habeamus S. Scripturam præviam, nec scommata illa curantes veritati insistemus. Ad *Eph. enim 2. v. 3.* dicimur *NATURA filii iræ.* Qværitur jam ex illis, an vocabulum Natura hîc sumatur Physicè, an Ethicè? Qvid respondebunt, nisi vocabulum Natura hîc Ethicè sumi.

III. Qvæ est ratio peccatorum actualium, eadem & est Originis; illa autem corrumpunt hominem. Ergò & hoc.

IV. Ut se habet Imago in positione, ita se habet peccatum in privatione: Sed imago in positione ita se habet, ut licet sit accidens, tamen perficiat hominem: ita & peccatum corrumpit hominem.

Objectio II.

Si peccatum Originis non potuit inferiores potentias corrumpere, nec etiam superiores: At prius verum; manserunt enim illæ integræ, ut locomotiva &c. Ergò.

Resp. I. Negatur Minor. Totus enim homo est corruptus, ita ut *Lutherus* rectè dixerit, peccatum jam ab homine non posse separari. Et *à plantâ pedis usq; ad verticem non est in eo sanitas*, inqvit *Esa. 1.6.* Undè sicut lepra inficit totum hominem: Ita etiam peccatum hoc.

Instan-

Instantia ad dictum *Es. 1.6*: Propheta ibi non loqvitur de peccato Originali, sed actualibus peccatis: Ergò non debet extendi ad peccatum Originale.

Resp. I. Peccata actualia peccatum Originis non excludunt, sed includunt, & præsupponunt, sicut rivuli fontem.

II. *v. 4.* manifestè fit mentio peccati Originis, vocabulo Seminis, ex *Job. 14.5.*

III. Si *Arianus Ostorodus* operosè inde probat, Mariam esse conceptam in peccatis contra Pontificios, qvod *Luc. 2.* curam non gesserit filii sui, qvidnî etiam nos inde ex peccatis actualibus argumentari possumus ad peccatum Originale?

Objectio III.

Regula est Logicorum: Accidentia agunt virtute suæ Substantiæ. Si Ergò peccatum Originis est accidens, seqvitur qvod agat virtute suæ Substantiæ, aliàs homo destrueret se ipsum, qvod falsum.

Resp. I. Canon iste valet in iis accidentibus, per qvæ Substantia tanqvam per instrumenta suas operationes exerit, qvale accidens peccatum non est.

II. Stylo scripturæ falsum non est, peccatum destruere hominem, & hominem destruere seipsum.

QVÆSTIO QVARTA.

An materiale peccati post baptismum maneat? Aff.

Contrà:

Aut omnia peccata tolluntur, aut materiale non est peccatum: At illud est falsum. Ergò & hoc, & sic materiale non remanet post baptismum.

Resp. I. Materiale, & formale, ut sunt in prædicamento qvalitatis, non tolluntur; ἀνομία enim, qvæ est formale peccati, manet, ut verò sunt in prædicamento relationis, sic formale peccati est damnatio, qvæ tollitur à materiali per baptismum: Unde

II. Sic argumentor:

Si tùm, qvando Apostolus auditores suos adhortatus est, ut fundamentum fidei è sacramentis sumerent, illis in memoriam revocavit peccatum Orginis, seqvitur, qvod & sic sacramenta & peccatum Originis simul consistere possint. vide *Hebr. 12. v. 1.*

Instantia: Ad 1. Si sunt duo formalia, sunt etiam duo materialia.

Resp.

Resp. Minimè hoc seqvitur: Una enim est forma, qvæ desumitur è prædicamento qvalitatis, licet duplices respectus habeat, in diversis tamen prædicamentis: Si enim non absurdum est, qvod unum argumentum possit varios respectus assumere, ut modo esse causam, modo Subjectum &c. qvid absurdi indè seqveretur, si peccatum pro diversitate prædicamentorum duplicem habeat respectum. E.

Nota hoc loco Canonem: *Peccatum in Singulari numero cum articulo, Apostolo Paulo solum est peccatum originale, Johanni verò etiam in Singulari numero, & cum articulo qvodvis peccatum.*

QVÆSTIO QVINTA.

An Deus sit causa peccati? Neg. Contra:

Exod. c. 10. v. 1. Deus est causa indurationis, undè proveniunt peccata; Ergò est causa peccati: Qvicqvid enim est causa causæ, est etiam causa causati. Deus est causa causæ. Ergò.

Resp. I. Qvidam orthodoxi Theologi statim ex abrupto respondent, Deum indurare, idem esse, ac permittere indurari, ex conjugatione 3. Verbi Hiphil (qvamvis multa exempla in contrarium adduci possint.) Nos non repudiantes hanc responsionem, illam ut nimis latam ita restringimus: Qvando de Deo aliqvid mali dicitur, & præcedit vocabulum *Dixit*, rectè illud de permissione intelligitur. Exemplum elegans habemus *Matth. 8. v. 32.* collat. cum *Luc. 8. v. 32.* ubi apud *Matthæum* extat: Et dixit illis, abite: Illud apud *Lucam* sic effertur; Et permisit illis, &c.

II. Induratio illa habebat in se, & qvidpiam pœnæ, qvod Deo adscribendum, & qvidpiam peccati, qvod Diabolo, & homini adscribendum: Et sic juxta *Bernhardum* duplex hîc est actus, justitiæ, & malitiæ, ille Deo, hic Diabolo & homini adscribendus. Insuper hîc nota: Tripliciter Deus peccatum permittit. (1) Ante peccatum. (2) In ipso peccandi actu. (3) Post commissum peccatum: Ante peccatum permittit prohibendo illud, (2) In ipso peccandi actu illud coërcendo. 3. Post commissum peccatum illud puniendo, & ad salutarem finem dirigendo.

III. Probationem qvod attinet, causa causæ, &c. valet in causis essentialiter subordinatis. Deus autem, & peccatum sibi essentialiter non subordinantur.

Obje-

Objectio II.

Ex *Prov. 16. v. 4. Omnia propter se, etiam impium creavit.* Ergò.

Resp. I. Distingvo *inter impium, & impietatem:* Ille à Deo, hæc à Diabolo. (2) Inter impium, ut est in prædicamento substantiæ, & ut est in prædicamento qvalitatis. Sicut etiam vocabulum carnis diversimodè sumitur, ut *Gen. 8. 17.* Deus dicitur autor carnis, & tamen ipsi, *1. Cor. 15. 50.* displicet caro.

II. *v. seqv.* Deus describitur ut justus judex, qvi impium usqve ad diem judicii sustentat. Aliud itaqve est, *Creare impium, qvà talem*, aliud verò facere impium ad diem malum, id est ordinare ad debitas pœnas.

III. Dicitur hîc, Deum creasse omnia propter se; sed peccato non indiget. *Syr. 15. 2.*

IV. Peccatum non est factum nec creatum, sed introductum. E. hîc non de peccato, sed ipso impio loqvitur.

Objectio III.

Ex *Rom. 11. 32.* Ubi Deus dicitur concluisse omnes sub peccatum: E. est Autor peccati.

Resp. Per dist. Aliud est concludere causaliter, aliud judicialiter. Deus concluisit omnes homines sub peccatum, non causaliter, sed ut justus judex, sub incredulitatis reatu concluisit, sicut etiam Scriptura, *Gal. 3. v. 21. 22.* omnia concluisit sub peccato, i. e. agit omnes homines reos peccati.

Objectio IV.

Ex *Rom. 11. v. 36. Act. 17. 25.* ubi dicitur, omnia esse à Deo. E.

Resp. illa omnia intelligit Apostolus, qvæ notat, *Col. 1. v. 16. 17.* inter qvæ peccatum non annumeratur. E.

Objectio V.

Deus dicitur à Theologis peccata peccatis punire. E. est causa peccati.

Resp. I. Regula illa non ad omnia peccata referri potest: Non enim ad principaliorem partem peccati referri debet, lapsum nimirum Adæ, qvem nullum peccatum antecessit.

II. In pœnis illis est qvid Positivum, idqve à Deo, subtrahens illis suam gratiam; & qvid privativum, qvod à Diabolo.

III. Deus peccata peccatis punit, non causaliter, sed judicialiter.

IV. In peccato duæ sunt causæ attendendæ: 1. Propter qvam homines puniuntur; 2. Per qvam: Causa propter qvam non est voluntas divina absoluta, sed hominum peccata: Causa per qvam, est Deus.

Objectio VI.

Deus est causa venditionis Josephi, *Gen. 45. v. 8. 9. 19. 20. 50.* illa autem est peccatum. E.

Resp. Venditio tribuitur Deo ratione finis, non verò ratione ipsius causæ efficientis. Deus itaqve illam dirigebat ad bonum finem.

Objectio VII.

Redemptio generis humani fieri non potuit absq; morte Christi. E.

Cùm Deus hanc prædixit, seqvitur, qvod etiam Judæorum peccati Autor sit, aliter enim fieri non poterat.

Resp. I. Qvasi Christus aliter mori non potuisset, nisi Judæi ipsum crucifixissent!

II. Christus dolores sensit infernales, qvi omnium erant maximi, & hos non sensit à Judæis, sed ab ipso Diabolo, & peccatis nostris.

III. Prædictio divina dependet à prævisione divina; ideò enim prædixit Deus, qvia præcognovit aliter futurum non esse.

IV. Nota hîc, Deum qvatuor modis concurrere circà malas actiones: 1. Aliqvando enim illas mutat, & bonas efficit, inqve bonum finem dirigit. 2. Aliqvando mutat, sed non bonas efficit, malas enim relinqvit. 3. Aliqvando nec mutat, nec bonas efficit, sed tantùm frænat, & metas ponit, qvousqve sit progrediendum. 4. Aliqvando nec mutat, nec bonas efficit, nec frænat, sed sinit malas fieri, & permanere.

LOCUS V. DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO.

QVÆSTIO PRIMA.

An homo in rebus spiritualibus habeat Liberum Arbitrium; sive an homo non renatus ad sui conversionem propriis naturæ viribus se applicare possit?

N. hac

Neg. hac cum distinctione:

Homo habet Liberum Arbitrium in primo, & secundo momento, non in tertio & qvarto: Qvod sic explico: *In primo momento* liberum arbitrium denotat ipsam animam rationalem, cum facultatibus intelligendi, & volendi. Sic dicta qvædam *Augustini*, *& Ambrosii*, qvæ Pontificii magno numero contrà nos cumulant, sunt explicanda. *In secundo momento* non denotat potentiam, ut falsò opinatur *Bellarminus*, sed reverà actum, ita, ut homo qvæ agit, liberè, & non coactè agat, & sic dicta qvædam *Bernhardi*, *& Damasceni* sunt explicanda.

In tertio, *& qvarto* momento non qværitur de libero arbitrio in qvid, ut in primo momento, nec in qvale, ut in secundo, sed ut in hoc, & certo definito objecto, i. e. in rebus Spiritualibus, & sic hominem non renatum liberum habere arbitrium negamus.

Argumenta Contraria.

I. *Devt. 30. v. 11.* ubi facultas mandata Dei implendi homini adscribitur. E.

II. Ex *Jos. 24. v. 15.* ubi optio datur populo serviendi, vel Deo Deo, vel Diis alienis. E. etiam facultas.

III. Ex fine mandatorum Dei, qvæ darentur frustrà, si nulla in homine esset δύναμις liberi Arbitrii.

Resp. I. Generalis: Pleraqve dicta allegata fallunt mutatione Statûs. Testimonia enim qvæ nobis Pontificii objiciunt, qvæ aliqvam δύναμιν homini adscribere videntur, vel agunt de rebus externis, vel de renatis, de qvibus nobis non est qvæstio.

II. In Specie ad 1. ex *Devt. 30. v. 11.* non agit illud de implendi facultate, sed notitiæ facilitate. 2. Paulus *Rom. 10. v. 8.* illud accommodat ad doctrinam Evangelii, unde sic argumentor: Talis responsio dicti istius est danda, qvæ competit doctrinæ Evangelicæ, & qvam ipse Apostolus nobis monstrat. Ille autem *Rom. 10.* de notitiæ facilitate illud explicat. E.

III. Ad secundum dictum *Jos. 24. v. 15.* Resp. non agi ibi de cultûs ratione, sed cultûs confessione.

IV. Ad tertium: 1. ex *Brentio*: Si ex verbis mandati aliqvid libero hominum arbitrio sit adscribendum, tunc seqvitur etiam, ut Laza-

ro *Joh. 11.* vim propriam resurgendi adscribamus. 2. Verba illa mandati sunt organa conversionis hominum, ideoqve ipsæ etiam monitiones liberum arbitrium potius destruunt, qvàm probant.

Objectio II.

Deus reprehendit sæpè in sacris illos, qvi sibi noluerunt obtemperare ut *Matth. 23. v. 13. & 33. seqq.* E. potuerunt hoc viribus propriis facere.

Resp. Dicta illa agunt de rejectione mediorum, qvæ Judæi suscipere non voluerunt, qvod probatur ex ipsis dictis Pontificiorum, qvæ contrà nos allegant. Hîc nota: Ubi vox congregandi usurpatur, ibi sumitur aut pro congregatione gratiæ, qvæ fit ad Ecclesiam, qvando qvis gremio Ecclesiæ inseritur, idqve freqventer apud *Esaiam, & Jeremiam*; aut pro congregatione, qvæ fit ad gloriam, ut apud *Ezech. 28. 25. C. 30. 13. C. 36. 14. & Apoc. C. 19. v. 17.* Apud *Matthæum* verò in primâ significatione sumitur, ubi nolle, qvantum externam Pædagogiam, & locomotivam attinet, Judæis adscribitur.

Objectio III.

Ex historia Cornelii *Act. 10.* cui liberum arbitrium antè conversionem *v. 33.* adscribitur. E.

Resp. 1. Postillatores communiter Cornelium antè concionem Petri fuisse renatum negant, sed demùm per illam fuisse conversum, de Eleemosynis verò & precationibus dicunt, illarum studium etiam Nebucadnezari *Dan. 4. 27.* adscribi, nec tamen illum fuisse renatum. Nos verò Cornelium etiam antè Concionem Petri fuisse conversum probamus non tàm ex vocibus illis, *Eleemosynis, & precationibus*, (qvæ etiam Nebucadnezari *Dan. 4. 27.* tribuuntur, illumqve fuisse renatum probari potest ex fine capitis tertii) qvàm ex verbis, qvæ habentur v. 2. *religiosus, & timens Deum*, qvæ semper in Scriptura S. renatis solùm attribuuntur. Si institutionem Petri objicias, respondemus 2. ex *Lutheri verbis in Comm.* super hunc locum: Duo adhuc in Cornelio, de qvo dubitavit, fuerunt, de Messiæ personâ, & tempore: Credit tamen in Messiam venturum; illud petit ex Petro, qvod ex Concione ejus patet.

Objectio IV.

Si non Renati possint implere legem, tunc habent etiam aliqvid virium liberi arbitrii. At prius patet ex *Rom: 2. 14.* E.

Resp.

Resp. Dictum illud non de totali, sed aliqvali saltem legis obedientiâ, & externâ morum honestate loqvitur.

Instantia ex simili phrasi, qvæ extat *1. Cor. 2. 14. Animalis homo non percipit ea, qvæ sunt spiritus Dei.* Ubi ea, qvæ sunt Spiritus non de aliqvali, sed totali cognitione agunt, ita & hîc.

Resp. I. Paulum non de omnibus legis operibus, sed qvibusdam à lege reqvisitis loqvi, probamus duobus argumentis,

I. Qvia altera explicatio evertit scopum primarium totius dissertationis Paulinæ: Hoc enim demonstrare sibi proposuerat, gentes non habere, qvod justitiam qværant, illamqve sibi adscribant: Qvod si verò Apostolus hoc innuere voluit, contrà proprium suum thema differit, qvod non est Apostolicum.

II. Ex græco Textu annotavit *Lutherus*, τὰ τῆς νόμε non de totali, sed aliqvali, & externâ obdientiâ esse explicanda.

III. Ad dictum *1. Cor. 2.* Resp. rationem diversitatis hujus, & illius dicti in eo consistere: Qvia qvicqvid est Deus, & de Deo dicitur, non habet partem extrà partem, & sic *1. Cor. 2.* Paulus his verbis simplicitatem Dei describit: Hîc verò de legis impletione longè alia ratio est, qvod patet ex concione Christi, *Matth. 5. 6.*

Objectio V.

Si notitiæ naturales Ethnicis ideò sunt inditæ, ut 1. Deum qværant, 2. qvæsitum glorificent, & 3. ut sint inexcusabiles, seqvitur, illos aliqvid habere liberi arbitrii.

Resp. I Qvæsitio aliqva est ita comparata, ut ipsa in se considerata, licet sit strenua, nunqvam vel rarò ad fructus istius qvæsitionis perveniat; Talis ergo illis adscribi potest, de qvâ etiam loqvitur Apostolus. *2. Tim. 3. v. 7.*

2. Si pressius velimus loqvi, & ad ipsa media descendere, tunc argumentum nihil concludit; Agit enim de actionibus Ecclesiasticis externis, qvæstio est de internis.

Ad secundum distingv. inter finem proximum, qvi est gloria Dei, & media tendentia ad finem.

Ad tertium: Variè à variis explicatur illud, qvomodo nimirum Apostolus gentes dicat inexcusabiles; Nobis ea placet sententia, qvam ipse textus præbet: accusat autem *v. 1. seq.* facinora horren-

da Ethnicorum, & dicit, notitias naturales ideò illis fuisse datas, ut ejusmodi facinora declinent, & propterea sint inexcusabiles, si illa perpetrarint. Hic verus sensus est, qvi immediatè ex textu fluit: Si qvis de qvæsitione mediorum, qvæ Hierusalem ostendebantur, qvæ in medio sita erat, intelligat, sensus ille per bonam consequentiam indè deduci potest.

Objectio VI.

Si solus Deus convertit homines absqve voluntate cooperante, sequitur aut Deum omnes homines convertere, qvia omnibus suam gratiam offert, & confert, aut apud Deum esse respectum personarum, qvod non omnes convertat. Utrumqve falsum.

Resp. Multi in hoc argumento solvendo laborarunt, multiqve tandem eò deducti sunt, ut voluntatem cooperatricem Spiritus S. nominare ausi sunt, & sic tres causas conversionis hominis statuerunt.

Nicol. Gallus in frontispicio, anteqvam ad solutionem hujus argumenti descendit, præmittit argumentum elegans, & eruditum, qvod tale est: Nostra conversio in sacris per creationem, & generationem describitur: Ut se igitur habet creatio, & generatio propriè, & in protasi, ita etiam impropriè, & in apodosi: In creatione & generatione autem qvi creatus, & generatus est, nihil confert ad sui creationem, & generationem, sed omne id creatori, & generanti adscribitur: Ita etiam in conversione homo nihil confert ad sui conversionem, sed habet se merè passivè: Et voluntas hominis est causa qvidem materialis (ut orthodoxi qvidam illam nominârunt) sed non ex qva, sed in qva.

II. Ad argumentum autem respondetur per distinctionem *inter ipsius rei ἄρσιν, & θέσιν*: Homo in tollendo satis multa potest efficere, sed non in ponendo: Vel ut Scholastici distingvunt: Negotium conversionis consideratur vel positivè vel privativè; positivè consideratum, sic non potest homo cooperari, sed privativè potest obicem ponere Spiritui S. Applicentur hæc ad argumentum, & solutio erit facilis.

Objectio VII.

Homo potest aperire cor, ut Christus intret, *Apoc. 3. v. 20.* & præparare cor suum, *Prov. 1. v. 23.*

Resp.

Resp. I. Ex literali sensu solummodo argumenta desumuntur apodictica, inqvit ipse *Bellarminus*. Textus autem est allegoricus, de qvo ipsi Pontificii inter se certant. Ergò.

2. Per januam intelligitur verbum & Sacramenta, per qvæ Deus ad nos ingreditur: Sed aperire januam, de externis mediis, scil. frequentare templum, audire verbum &c. explicatur. Si igitur homo non morosè repugnat, tunc Christus intrat.

Objectio IIX.

Homo audit verbum, qvod habet ex libero arbitrio, auditus autem iste est causa conversionis. Ergò homo est causa conversionis.

Resp. *Lutherus* respondere solitus est *qværendo*, undenam homo habeat auditum? Responsum illi fuit, à Deo, & sic, inqvit, etiam auditus non ex homine. Nos respondemus, qvod auditus verbi *causetur conversionem*, non ex natura, sed ex gratia Spiritus S. cui illud est adscribendum, *1. Cor. 2.14.*

Objectio IX.

Gal. 3. v. 4. Homo debet ex auditu fidei accipere Spiritum Sanctum. Ergò non ex auditu verbi.

Resp. Auditus fidei apud Paulum denotat Evangelium, ut patet ex antithesi, & *Rom. 10. 17.*

Objectio X.

Qvi sunt vasa iræ, & possunt seipsos expurgare, illi adhuc aliqvid habent liberi arbitrii. Homines non renati sunt vasa iræ, & possunt seipsos expurgare, *2 Tim. 2. 21.* Ergò.

Resp. Expurgare ibi idem est, qvod abstinere à vita malè hactenus acta, & à corruptelis mundi. Sic enim explicatur, *Ezech. 36. v. 35.*

QVÆSTIO SECUNDA.

An imaginis divinæ pars sit liberum arbitrium?

Resp. Liberum arbitrium est pars imaginis divinæ secundum principaliorem respectum in rebus divinis, & sic est amissum; secundum minus principaliorem in rebus externis, & sic non est amissum.

QVÆ-

QVÆSTIO TERTIA.

An liberum Arbitrium etiam sit actus intellectûs? Aff.

Objectio I.

Si liberum arbitrium est etiam actus intellectûs, seqvitur, homines non renatos etiam liberum habere arbitrium, si non in totum, tamen ex parte. Ratio est, qvia illis in sacris notitia Dei (ut *Rom. 1. v. 21.*) & justitia Dei *v. 32.* eodem modo adscribitur. E.

Resp. I. Distingv. *inter notitiam Dei generalem, & salvificam*; Sive *inter notitiam Dei Creatoris, & Dei redemtoris*: illam homines non renati ex operibus Dei haurire possunt, hanc non item, & de hâc est qvæstio, non verò de illâ.

II. Distingv. *inter justitiam Dei Legalem, & Evangelicam*: illam homines non renati noviſſe dicuntur, *Rom. 1. v. 32.* hanc verò *C. 10. Rom. v. 2.* ignoraſſe.

Instantia Qvomodo Judæi, de qvibus Apostolus hoc loco agit, justitiam Dei ignoraſſe dici possunt, cùm tot concionibus Apostolicis fuerant instituti?

Resp. I. ignoraſſe dicuntur hanc justitiam ignorantiâ affectatâ.

II. Ignoraſſe dicuntur, qvatenus ignorare in sacris sæpè significat idem, qvod non considerare, non perpendere, id qvod perpetrant. Sicut etiam *Act. 3. 17.* sumitur.

LOCUS VI. DE JUSTIFICATIONE HOMINIS CORAM DEO.

QVÆSTIO PRIMA.

An homo solâ justitia imputativâ coram DEO justificetur? Aff. Contrà:

Qvæ est ratio injustitiæ, eadem est ratio justitiæ; qvod patet ex *C. 5. Rom. v. 18. 19.* at illa est in nobis. E. & hæc.

Resp. I. Solutio hujus Argumenti tota consistit in explicatione dicti Paulini, ideoqve 1. ipsius scopus hîc est attendendus, qvi hic est:

Confert Apostolus inobedientiam primi Adami cum obedientia secundi Adami, *qvantum ad latitudinem attinet, non verò qvoad communicationem. De latitudine autem* utriusqve *& injustitiæ, & justitiæ* (de qva agit Apostolus, *v. 18. & 19.*) ad ejusdem *attributionem non V. Consequentia.* De applicatione autem agit à *v. 1. usq; ad 12. à v. 12. usq; ad finem de latitudine.*

II. Apostolum loqvi de justitia, non infusa, sed imputativa, probatur ex græcis vocabulis, qvod etiam annotavit *Abdias Prætorius*: δικαίωμα enim (qvo vocabulo Paulus utitur) non significat ullibi in Scriptura justitiam infusam, sed semper imputativam; Sicut contra δικαιοσύνη de infusa, & operibus bonis sæpius reperitur.

III. Nec etiam in schola ipsorum Pontificiorum hoc argumentum recto stat talo; propriis enim ipsorum contradicit Hypothesibus. De peccato enim Originis non sic loqvuntur, qvasi id in filios propagetur per generationem, sed, (qvod colligere licet) solâ imitatione; undè talis emergit similitudo: Sic ut peccatũ ab Adamo in posteros propagatur, nõn per infusionem, sed solâ imitatione: ita etiam justitia Christi in nobis propagatur, non effusione qvalitatum, sed imitatione, qvod absurdum, & propriis ipsorum hypothesibus contrarium.

Objectio II.

Si fides est necessaria ad justificationem, etiam omnes fidei partes erunt necessariæ, ut sunt notitia omnium articulorum fidei, & assensus. At prius verum. E. Notitiam verò etiam reqviri ad salutem, probari potest ex verbis Christi, *Joh. 17. 3: Hæc est vita æterna, &c.* & *Esa: 53. 11. Inscientia sui, &c.*

Resp. I. Notitia & assensus pertinent ad fidem, ut sunt in Prædicamento Qvalitatis, non verò ut in relationis, de qvo est qvæstio.

II. Nec hoc argumentum in Schola Pontificiorum subsistit, Cum illi fidem non per notitiam, sed per ignorantiam definiant, ut est apud *Bellarminum.*

III. Fides consideratur dupliciter: Vel in toto suo complexo, & sic includit notitiam, &c. vel respectu objecti certi, sic includit solam fiduciam amplectentem meritum Christi, de qva hîc solùm controvertitur.

IV. *Lutherus* ex Paulo observavit, qvod is cum dicit *Rom. 3. v. 22.*

Justitia verò Dei per fidem Jesu Christi; tunc Paulum per fidem Christi indicare fiduciam collocatam in solo ipsius merito, *v. 25.* qvando verò alibi fidem ex lege nominat, tunc denotare notitiam totius Sacræ Scripturæ.

V. *Brentius* annotavit ex *c. 2. Gal.* Paulum ibi uti pronominibus *nostris, prò nostris peccatis*, qvibus intelligat specialem fidem, non ut est mortua, sed fiducia in Christum.

VI. Ad dictum *Joh. 17.* R. ita, illud esse intelligendum, sicut primaria sedes nobis illud præbet intelligendum. Illa autem ex *Es. 53. v. 11. Notitiâ sui justificabit multos*: Ubi regula Theologorum notanda: *Verba notitiæ designant affectum in corde certamq; fiduciam*, qvod patet ex *c. 1. Es. v. 3. Exod. 1. v. 8.*

VII. Fiducia alia est, qvæ consideratur in *Epist. Heb. c. 11.* (qvæ non est qvalitas, sed relativè sumenda) & alia, cujus meminit, *c. 3. v. 6.* qvæ ex fiducia fidei proficiscitur, idqve non est absurdum, cum ipse Apostolus duplicem consideret spem, *c. 11. & c. 3.*

Objectio III.

Si absolutâ & solâ misericordiâ salvamur, non opus erit satisfactione Christi: At prius *Rom. 9. v. 11.* E.

Resp. 1. Solâ qvidem misericordiâ salvamur, sed non absolutâ, sicut etiam solâ fide & tamen non absolutâ.

II. Toties apud Mosen, & Psalmographum reperiuntur vocabula, *Miserationes tuæ*, *LXX. Interpretes* illa explicarunt per justitiam, qvibus admirandum illud temperamentum justitiæ, & misericordiæ indicârunt. Et *Rom. 1. v. 17. Lutherus* vocabulum justitiæ interpretatus est per misericordiam justitiæ.

Objectio IV.

Fides non potest esse sine operibus: E. non justificat sine operibus.

Resp. I. Neg. Conf. Conjunctorum enim non est eadem ratio: Sic sol non est absqve lumine, nec est absq; radiis & calore, nec tamen calore illuminat, nec lumine calefacit.

II Si arctissimâ unione illa essentiali, qvæ est inter Patrem & filium, non seqvitur, E. etiam Pater est incarnatus, qvid in illa unione fidei cum operibus hoc seqveretur?

Instan-

Instantia: Si in unione humanæ, & divinæ naturæ tota persona agit in apotelesmatibus, etiam fides cum operibus justificat.

Resp. N.C. Ratio diversitatis in eo consistit; Qvod in illis officiis utraqve natura operatur, id fit tùm ratione personæ, tum officii, qvod talem personam reqvirebat, qvod de fide dici neqvit:

Objectio V.

Dilectio est causa remissionis peccatorum, ut constat ex verbis Christi, *Luc. 7. 47. remissa sunt ei peccata multa, qvia dilexit multum.* E. non solâ fide.

Resp. Dupliciter hoc argumentum à Theologis solvitur.

I. *Jacobus Andreæ* p. m. negavit in Concilio Badensi, propriè hîc agi de remissione peccatorum, sive justificatione hominis; probavit hoc argumento firmissimo, qvod tale erat: Remissio peccatorum sive justificatio hominis ita comparata est, ut non recipiat magis & minus. Hæc autem remissio recipit magis & minus, qvod patet ex veribis Christi. E.

II. Alii particulam illam dixerunt non esse causalem, sed ex effectis Christum argumentari ad causam, hoc modo, *ideò dilexit, qvia remissa, &c.* sicut dicere solemus; sol ortus est, qvia dies est.

Instantia: Regerit *Bellarminus* duo: 1. Nec Philosophicè hoc esse verum, nec Theologicè ullum posse dari exemplum ex Scripturis.

Resp. Philosophicè esse verum, probatur ex *1. Eth. Aristotelis.*

II. Exemplum Theologicum dari posse, probamus hoc modo: Qvæ ratio est hujus particulæ in foro damnatorio, eadem etiam est in foro absolutorio: In illo autem Scriptura S. particulas illas non causaliter sumit, sed ex effectu causam colligit, ut patet ex *c. 10. Rom. v. 5.* E.

Objectio VI.

Bona opera præferuntur fidei *1. Cor. 13. v. ult* Charitas est bonum opus, E. præfertur fidei, & per consequens magis justificat, qvam fides.

Resp. I. Etiam hoc argumentum propriis ipsorum repugnat hypothesibus. Qvamvis enim veteres Pontificii justitiam solis operibus adscribendam esse censuerint, recentiores tamen cautiores facti,

non in totum illud docent. *Bellarminus* enim multis argumentis docet, fidem justificantem præcipuè salvare, & justificare hominem, modo etiam bona opera in consortium illius admittantur, id qvod etiam docet *Formula Interimistica*.

II. Paulum autem in loco allegato loqvi de fide miraculosa, patet ex *v.* 2. & Scopo Apostoli, qvi est, ut deprimeret jactantiam Corinthiorum, qvi gloriabantur de fide hac, & Simoniam exercebant, contra qvos Apostolus hoc loco scribit.

III. Major est charitas fide, tùm in hac vita ratione latitudinis, diffundit enim sese etiam ad alios: Fides enim ad solum possessorem pertinet: tùm in altera vita ratione durationis, & consummationis.

Objectio VII.

Sacra Scriptura operibus hominum hinc indè in multis locis justitiam adscribit, ut præcipuè *Dan. 4. v. 24. Redime &c. Jac. 2. v. 14. 17. &c.* E.

Resp. I. Qvomodo in certas classes illa dicta retulerit *Flacius*, & solverit, vide in *libro ipsius de fide justificante*.

II. Argumenta apodictica ex ordinaria sede cujusvis articuli Fidei sunt desumenda, & tunc, si qvæ alia afferuntur, illa omnia juxta hanc sedem sunt examinanda. Jam autem ordinaria sedes hujus articuli est in *Epistola ad Romanos*, & *ad Galat. ac ad Ephes.* juxta has Epistolas, & loca, reliqva dicta sunt explicanda, & examinanda.

III. Ad dictum *Dan. 4.* Resp. qvod nonnulli illud interpretentur de justificatione, qvæ fit coram hominibus: Sed non subsistere posse hanc rationem probamus indè, Qvia, ut *Tremellius*, & *Junius* verterunt ex Sermone, & lingva Chaldaica (qvâ hoc dictum est scriptum) non est interpretandum per *redime*, sed *abrumpe*, & tunc iste sensus emergit: *abrumpe peccata tua Eleemosynis, & desiste à vita perversa*, id est, corrige vitam tuam, fac bona opera. Hic verus est sensus hujus dicti.

IV. Ad dictum *Jac.* Resp. 1. qvod ipse Jacobus justificationem fidei adscribat, vide supra in *Loc. 1. qvæst. 6.* 2. Resp. ex Canone Theologico: *Res tunc dicitur facta, qvando hominibus innotescit.* sic scriptura apud *Jac. 2. v. 23.* tunc dicebatur impleta: (Abraham credidit) qvando ipsius fides illis innotuit.

V. *Jacobus Andreæ in colloqvio Badensi* qvæsitus *à Mörlino*, qvare non approbet phrasin istam, *justificamur propter fidem*: Resp. Se in totum non rejicere hanc phrasin, sed distingvere *inter fidem, & qvid fidei*: justifica-

ficamur propter fidem (qvæ est phrasis Apostoli, qvi dicit, propter fidei justitiam nos justificari) sed non propter qvid fidei, tanqvam meritum. Errat ergo *Arminius*, qvando nos propter fidem simpliciter dicit salvari.

Objectio VIII.

Ea est ratio justitiæ, qvæ injustitiæ; Hæc autem homini est interna; Ergo, & illa interna, & homini inhæret.

Resp. I. Propositio non est intelligenda indefinitè, aliàs enim justitia Christi nobis infunderetur: sed secundum circumscriptionem Apostolicam.

II Justitia illa dicitur interna, non qvasi sit infusa, sed qvia fides internè ex corde, verè, & realiter illam apprehendit.

III. Propriis etiam contradicit Pontificiorum hypothesibus, qvod sic probo: illi contra nos probaturi justitiam primi Adami fuisse externam, & non connaturalem, adducunt testimonium ex *Ecclesiastico c. 17. v. 23.* ubi dicitur, qvod Deus hominem vestiverit Sapientia; undè sic argumentor:

Si justitia primi Adami ideò est externa, & non connaturalis, qvia describitur simili externo à veste desumpta, etiam justitia Christi erit externa, qvia & illa *Matth. 22. v. 12.* per vestem describitur, & apud *Esaiam 61. v. 19.* qvi indumentum appellat; qvod absurdum. *Instantia*: Bellarminus simili desumpto ab Æthiope, qvi indutus vestimentis albis, non tamen dicitur albus ob externam illam albedinem, sed niger ob internam nigredinem.

Resp. N. C. ratio diversitatis in eo consistit, qvia Æthiopi albedo vel nigredo illa non imputatur, sicut justitia hominibus.

II. Similibus est utendum, qvibus S. Scriptura utitur; illa autem utitur simili à debitore, & creditore desumpto. Sicut enim debitor tam diu creditori est obligatus, qvamdiu non persolvit debitum, & sicut, cum debitor non est solvendo, & alius pro illo solvit, tunc hæc alterius solutio illi imputatur, & non amplius est debitor.

Objectio IX.

Sicut magnificare est aliqvem magnum facere, & Sanctificare alicui sanctitatem infundere, ita etiam justificare.

Resp. I. In loco justificationis non ex lingva latina est judicandum,

sed ex fonte Hebræo vel Græco. Ex hoc, si unum dictum afferre potuerint (qvod sæpius ab illis est petitum) qvo probent, justificationem non sumi forensi modo, sed infusivè, dabimus palmam, qvod hactenus facere non potuerunt.

II. Magnifacere Deum, non est Deum majorem facere, qvod absurdum, & sic in aliis: Sanctificetur nomen tuum, petimus, non qvod ipsius nomen sanctius fiat, &c.

Objectio X.

Canon est Theologorum: In tertia conjugatione verba transitivè significant: Jam autem multa verba in hoc negotio in tertia Conjugatione usurpantur. E. illa transitum significant.

Resp. Transitus ille non saltem est per infusionem, sed etiam qvaliscunqve ille sit vel fiat, sive per imputationem, sive communicationem, sive participationem realem, vel verbalem, &c.

Objecto XI.

Justificatio 1. *Cor. 6. v. 11.* describitur per infusionem gratiæ, qvod patet ex eo, qvia 1. postponitur sanctificationi, & ablutioni, 2. qvia verba illa denotant sanctitatem infusam. E.

Resp. I. Paulus ipse hoc loco gratuitam justificationem hominis demonstrat, qvod patet & loco consimili *Rom. 6. v. 23.* Describit enim verbo *abluendi* Baptismum, vocabulo verò *sanctificandi, justificandi*, efficaciam Baptismi, sicut etiam *Tit. 3. 5.* nominat *lavacrum regenerationis, &c.*

II. Nec rationem primam procedere, patet ex illo, qvia etiam *Tit. 3. v. 5.* justificatio post regenerationem, & renovationem ponitur. Et res dicitur esse prior, qvando prior nobis innotescit: Sic regeneratio est prior, qvia prior nobis innotescit, & sic in gradatione illa Apostolica justificatio postponitur, *Rom. 8. 29. 30.*

Objectio XII.

Apocal. 22. v. 11. Qvi justus est justificetur adhuc. E. homo justitiâ infusa qvotidiè magis justificatur.

Resp. Hoc argumentum non ferit scopum. Qvod si enim tam liberales essemus, ut concederemus vocabulum *justificare* hîc ita sumi, non tamen hoc aliqvid probabit, cum non qværatur, an alicubi vocabulum illud ita sumatur, sed an in ordinaria sua sede?

II. Vera

II. Vera autem solutio hujus dicti in hoc consistit: Sicut apud veteres pœnitentia alia erat stantium, id est, renatorum, alia lapsorum, id est, non renatorum, ut *Bonaventura* loqvitur; Ita justificatio est alia in stantibus, id est, hominibus renatis, alia in lapsis, id est non renatis: de priori justificatione stantium *Johannes* loqvitur, & est hoc qvasi descriptio petitionis qvintæ, qvando Christus mandat, ut cum justus etiam 77. cadat in die, qvotidiè oret pro remissione peccatorum. Sic *Johan.* jubet, ut justificemur singulis diebus orantes, ut Dominus peccata nobis condonare velit.

Objectio XIII.

Ex *Rom. 2. v. 6, 7. &c.* Ibi expressè Apostolus bonis operibus adscribit justificationem.

Resp. I. Hoc esset manifestè contra scopum Apostoli. Hic enim disputaturus contra Judæos sua opera bona legis jactitantes, ex agro justificationis proscribit bona opera, dum nos solâ fide scribit sæpissime justificari.

II. Dico, Apostolum hîc non adscribere bonis operibus justificationem, cum non dicat, nos judicandos fore propter opera, sed juxta opera, nimirum qvatenus sunt indicia viva & testimonia certæ veræ, & vivæ, non mortuæ fidei.

III. Apostolus igitur his verbis personam hominis justificati, & salvandi describit, qvalis nimirum illa sit futura, nimirum perseverans &c. Nihil igitur ad rem.

Objectio XIV.

Particula *sola* in sacris non reperitur; falsarius enim Lutherus est, qvi *Rom. 3. 28.* addidit illam, qvæ in Græco & Latino textu non extat.

Resp. I. Qvamvis qvoad literas & syllabas non habeatur, tamen qvoad sensum, qvod probo hoc argumento firmissimo: Si Scriptura S. in fidei justificatione, illa ab hoc Articulo sejungit, qvæ Adversarii per rejectionem hujus verbuli (*Sola*) volunt subintelligenda, & conjungenda esse, seqvitur, qvod illa particula exclusiva uti possimus. At prius facit Scriptura S. Si enim qværas ex Jesuita, qvare hanc propositionem (sola fide justificamur) non admittat, respondebit, qvia excluduntur bona opera. Jam Scriptura expressè illa excludit. E.

II. De

II. De *Versione Lutheri* qvid sit sentiendum, indicabimus breviter: 1. *Lutherus* secutus est Ipsum Salvatorem (vide *Matth. 4. v. 10.*) qvi particulam solam addidit, qvæ in Hebræis *Devt. 6. 13. & Cap. 10. 20.* non habetur. 2. Ipsum Apostolum *Gal. 2. v. 16.* ubi ille inqvit, ἐὰν μὴ, id est, *nisi*, qvod Germanicè aliter reddi neqvit, qvàm allein. Similis locus est *Apoc. 9. v. 4. Marc. 13. v. 32.*

III. In ipsis editionibus Papisticis, & longè ante Lutherum, ut & in Syriaca editione, particulam hanc haberi memorat *D. Menzerus Art. 4. de Justific. in August. Conf. p. 144.*

IIII. Qvare distingv. *inter additionem*, & *interpretationem*: Lutherus nihil addidit, sed Germanicè interpretatus est, ubi aliter verti non potest.

QVÆSTIO SECUNDA.

An satisfactio Christi sit perfecta? Aff. Contra:

Si Christus pro nobis sufficienter satisfecit, tunc sustinuit etiam mortem æternam: At hoc absurdum. E.

Resp. I. Ex *Ps. 18. v. 5. 6. & Ps. 22. v. 1.* Christum sustinuisse qvidem mortem æternam, id est, dolores inferni. Qvanqvam autem *illi dolores* fuêre temporales *ratione durationis*, fuere tamen *Sufficientes*, ac si in æternum durassent: Atqve id factum est ratione personæ, & ejusdem dignitatis; persona enim illa non erat nudus homo, sed θεάνθρωπος.

II. Mortem æternam, vel pœnas æternas Christus sustinuit, non tamen æternitatem pœnarum. Nam æternum dici potest vel potentialiter, & per se, vel actu, & per Accidens. Potentiâ, & per se omnis mors est æterna, sive prima sit, sive secunda, sive Corporis sit, sive animæ, qvia perpetuò duraret, nisi aliud qvid æternitatem hanc impedirit. Actu verò, & per Accidens mors qvædam non fit æterna. Christus ergò pro nobis subiit mortem æternam, non qvidem actu in æternum duraturam, potentiâ tamen, & per se æternam, hoc est, in æternum durabilem, nunc tamen ob interveniens ipsius meritum ex Accidenti temporariam.

III. Si urgeat Photinianus, & dicat, nullam esse proportionem inter peccatum, & obedientiam Christi temporalem, qværo ex illo: Qvalis sit proportio inter unum peccatũ, & æternam damnationem, & qva-

& qvare propter illud unum peccatum homo, nisi resipiscat, æternæ damnationi subjiciatur. Nulla alia potest dari ratio, qvam qvia illud sit commissum in infinitum Deum: hinc inferimus, qvare igitur non sit etiam proportio inter peccatum hominum, & obedientiam Christi, inter pretium, & meritum ipsius; cum non persona finita sit passa, sed infinita?

Objectio II.

Si Christus satisfaciendo pro nobis omnia sustinuit peccata, & omnes pœnas peccati, sequitur Christum nos liberasse à morte corporali.

Resp. I. Christus nos liberavit ab omni debito. E. etiam ab ipsa pœna: Si enim liberavit nos ab eo, qvod est majus, etiam ab eo, qvod est minus, nimirum pœna.

II. Mors, & omnis generis afflictiones duplicem habent respectum pro ratione duplicis Subjecti: impiis sunt pœna, piis sunt exercitationes, castigationes, non pœna.

III. Liberavit igitur illos à morte omnes, qvia alias non essent resurrecturi, sed in morte mansuri: Subeunt autem mortem propter reliqvias peccati.

Objectio III.

Christus pro omnibus hominibus satisfecit, & omnes homines liberavit à pœna illa, & sic etiam impiis non est pœna.

Resp. Distingv. *inter meriti acqvisitionem, & applicationem.* Etiam impiis acqvisivit, ut mors illis non esset pœna; sed verâ fide hoc sibi non applicant.

Objectio IV.

Si id fit merito Christi, qvod pii resurgunt, etiam qvod impii resurgunt, fit merito Christi. At prius est verum. E.

R. I. Negatur Connexio Antecedentis. Impii enim non resurgent vi merti Christi (qvia qvi vi meriti Christi resurgunt, ad vitam & salutem resurgunt) sed propter immutabile Dei decretum, qvo statutum est homini, semel mori, *Hebr. 9. 27.*

II. Distingv. *inter id, qvod est officii Christi mediatoris: & inter id, qvod est officii Judicialis:* Christus impios excitabit, ut judex ad mortem, non ut mediator.

Q. An Impii vi meriti Christi resurgant?

QVÆSTIO TERTIA.

An sola Dei misericordia sine respectu meriti Christi salvemur? Neg. Aff. Photin.

Objectio I.

Si absolutâ Dei misericordiâ salvamur, seqvitur qvod non merito Christi. At prius patet inde, qvia omnia Idiomata Dei sunt absoluta. E. & misericordia. E. & absolutè salvamur.

Resp. I. Misericordia & reliqva idiomata divina considerantur dupliciter, vel in essentia, *Damascenus* vocat actum primum, & sic omnia idiomata sunt absoluta, vel considerantur extra essentiam divinam, qvatenus nimirum foras progrediuntur, actu nimirum juxta *Damascenum* secundo; Et sic misericordia non est absoluta, sed respectiva & dependet à voluntate divina, estq; ordinata, & habet fundamentum in merito Christi.

II. Solâ misericordiâ salvamur, si causam internam & propensivam respicias; Solo Christi merito, si causam externam & meritoriam attendas, solâ fide, si causam instrumentalem consideres.

III. In cerebello Photinianorum misericordia Dei, & opera humana in justificatione hominis coram Deo possunt subsistere simul, & meritum Christi cum misericordia non potest conjungi.

QVÆSTIO QVARTA.

An justificemur justitia essentiali? Neg. Contrâ:

Jehova est justitia nostra, *Jer. 23. v. 6.* Jehova est justitia essentialis. E. nostra justitia est essentialis.

Resp. I. Observandum est, qvomodò hic locus sit vertendus. In Hebræo habetur *eam*, in Latino *eum*, undè Judæi hoc de Hierosolyma interpretabantur, & verbum *vocabunt* ex fonte reddunt per *prædicabunt*, ut *Hafenreffer us in Comment. ad templ. Ezech.* testatur, & probat: Undè hic emergit sensus: Et hoc erit nomen, qvod prædicabunt eum Jehovam justitiam nostram. Id qvod in Novo Testamento factum esse probat Apostolus, *1. Cor. 1. v. 20.* ubi Apostolus dicit, qvod *Christus factus sit nobis justitia, &c.*

II. Ex qvo dicto Paulino Theologi passim illud *Jerem.* solent solvere, qvod nimirum cum Christus à Paulo dicatur factus esse justitia, non

non sit essentialis, cum & nos dicamur effici justitia Dei, non essentialiter, sed imputatione, *1. Cor. 5. v. 21.*

III. Ex *v. 5. & 6. c. 23. Jer.* ubi ille Jehovah vocatur germen justum vel justificans. Jam autem Christus secundum humanam naturam est germen justum, *Es. 11. v. 1.* secundum qvam tamen negavit *Osiander*, Christum esse justitiam nostram, imò *c. 33. v. 15.* dicitur facere justitiam.

IV. Justitia igitur hîc consideratur non essentialiter, sed meritoriè.

V. Ad vocem *Jehovah* R. qvod ille etiam dicatur sapientia nostra, non qvasi sit nostra essentialis sapientia, sed qvia dat nobis sapientiam. Ita etiam de justitia.

Objectio II.

Si Deus habitat in nobis, & Deus est ipsa justitia, & nos hâc inhabitatione justi efficimur, seqvitur qvod justificemur essentiali justitia Dei. Antecedens est verum. Ergò & conseqvens.

Resp. I. Et ipsa justitia & Deus habitat in nobis. Qvousqve enim se res extendit in esse, eousqve etiam attributa: Attributa autem in homine non tantùm habitant, sed etiam operantur.

II. *Prov. 8. v. 31.* dicitur, qvod sapientia sit cum filiis hominum, vel ut nonnulli, ambulet inter filios hominum, qvod non nisi gratiosam operationem & præsentiam denotat: Si hoc de sapientia; E. etiam de justitia. Attributorum enim eadem est ratio.

QVÆSTIO QVINTA.

An Christi obedientiâ passivâ justificemur? Aff.

Objectio I.

Adamus peccato primo suo, qvod erat exiguum, æternam mortem non erat promeritus, sed saltem temporalem. E. ab illa Christus nos tantùm liberavit.

Resp. I. Contrarium probatur ex pœna ab ipso Deo in peccato isto imposita; *Morte morieris, Gen. 2. 17.* ubi de morte spirituali, & æterna etiam esse sermonem, tribus his probatur fundamentis: 1. talem hîc intelligit mortem, à qva nos erat liberaturus, id qvod ex *c. 3. v. 15.* constat. At illa fuit mors non corporalis, sed spiritualis: E. 2. talem intelligit mortem, qvâ eo ipse die fuit mortuus, id qvod non de cor-

porali explicari potest. 3. Non simpliciter dicit *morieris*, sed *morte morieris*.

Instantia: ad 1. Vocabulum *seminis*, sumitur ibi *collectivè* pro toto genere humano.

Resp. Contrarium testatur Apostolus, *Gal. 3. v. 16.* 2. Canon est: *Quoties Patres V. T. meminerunt seminis, toties respexerunt ad Christum.* 3. Quale hîc intelligitur semen, ipsa Eva exprimit, *Gen. 4. v. 1.*

QVÆSTIO SEXTA.

An fides possit esse sine operibus bonis? Neg.

Objectio I.

Joh. 12. v. 42, Legitur qvod principes nonnulli crediderint in Christum, sed non fuerint confessi propter Pharisæos. E. fides potest esse absqve confessione.

Resp. Disting. *inter fidem pædagogicam, & fidem justificantem*; illam habuerunt, aliàs enim non potuissent peccare in Spiritum Sanctum, qvod tamen illos fecisse, patet ex *Matthæo*, hoc autem peccatum præsupponit notitiam: Hanc non habuerunt: Dilexerunt enim magis gloriam hominum, qvàm Dei, *v. 43* hoc autem est contra mandatum Pauli, *1. Cor. 1. v. ult.*

Instantia: Crediderunt in Christum, dicit textus, qvod non nisi fiduciam denotat.

Resp. Ex *Ambrosio*, qvod sit distingv. *inter libros Historicos, & Propheticos, & Epistolares*: In libris historicis phrases istæ, *credere in aliqvem*, pro ratione illius historiæ sunt intelligendæ: Sic in *Exod. c. 14. v. 31.* dicitur, crediderunt in Mosen, qvod non de fiducia est exponendum. In libris verò Propheticis, & Epistolicis Paulinis τὸ credere in Deum, in notat fiduciam Christum.

Instantia: Crediderunt in Mosen, id est, doctrinam ejus.

Resp 1. Moses non excludendus. 2. Credimus in Christum non tantùm propter doctrinam, sed etiam personam ejus, confer *Part. 1. Syntag. disp. 3. q. 5.* ubi paulò aliter.

Objectio II.

Infantes habent fidem, nec tamen bona opera. E. qvædam fides est sine operibus.

Resp. I.

Resp. I. *D. Hunnius* negavit in infantibus esse bona opera ob defectum rationis; qvidam verò Theologus conatus *Hunnium* excusare ita, qvod contra *Pighium* & *Erasmum* negaverit usum liberi arbitrii esse in infantibus ob defectum rationis.

II. Distingv. Qvædam opera sunt in primo momento fidei: Sic in cordibus infantum Spiritus S. operatur: Qvædam sunt in secundo fidei momento, & sic sunt in infantibus opera bona.

III. *Schaffmannus Disp. de Baptismo* probat duplici argumento, infantes habere bona opera, 1. Ex *Ps. 8. 3.* ubi dicuntur laudare Deum, 2. Ex *Apoc. 7. v. 9.* ubi de Ecclesia dicitur, qvod laudaverint Deum & clamaverint, &c. ubi infantes in classem populi hujus omnino sunt referendi.

QVÆSTIO SEPTIMA.

An sola obedientia Christi passiva salvemur? Neg.

Objectio I.

Ex *Heb. 10 v. 14.* Ubi Apostolus unicâ oblatione in cruce nos in perpetuum sanctificari asserit. E.

Resp. I. Nota circa hanc controversiam, qvomodo *Piscator* in primo momento hujus motæ controversiæ, solam illam passionem in cruce causam meritoriam fecerit nostræ justificationis; posteà verò monitus à *D. Mentzero* privato scripto, qvorsum igitur reliqvæ guttulæ, qvas in circumcisione effudit? Sententiam priorem statim correxit, & omnes Christi passiones meritoriam nostræ salutis causam constituit. Argumentum autem loqvitur tantùm de oblatione illa, qvæ facta est in cruce; Et sic reliqvæ Christi passiones excluderentur, qvod ipse *Piscator* non concedit.

II. Apostolum autem in hac Christi oblatione non excludere obedientiam ejus activam, ex *v. 9.* eleganter probatur. *Ecce*, inqvit, *venio, ut faciam voluntatem, &c.* Hinc rectè *Bernhardus* passionem Christi vocavit activam & actionem passivam; patiendo enim etiam egit sponte nimirum se offerendo & Patris voluntatem exeqvendo. *Dicis*; obedientia Christi activa in se est perfecta. Ergò etiam perfectè justificat, adeòqve passivâ opus non est.

Resp. I. Obedientiam Christi considerari vel constitutivè seu respectu ἐνεργείας, & sic qvælibet obedientia in se est perfecta; vel con-

secutivè, seu ratione consummationis; Et sic etiam ad justificationem reqviritur obedientia passiva, id qvod

II. Exemplo verbi & sacramentorum monstrari potest; verbum enim in se est perfectum, & tamen in justificando & regenerando Deus utitur non solo ministerio verbi, sed etiam Sacramentis.

Objectio II.

Apostolus in hac tota controversia mentionem facit non obedientiæ activæ, sed semper passivæ, nimirum mortis.

Resp. I. Id fieri duplicem ob causam, qvod Apostolus ita freqventer faciat mentionem mortis; 1. Qvia in morte eluxit præcipuè obedientia Christi. 2. Qvia fuit complementum totius operis redemptionis. Nota Canonem: In sacris uni enunciato includitur etiam illud, qvod huic est connexum, & conjunctum. Sic *Rom. 5. v. 9.* morti attribnitur satisfactio, ubi tamen obedientta activa morti connexa non excluditur, sed includitur.

II. Apostolus etiam contrarium docet, *Gal. 4. v. 4.* & *Rom. 5. v. 19.* ubi obedientiam Christi opponit Adami inobedientiæ.

III. Seqveretur etiam hoc absurdum, qvod in Adamo plus fuerit ἀνομίας, qvàm in Christo ἐνομίας.

LOCUS VII. DE BONIS OPERIBUS.

QVÆSTIO PRIMA.

An bonis operibus justificetur homo coram Deo? Neg. Contrà.

Objectio I.

Si nos tenemur facere, qvæ debemus, certè ideò tenemur, qvia solâ fide non possumus salvari, vel qvia fides absqve operibus esse, & justificare non potest. At prius est verum ex *Luc. 12. v. 42.* E.

Resp. I. Argumentum aut loqvitur de fide historica, qvæ sine operibus esse potest, & sic procedit, aut de fide salvifica, qvæ sine operibus qvidem non est, tamen sine illis justificat.

II. Nec ferit scopum: Fides enim nos non fecit servos, sed liberos, *Joh. 8. v. 36.* Et sicut fides contradistingvitur operibus, sic etiam libertas opponitur servituti, *Joh. 8. 33. Rom. 8. 15.*

Objectio

Objectio II.

Scriptura sæpè vocabulum mercedis sumit pro vita æterna, *Luc. 6. v. 23. Rom. 4. 5.* E. sicut proportio est inter mercedem & laborem; sic etiam inter vitam æternam, & bona opera.

Resp. I. Ad dictum Pauli, distingvendo inter mercedem legalem, & gratiæ; de hac, non illa loqvitur Apostolus.

II. Ad secundum ex *Luc.* desumptum respondeo, ibi differre mercedem à vita æterna longissimè, qvod sic probo: Qvæ differunt subjecto & adjuncto, illa inter se differunt. Merces hîc differt à vita æterna ut subjectum, & adjunctum. E. Minorem duplici probo argumento, 1. Si ipsa vita æterna dicitur merces, non dicendum esset in cœlis, sed ipsum cœlum, qvod est vita æterna. 2. Merces ita comparata est, ut uni magis, alteri minus tribuatur, undè etiam Christus dicit: Merces vestra multa est. Vita æterna autem unâ æqve omnibus datur. Loqvitur E. dictum illud non de ipsa vita æterna, sed de gloria in vita æterna, qvæ juxta Danielem in aliis erit major respectu claritatis & splendoris, in aliis minor.

III. Ad alia dicta ut ex *Matthæo*, & alibi respondeo, hîc qvidem fieri mentionem mercedis, sed non cum respectu ad bona opera, sed meriti Christi. Et sic dicitur merces non ex merito, sed ex promisso.

Objectio III.

Ex *Rom. 6. v. 16. 22.* ubi novæ obedientiæ adscribitur justitia, & vita æterna. E.

Resp. I. Sicut *Rom. 1. v. 14.* dicitur Abrahamum credidisse de fide in fidem: Ita & hîc homo, *v. 19.* dicitur semen justitiæ in sanctificationem. *D. Hunnius* autem illud *Rom. 1.* sic explicat, ex fide revelata V. T. in fidem revelatam N. T. Alii verò melius explicare videntur hoc modo: Ex fide in fidem denotare firmitatem & soliditatem fidei. Res enim dicitur ex re in rem fieri, ut ipsius soliditas, & firmitas indicetur: Sic etiam dicimur præbere membra nostra justitiæ, ut indicetur, nos qvotidiè sanctiores oportere fieri; Loqvitur igitur non de justificatione, sed de sanctificatione.

II. Dicitur autem vita æterna finis, non ratione meriti, (aliàs dixisset effectum, & sic propriè esset locutus) sed ratione ordinis, & sumitur tantùm pro consequente, hoc modo: Qvod si sic pergamus decurrere in stadio militiæ nostræ, & qvotidiè magis magisqve sanctifi-

ctificemur, fieri non posse, qvin consequenter vitæ æternæ fiamus participes.

Objectio IV.

Ex *Phil. 3. v. 7.* Paulus ibi dicit, *Se arbitratum fuisse, &c.* E. non certò scivit. Verbulum enim illud saltem probabilitatem, non certitudinem denotat.

Resp. I. Apostolum de gratuita remissione peccatorum fuisse certum, patet ex *v. 9.* Ideoqve vocabulum hoc non denotat Scientiam probabilem, sed certam. Ratio autem qvare Apostolus utatur vocabulo hoc, est hæc: Qvia probabilitas illa non est talis, qvalis non renatorum, sed est renatorum, qvibus probabilitas illa tantùm est probabilis certitudo, & certa probabilitas.

Objectio V.

Fides justificat; fides est opus, cultus, & obedientia, ut loqvitur Formula Concordiæ *p. 103.* E.

Resp. Fides est vel in Prædicamento qvalitatis (Et sic dicitur opus, & cultus) vel in Prædicamento relationis, & sic refertur ad meritum Christi, & propriè non est cultus.

Instantia: Fides in ipso actu credendi etiam vocatur opus, *Joh. 5. v. 29. 30.*

Resp. I. Vocatur opus, sed non hominis, verùm Dei.

II. Qvando vocatur opus, tunc ipsa soliditas, ac firmitas fidei indicatur.

Objectio VI.

Pœnitentia ad vitam æternam pervenimus: illa autem consistit in bonis operibus, in contritione, fide, & nova obedientia. E.

Resp. I. Eleganter *Brentius in Commentario in Exodum: Vitæ nostræ*, inqvit, *diameter est fides: Circulus qvi diametrum attingit, est nova obedientia. Justitia igitur ratione diametri soli adscribitur fidei, qvæ ad diametrum constituendum sufficit. Si verò circulum spectas, ille consistit in novitate vitæ. Ad* hanc *Form. Conc.* respexit.

II. Non tres, sed duæ sunt partes pœnitentiæ: Duo enim tantùm sunt termini nostræ conversionis, à qvo, & ad qvem. E. etiam duæ, etiam tantùm sunt partes. Nova obedientia est consequens.

III. Qvando Pœnitentia dicitur salvare, fit id secundum principaliorem respectum, nimirum fidem. *Obje-*

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027629733/phys_0270
Mecklenburg Vorpommern

Objectio VII.

Bona opera pertinent ad Consolationem, inqvit *Formula Concordiæ*. Qvid autem prodest justificatio absqve consolatione? Nihil, & mera est desperatio. E.

Resp. Opera bona pertinent ad consolationem, ut signa fidei. Huc referri potest historia *Livii ex lib. 4.* de militibus, qvi cum primo anno militiam ingrederentur, baculum non coloratum gestare cogebantur, donec annus præteriret, præterito anno gestabant baculum coloratum: sicut igitur color ille non pertinebat ad ipsius militis signum essentiale, sed erat saltem signum ostendens, illum jam in classem militum esse relatum: ita, & bona opera sunt signa Christianorum, non verò ipsos Christianos constituunt, sed Christanos esse declarant.

II. Notandum, qvando Formula Concordiæ dicit, *fidem pertinere ad consolationem*, id fieri hoc modo: Cum enim Diabolus homini Christiano qvotidiè ex Jacobo objicit: *Ostende mihi fidem ex operibus tuis*, necessarium est, ut homo Christianus ipso facto piâ nimirum, & honestâ vitâ respondere possit.

Objectio VIII.

Ex *Rom. 2. v. 6. 7. 8. 9. &c: Deus reddet Unicuiqve secundum opera sua.* E.

Resp. I. Pugnat cum Apostoli scopo principali, qvi est, ut demonstret, hominem gratis justificari, &c. E. Paulus esset contra Paulum.

II. Ipse Paulus satis circumspectè loqvitur: dicit enim non propter opera, sed secundum opera, & qvidem ideò, qvia perhibent testimonium fidei.

III. Distingv. *inter Conditionem bonorum operum meritoriam*, de qva Apostolus nihil scivit, nec locutus est; *& discriptoriam*, de qva hîc Paulus. Describit enim, qvinam sint illi, qvi vitæ æternæ sint futuri participes; Nimirum qvi bonum certamen certaverunt. &c.

Objectio IX.

Ex *1. Joh. 1. v. 9.* ubi apertè docetur, Confessionem peccatorum esse causam remissionis peccatorum. E.

Resp. I. Ex Canone Philosophico: *Qvædam toti tribuuntur, qvæ uni saltem parti debentur*; nec opus est, ut qvæ toti tribuuntur, singulis etiam tribuantur partibus.

II. Loqvitur igitur de Confessione, sed non de omni, sed Salutari, & qvidem secundum principaliorem respectum, nempe fidem.

Objectio X.

Ex *Rom. 10. v. 10*: *Confessio fit ore ad salutem.* E. Confessione aliqvid meremur ad salutem.

Resp. I. Ex *Ostandro* in Glossis margin. Distingv. *inter ipsam causam justificationis*, & *ejus necessarium consequens*: illa est fides, hoc confessio.

II. Eleganter *Lutherus* in Commentar. super Gal. dicit: *Bona opera non pertinent ad salutem, sed sunt cum salute.*

Objectio XI.

Ex *Hebr. 12. v. 14*: *Sine sanctimonia nemo videbit Deum.* E.

Resp. Visio tribuitur sanctimoniæ non per se, sed propter adjunctam fidem.

Objectio XII.

Ex *2. Petr. 1. v. 10. studete vocationem, & electionem vestram firmam facere &c.*

Resp. Distingvendo *inter conservationem, & cognitionem rei*; hæc, non illa bonis adscribitur operibus.

Objectio XIII.

Qvicqvid excitat fidem, id conservat fidem; bona opera excitant fidem. E.

Resp. Distingv. *inter effectionem, conservationem, & excitationem.* Illustrabo rem simili: In templis conceduntur imagines, non ut in cordibus hominum fidem efficiant, nec ut conservent, sed ut excitent, id est, alaciorem reddant: Sic etiam de bonis operibus censendum.

Objectio XIV.

Notitia, & assensus reqviruntur necessariò ad fidem justificantem. Illa autem sunt opera. E. qvædam opera ad justificationem sunt necessaria.

Resp. I. Multi ex Nostratibus hanc phrasin ante motam controversiam, bona opera sunt necessaria ad Salutem, concesserunt, sensu verò non Papistico, sed orthodoxo.

II. Distinxerunt enim *inter necessitatem meriti, & ordinis, seu præsentiæ.* Priori modo non dixerunt necessaria, sed posteriori, id qvod & nos dicimus.

III. Ar-

III. Argumentum non ferit Statum qvæstionis, qvæ est, an bona opera, qvæ opponuntur fidei, ad salutem sint necessaria? Hæc objectio autem agit de bonis operibus, qvæ includit fides, non excludit.

Objectio XV.

Sed D. *Chemnitius in Examine*, & *in Loco* renovationem dicit esse necessariam ad justificationem. E.

Resp. I. Renovatio sumitur tripliciter: 1. pro regeneratione ipsa, & sic sumit D. *Chemnit.* 2. pro tali renovatione, qvæ regenerationem includit. 3. pro renovatione regenerationi contradistincta, & sic non est necessaria ad salutem.

II. Intelligit ille necessitatem non meriti, sed præsentiæ, & ordinis.

Objectio XVI.

Opera bona sunt perfecta. E. etiam perfectè concurrunt ad salutem.

Antecedens probatur, qvia operatur illa Deus in nobis. E. non imperfecta, sed perfecta sunt.

Resp. I. Opera bona sunt perfecta 1. in suo genere, & pro ratione status. Cum enim labes Originalis semper illis adhæreat, hujus respectu redduntur imperfecta. 2. respectu Dei, qvi omnia, qvæ operatur, perfectè operatur. Operatur autem omnia pro ratione, & conditione ejus, in qvo operatur. 3. sunt perfecta perfectione non totali, sed partiali, qvæ omnino nihil facit ad salutem.

Objectio XVII.

Ex *Dan. 4. v. 15.* & *Luc. 11. v. 41*: *Eleemosynam date, & omnia erunt vobis munda.*

Resp. ad primum 1. stylo scripturæ per peccata sæpe intelliguntur pœnæ peccatorum, & qvidem temporales. Vult igitur Daniel, ut redimant, id est, ut Deum ad mitigationem pœnæ temporalis suis Eleemosynis invitent. 2. Distingvit *Apologia Aug. Conf. inter peccata præterita, & futura*, & dicit, qvod illud sit intelligendum de futuris, hoc sensu: ut dent Eleemosynam, & sic novæ vitæ studeant, & vitent peccata, in qvæ alias sese præcipitassent.

Ad secundum ex *Luca* Resp. 1. (missis aliis non ita commodis solutionibus) esse ibi Ironiam. 2. *Erasmus* annotat, illud qvod dicitur in imperativo, esse intelligendum in Indicativo, id qvod probat

consimilibus Scripturæ locis. 3. Constat etiam ex antecedentibus, & conseqventibus, qvod sit qvædam exprobratio, non admonitio hoc sensu: Qvando vos Eleemosynam datis, putatis, omnia vobis esse munda.

QVÆSTIO SECUNDA.

An opera non renatorum certo respectu sint bona? Aff. Contrà:

Paulus homo renatus opera sua vocat detrimenta. *Phil. 3. v. 7.* E. Multo magis opera non renatorum sunt mala.

Resp. I. Opera non renatorum considerantur vel materialiter, & in se, & sic sunt bona, vel formaliter, & sic non sunt bona, respectu nimirum triplici, 1. à qvo (qvia non à persona renata) 2. modo sive forma, (carent enim fide, qvicqvid autem non ex fide, peccatum) & deniqve fine; non enim ad gloriam Dei illa fecerunt; undè eleganter inqvit *Augustinus* ex Aristotele: *Actiones non officiis, sed finibus distinguuntur. Et fecerunt illa Ethnici in vetustate literæ, non in novitate Spiritûs.*

II. Scriptura S. autem illa considerat politicè, & judicantur in foro, & sic in Psalmis sæpè pronunciantur bona, vel in foro divinæ justitiæ, & sic non sunt bona.

III. Ad dictum Pauli respondetur, illum loqvi de operibus suis, non ut erat renatus, sed ante conversionem.

IV. Observandum etiam est ex *Jer. 17.* qvod ibi opera hominum ante regenerationem comparentur myricæ vepreti *v. 6.* post regenerationem ligno plantato ad rivos aqvarum, & fructui eleganti, & pulcherrimo, *v. 8.*

QVÆSTIO TERTIA.

An credere præter spem, in spem sit nota essentialis fidei? Aff. *Form. Concordiæ.* Contra:

Qvæcunqve nota non competit fidei infirmæ, illa ipsi non est essentialis. Hæc talis est. E. ipsi non est essentialis.

Resp. Credere præter spem, in spem, aut sumitur stylo Ecclesiæ, pro certa fiducia, & sic etiã illis, qvi modicæ sunt fidei, competit: Vel stylo Pauli, & sic solùm id fidei Abrahami adscribitur: Habuit enim qvædam

dam peculiaria Abraham ut pater credentium, Sic illi illud attribuitur à Paulo: Qvædam verò in foro justitiæ ipsi assignantur. Et sic in fide pari nobiscum passu ambulat.

QVÆSTIO QVARTA.

An sint facienda mala, ut eveniant bona? Neg.

ex *Rom. 3. v. 8.*

Objectio.

Exemplum Lothi obstat, qvi filias suas prostituere voluit, ut Angelos liberaret, & salvos retineret.

Resp. I. Aliter de exemplo Lothi judicant Pontificii, aliter orthodoxi. Illi (inter qvos inprimis est *Pererius in Comment. super Genes.*) factum hoc laudant, & qvidem eum in finem, ut perfectionem operum suorum defendant. Si enim objiciatur à nobis peccatum hoc, & alia Lothi, statim dicunt, Lothum in hoc non peccasse, sed esse factum illius laudabile.

II. Orthodoxi verò factum hoc Lothi minimè esse laudabile, probant indè, qvia expressè in *Levit.* fuit prohibitum, ne vel filias, vel uxores &c. prostituamus.

Excipiunt; Hoc tamen Spiritum S. non reprehendere.

Resp. Mos est Spiritus S. ut in practicis qvæstionibus, qvod semel reprehendit; altera vice simpliciter recitet, id qvod exemplo fugæ Davidis constat; Qvia igitur Spiritus S. in *Levit.* expressè prohibuit hos casus, Ideoqve hic simpliciter recitat.

LOCUS IIX. DE ECCLESIA.

QVÆSTIO PRIMA.

An vera sit definitio Ecclesiæ tradita in Articulo septimo Augustanæ Confessionis? Aff.

Contra.

Veræ Ecclesiæ natura à Christo explicatur, *Matth. 13. v. 47.* ubi comparat cum Sagena missa in mare, in qva concluſi erant pisces boni pariter ac mali: E. Ecclesia non tantùm est congregatio sanctorum, sed etiam hypocritarum.

Resp. I. Duplex est Ecclesiæ definitio, altera, ut est visibilis, & sic complectitur bonos ac malos, altera, ut est invisibilis, & sic rectè à conscriptoribus Augustanæ Confessionis fuit definita.

II. Ipsa Scriptura observat hanc distinctionem. Alibi enim illam comparat sagenæ & areæ, *Matth. 13.* & sic considerat eam generaliter. Specialiter considerat, *Eph. 5. v. 27.* ubi illam sine macula & rugis esse ait.

III. De qva Ecclesia tunc temporis controvertebatur, de illa debebant rationem reddere, & de illius definitione agere. At de universali erat controversia. E.

Objectio II.

Ecclesia est congregatio: Congregatio autem est visibilium. E. illa Ecclesia est visibilis, & non universalis.

Resp. I. Ecclesia invisibilis dicitur non respectu Angelorum, ut qvidam volunt, qvasi illi pertineant ad Ecclesiam; Sed partim respectu Dei, cui soli constat de veris Electis, partim ratione hominum, qvibus hoc non constat.

II. Distingv. *inter illos, qvi sunt de Ecclesia, & qvi sunt in Ecclesia:* Illud de solis electis, hoc de hypocritis dicitur.

Objectio III. Ex Cantic. 4. v. 7.

Ecclesia tota est pulchra, & nullæ in ea sunt maculæ. E.

Resp. I. Loqvitur Salomon non de ornatu externo, sed interno Ecclesiæ N. T.

II. Agit de universali, non de particulari Ecclesia.

III. Vera autem responsio ad dictum hoc elicitur ex analysi *Canticorum*; Describuntur in illo libro duo: 1. Narrantur illa, qvæ jam facta fuerant, idqve à *Cap. 1. usq; ad Cap. 4.* 2. Propheticè vaticinatur de illis, qvæ jam futura erant, & primò de militante Ecclesia N. T. agit usq; ad *Cap. 7.* de triumphante à *Cap. 7. usqve ad finem.* De Ecclesia V. T. agit 1. Ut erat illa in Ægypto à *v. 1. c. 1. usq; ad v. 12.* Ibi incipit de Ecclesia, ut erat sub Davide à *v. 12. c. 1. usq; ad v. 2. c. 3.* De Ecclesia agit, uti erat sub Salomone *usqve ad v. 9. c. 2.* ubi de reliqvis regibus *usqve ad v. 3. c. 3.* & ibi incipit historia Maccabæorum usqve ad finem capitis tertii. *Cap. 4.* incipit describere Ecclesiam Novi T. non qvalis semper futura sit, sed qvalis sub initio N. T. sit,

sit, cum adhuc virgo esset, nec ulli hæretici erant: Et sic *v. 7.* est explicandus de statu primo Ecclesiæ virgineo, non verò de statu nostræ Ecclesiæ: Probo hoc ita: Ita verba sunt sumenda impropriè, ut sumuntur propriè. Jam autem virgo propriè sumitur pro virgineo statu, casto & placido. E. 2. Patet id ex loco parallelo, *Es. 11. v. 1.* collato cum *v. 5.* ubi tranqvillitas Ecclesiæ N. T. describitur. 3. Qvia qvæ seqvuntur, ad Ecclesiam insequentem miraculis claram accommodantur. *Cap. 5.* describere pergit turbas Ecclesiæ sub variis tyrannis Ethnicis, & in fine *c. 6.* tranqvillitatem sub *Constantino. c. 6.* Papatus describitur, & deindè restitutio Ecclesiæ *per Luiberum usqve ad finem.* Et hæc est vera analysis totius Cantici Canticorum.

QVÆSTIO SECUNDA.

An Ecclesia alia sit visibilis, alia invisibilis?

Aff. Contra:

Objectio I.

Ecclesia, qvæ in aperto posita est, & est lux mundi, illa non est invisibilis; Talis autem est Ecclesia, *Matth. 5. v. 14.* E.

Resp. I. Ecclesia est supra montem posita, ut tamen ornatus ejus sit internus.

II. Distingv. *inter Ecclesiæ statum diversum.* Non semper enim supra montem; Sed interdum sub monte cogitur latere, & in solitudine versari, ac degere. Vide *Cap. 12. Apocalyps.*

III. Loqvitur Christus de statu Ecclesiæ tranqvillo, & bono, cum ad summam ἀκμὴν pervenerat.

Objectio II. Ex *Matth. 6. v. 33.*

Ecclesia dicitur qværi. E. non est invisibilis.

Resp. Regnum Dei continet non tantùm invisibiles, & internos cœtus, sed etiam visibiles, & externos.

Objectio III.

Paulus jubet, ut boni exeant de medio illorum. E. est cœtus visibilis, qvippè aliàs exire non possent.

Resp. 1. Si debent exire de medio illorum, seqvitur in illorum medio ejusmodi hypocritas fuisse.

2. Loqvitur Paulus de externo cœtu, qvod patet ex scopo, qvi est ut illos, qvi de Idolothytis participant, dehortaretur ab illo consortio.

III. Ex

III. Ex *Apoc. 18. v. 4.* ubi similis habetur phrasis, ex qvo loco etiam probatur, in papatu semper fuisse veram Ecclesiam, qvoniam jubentur exire de medio illorum.

Objectio IV.

Ad Ecclesiam, qvæ latet, non possumus accedere. E. non debet esse invisibilis.

Resp. Ecclesia consideratur vel abstractivè, ut est in S. Scriptura, & sic illam debemus, & possumus qværere, vel consideratur concretivè, ut est in hominibus, & sic aliqvando latere dicitur.

Objectio V.

Ab Ecclesia visibilitas potest separari. Ergo Distinctio illa non procedit, ut patet ex historia Eliæ.

Respondet. I. *Jacobus Andreæ* in colloqvio Badensi: Aut argumentum loqvitur generaliter de Ecclesia, & sic procedit; aut specialiter de Ecclesia V. T. & sic non procedit, cum qvæstio sit de Ecclesia N. T.

II. Ex *Cantic. 6. v. 11.* ubi Eccesia dicitur conturbari propter *Aminadabi* qvadrigas, ubi vox *Aminadab* denotat populum spontaneum, qvi dicitur esse in qvadrigis, id est, qvatuor angulis. Et sub *Constantino* Ecclesia etiam aliqvandiu latuit.

III. Eleganter etiam hoc explicatur *Apoc. 12. v. 1. 2.* ubi mulier parturiens est Ecclesia, qvæ sole amicta, qvi est Christus, cui per baptismum inseritur, & lunam sub pedibus ejus, id est, omnia terrena: Draco habens 7. capita, & insidians Filio est Diabolus. 7. capita sunt septem Reges, qvi *Luthero* contradicebant primò. Posteà verò Ecclesiæ pressura, & fuga describitur, imò ipsi dies, & tempus apponuntur, qvando Anti-Christus sit revelandus, nimirum 1260. qvi dies Danielici juxta *Danielem c. 9.* resoluti dabunt dies, 332.

IV. Nota; Ecclesia dicitur invisibilis ratione internæ, & divinæ Electionis: visibilis 1. ratione externæ vocationis. 2. ratione externi ministerii, verbi, & Sacramentorum. Huc refert *D. Jacobus Andreæ* locum ex 2. *Thess. 4.* ubi Papa sive Antichristus in templo Dei sedere dicitur. Ubi nihil moramur canonem *Bellarmini*; nimirum *vocem templi in N. T. nunqvam Ecclesiam, sed semper Hierosolymitanum templum denotare*: Falsum esse constat ex *1. Cor. 6. v. 19. 2. Cor. 6. v. 16. Apoc. 1. v. 12. c. 11. v. 1. & 19.*

QVÆ-

QVÆSTIO TERTIA.

An prædicatio verbi divini sincera,& legitimus sacramentorum usus sint veræ notæ Ecclesiæ? Aff.

Contrà:

I. Nota debet esse notior re notatâ. At hæ notæ non sunt notiores re notatâ. Magis enim Ecclesia nobis innotuit,& clarior est, ac ipsa scriptura, imò Ecclesia est effectus verbi divini. Effectus autem est notior causa. E.

Resp. I. Scriptura sumitur vel pro continente, & sic Ecclesia scriptura est prior, sed non notior,vel pro contento, & sic etiam Ecclesia notior est.

II. Distingv. *inter notiora qvoad nos*, *& naturâ*: scriptura qvoad nos Ecclesiâ est notior. Contra verò naturâ scriptura Ecclesiâ est clarior,& notior.

III. *Inter cognitionem aliqvalem*, & sic Ecclesia aliqvo modo est notior scripturâ, *& totalem*, & sic scriptura est notior Ecclesia, qvippe à cujus cognitione Ecclesiæ notitia dependet.

IV. Illustrari hoc potest exemplo Samaritanorum, *Joh. 4. v. 29.* qvi in cognitionem aliqvalem Christi devenerant ex voce mulieris,in totalem verò ex concione, & doctrina Christi, ita ut dixerint *v. 42. Jam non amplius propter tuos sermones credimus.*

Instantia ad responsionem 2. Notæ nobis debent esse notiores ipsis rebus notatis,non verò naturâ.

Respondetur I. Res aliqvando cognoscitur confusâ, aliqvando distinctâ cognitione. Ratio distinctæ cognitionis ita procedit,ut per causas,verbum nimirum, & sacramenta colligamus, Ecclesiam illam esse veram. In cognitione confusa res aliqvando aliter se habet.

II. Nobis interdum aliqvid apparenter videtur esse notius, qvod tamen revera notius non est: Sic Ecclesia nobis videtur notior, sed revera verbum est notius.

Objectio II.

Nota alicujus rei illi debet esse propria, & inseparabilis. At notæ veræ Ecclesiæ à nobis traditæ tales non sunt; prædicatio enim

verbi divini est communis aliis hæreticis, ut & usus sacramentorum. E.

Resp. I. Si notæ Ecclesiæ debent esse propriæ, & inseparabiles, sequitur, notas Ecclesiæ, quas Pontificii numerant, non esse revera notas, quippè pleræque omnes non sunt propriæ, sed separabiles; ut antiquitas est separabilis, quia non fuit omni tempore: Ecclesia enim prima non fuit antiqua, &c.

II. Tres quidem à *Brentio* & *Chytræo* constitui notas Ecclesiæ, sed tamen illas non esse pari necessitate, & ordine in Ecclesia. Causa enim, quare illi addiderint tertiam notam, hæc est, quia pontificii omnem reverentiam dixerunt in Ecclesiis nostris esse sublatam, & sic hypothetica est causa propter calumnias pontificias.

III. In casu necessitatis ab usu sacramentorum recedere, & abstinere nos posse concedimus, sed non à prædicatione verbi divini; & quamvis prædicatio externa, quæ fit è cathedra, sive pulpito haberi nequit; Interim tamen meditatio & lectio verbi divini adsit necesse est. Illo, non verò hâc Ecclesia interdum carere potest.

Objectio III.

Si prædicatio verbi divini sincera, & legitimus usus sacramentorum sunt veræ notæ Ecclesiæ, sequitur, apud Calvinistas non esse veram Ecclesiam. At consequens est falsum. E.

Resp. I. Distingv. *inter Calvinismum, & Papismum, & inter id, quod est in Calvinismo, & Papismo.* Illi non sunt vera Ecclesia, sed in istis.

II. Ex *c. 23. Matth. v. 2.* collato cum *v. 13.* quæ duo loca, si conciliare velimus, dicamus necesse est, in priori esse propositionem reduplicativam. Christus enim jubet audire Pharisæos in cathedrâ Mosis sedentes non absolutè, sed quatenus in cathedrâ Mosis sedebant, id est, doctrinam Mosis proponebant. Verùm vers. 13. agit de Pharisæorum glossis, quas assuebant legi divinæ. Sicut igitur ibi erat verbum sincerum, & etiam corruptum: sic etiam in Calvinismo, & Papismo est verum Dei verbum, corrumpitur verò, quando traditiones Papistarum, & Calvinistarum rationis humanæ fimbriæ adsuuntur.

Objectio IV.

Editio miraculorum fuit nota Ecclesiæ primitivæ Apostolorum, quia hâc notâ veræ Ecclesiæ discernebantur à falsa. Ergo, & nunc.

Resp.

Resp. Antecedens negatur. Notæ enim veræ Ecclesiæ sunt semper. Talis illa non est. Ergò.

II. Donum illud miraculorum pessimis etiam hominibus fuit collatum. E. non fuit vera nota.

QVÆSTIO QVARTA.

An legitima vocatio ad officium publicum ministro sit expectanda? Aff. Contra:

Apostolus laudat *1. Tim. 3. v. 1.* desiderium Episcopatûs, E. qvicunqve Episcopatum desiderat vel appetit, non debet expectare justam vocationem.

Resp. Vocatio secundum *Lutherum* aut est ante publicum docendi actum, aut post illum. Priori modo vocandus omnis debet habere internum desiderium, & qvasi internam vocationem, aliter qvæ conjuncta esse debet cum externa, post actum: ibi enim externam vocationem expectare vero non debet. F. Aliter vero fere habet

II. Distingv. *inter desiderium ordinatum, & inordinatum;* de illô, non hoc loqvitur Paulus.

III. Probo illud, qvia nusqvam Paulus voce desiderii in malam partem usus est, sed semper in bonam. Loca sunt *Rom. 8. v. 19. Phil. 1. v. 23.* & alibi.

Objectio II.

Omnes homines sunt sacerdotes, & debent prædicare opera dei, *1. Pet. 2. v. 9.* Ergò justa vocatio non est expectanda.

Resp. Vocabulum sacerdotis sumitur vel propriè, vel impropriè, hîc non propriè, sed impropriè pro spiritualibus sacerdotibus. Qvales enim sunt hostiæ nostræ, tales etiam nos sumus sacerdotes: Illæ spirituales, *Rom. 12. v. 15. Ebr. 5. v. 12.* E. Nota hîc vocabulum sacerdotis non semper in V. T. sumi propriè, ut nonnulli volunt: Impropriè enim sumi patet ex *2. Sam. v. 18. c. 8.* ubi filii Davidis dicuntur sacerdotes non propriè, sed impropriè.

II. Qvod verò dicitur de Electis, & piis hominibus, qvod prædicare debeant &c. hoc ipso describitur officium piorum generale in prædicando, & laudando.

Objectio III.

Tempore Apostolorum fuit usitatum, se ipsum ordinare. E. & nunc erit: illud patet ex *1. Cor. 16. v. 15.* Aliud est addicere se in mini-

sterium sanctorum, aliud ordinare seipsum ad officium Ecclesiasticum. Non de posteriori, sed de priori loqvitur Apostolus c. l.

Objectio IV.

Si nemini docere, & sacramenta administrare concessum est, nisi qvi justam habeat vocationem, seqvitur baptismum mulieribus administrandum non esse. At prius est verum. Ergo, & posterius.

Resp. Nec etiam illis concessum est, nisi in summo & extremo casu (non aliqvali) necessitatis, ubi mulier adstans hunc syllogismum disjunctivum proponit: Aut infans sine baptismo morietur, aut si debet baptizari ante mortem, tunc necesse est, ut ego baptizem.

II. Alia autem res est cum sacra cœna. Qvamvis enim *Hesbusius in Consiliis Bidenbachii* contrarium adserat, Laicis nimirum in casu necessitatis etiam concessum esse, illam administrare, nos tamen cum *Luthero* contrarium sentimus; Non enim tanta est necessitas hujus sacramenti, qvanta illius: *Nisi qvis renatus fuerit, &c.* dicit Christus, *Joh. 3. v. 5.* qvod de sacra cœna non dicit; sed, *Hoc facite in mei commemorationem*, *Luc. 22. v. 19.*

QVÆSTIO QVINTA.

An penes omnia membra sit jus eligendi ministros? Aff. Contra:

Objectio I.

Ex *Cap. 4. 1. Tim. v. 14.* ubi presbyterio adscribitur ordinatio ad ministerium. E. penes illud est jus vocandi & eligendi.

Resp. I. Præmissâ hâc regulâ: *Idem est, sive qvis faciat aliqvid per se ipsum, sive per alium:* Sic igitur ministri vocant Pastores, non qvatenus sunt homines privati, sed sub nomine omnium hominum sive membrorum Ecclesiæ, à qvibus hoc officium illis est datum.

II. Errant, qvi hîc de ordinatione ad ministerium agi autumant, cum de dono Prophetiæ agatur, qvod erat extraordinarium.

III. Distingv. *inter* χειροτονίαν, *&* χειροθεσίαν: Illa sumitur pro tota vocatione, hæc pro singularis alicujus doni collatione; de hâc, non illa hîc sermo est.

Instantia: Sed inferiores interdum dissident à superioribus, qvid tunc faciendum?

Resp.

Resp. I. Hoc fit ex accidente.

II. Vocatio qvidem hæc non est nulla, qvæ fit non suffragio omnium, non tamen est perfecta.

Objectio II.

Ovis non est eligere pastorem. Membra sunt oves. E.

Resp. I. Omne simile claudicat; Non enim in hoc conveniunt, sed in aliis, qvæ apud *Joh. 10.* descripta sunt.

II. Sic etiam presbyteri, & præpositi omnes essent oves, qvi eligunt illos.

III. Magistratus consideratur dupliciter, aut ut est in officio politico, aut ut est membrum Ecclesiæ: Magistratui tribuitur vocatio non qvà Magistratus, sed qvà membrum Ecclesiæ est. Reliqva enim membra excludi non debent.

QVÆSTIO SEXTA.

An per sortem sint eligendi ministri? N. Contrà:

Act. c. 1. v. 23. per sortem vocatur Matthias ad Apostolatum. E.

Resp. *Chemnitius in Examine* vocationem illam fuisse immediatam statuit, qvia Deus per sortem illis monstravit, qvem in numerum Apostolorum suscipere deberent. Cum enim uterqve esset dignissimus ad hoc munus, Apostoli autem nescirent, qvem eligerent, Deus hoc illis instillavit, ut per sortem unus ex his eligeretur.

II. A vocatione autem immediata ad mediatam non procedit illatio. Si qvis jam per sortem eligere ministrum velit, is Deum tentaret, qvippè medio à Deo non præscripto uteretur.

III. Qvale est regnum Ecclesiæ, talis etiam est ad regnum illud vocatio. Regnum autem illud non est Monarchicum, nec Democraticum, sed Aristocraticum; igitur & vocatio talis erit:

Instantia: Vocatio immediata illa non fuit, qvippè per medium sortis fuerunt electi, & vocati:

Resp. Distingv. *inter vocationem ipsam*, qvæ immediata, & *modum vocandi*, qvi mediatus.

QVÆSTIO SEPTIMA.

An Ecclesia Lutherana sit vera Ecclesia? Aff. Contra:

In qva Ecclesia multæ sunt contentiones, illa non est vera: Contentiones autem multæ sunt in Ecclesia Lutherana. E.

Resp. Est Elenchus accidentis: Si qvi enim sunt in Ecclesia Lutherana, qvi sunt contentiosi, illi non sunt de Ecclesia, sed in Ecclesia. Qvid autem de contentionibus illis sit sentiendum, vide *D. Pappum in libro de contentionibus in form 12.*

II. Invertimus: Si nota illa est veræ Ecclesiæ, etiam falsa Ecclesie erit vera. Conseqvens est absurdum. Ergò & antecedens. At prius testatur Christus *Luc. 11. v. 21.* & ostendit, regnum Diaboli esse in tranqvillo statu.

III. Ipsi Pontificii multis modis inter se dissentiunt, imò in nullo articulo conveniunt: Undè proximis annis libri *Becani* Moguntini Jesuitæ Parisiis fuerunt combusti, eò qvod nimis pro Papa essent scripti.

QVÆSTIO OCTAVA.

An ministro Ecclesiæ fugere liceat ob persecutionem hæreticorum? D.

Aut persecutio est personæ, aut totius cœtus; Si totius cœtus, non debet deserere oves suas & fugere; si propriæ personæ, fugere potest.

QVÆSTIO NONA.

An ministro fugere liceat ob penuriam stipendii?

Distingv. I. *inter ministrum, qvi est in officio, & qvi nondum est:* si est in officio, illud deserere non concessum est, cum anteqvam officium susciperet, hoc in ipsius fuerit potestate; Jam non amplius.

II. Vel si ei nec speranti nec spiranti vocatio alia oblata fuerit, tunc salvâ conscientiâ illam suscipere potest, relictâ alterâ.

QVÆSTIO DECIMA.

An Papa sit Antichristus ille, qvi *2. Thess. 2. v. 3. & 4.* describitur? Aff. Contrà:

Dicunt Pontificii, illum Antichristum non esse Papam, sed Turcam cum suo Mahomete.

Resp. Ibi non intelligi Turcam, sed ipsum Papam, probamus his fundamentis; 1. qvia dicitur Antichristus ille revelari: Si autem revelatur, necesse est, ut anteà fuerit absconditus: Hoc autem de Turca dici neqvit, qvippè, qvi non diu latuit, sed statim cum suo Maho-

Mahomete in actum prorupit. Commodè autem de Papa intelligitur, qvippè qvi aliqvantum errores suos occultè fovebat, donec tempus sibi videretur opportunum, qvo tandem suos blasphemos errores publicè spargeret, & sic se revelaret. 2. Qvia Anti Christus ille dicitur defeciſſe: si autem defecit, necesse est, ut antea sinceram habuerit doctrinam, à qva defecerit, qvod de Turca dici nequit, qvippè cujus Mahometh nulli veræ religioni unqvam fuit addictus: Ideòqve de Papa optimè: 3. Dicitur in templo Dei sedere, qvod optimè de Papa, utpote in templo Dei sedente, dici potest, minimè verò de Turca. 4. Dicitur hîc ostendere se tanqvam Deum, & efferre se super omnia, qvæ dicuntur Deus: Qvi vocabulum Dei sumunt hîc pro Deo Trinuno, rectè explicant de illo, utpotè qvi plures honores, qvàm Deus affectat. Qvi verò ut *Phil. Nicolai* p.m. vocabulum Deus hîc sumunt impropriè, pro Magistratu in sublimi constituto, cui sæpè in Scriptura S. hoc nomen attribuitur, tunc etiam optimè qvadrat: Nimirum qvod se supra omnes Imperatores extollat, ipsis etiam Imperatoribus dominetur, sibiqve Imperium non tantùm Ecclesiasticum, sed etiam politicum demandatum esse dicat. 5. Idem etiam probatur ex *Apoc. Joh.* multis aliis argumentis; præsertim ex *c.13.* ubi nota duplicem in illo *Cap.* describi bestiam, qvæ non sunt confundendæ: una a *v.1. usq; ad v.11.* & directè ad Romanum Imperium refertur; Altera à *v.11. usq; ad finem.* Ipsum Romanum Pontificem denotat: Id qvod ex *Dan.7. cap.* videre est, ubi notandum est, Danielem qvartæ bestiæ nullum adscribere nomen, eò, qvod sit adeò monstrosum, ut omnia in hoc qvarto conveniant.

LOCUS IX. DE POENITENTIA.

Distinctiones & explicationes nonnullorum dictorum hîc proponuntur. I. Est *1. Joh.3.v.6.* ubi notandum vocabulum *peccare* ibi non significare ex infirmitate carnis humanæ peccare, sed datâ operâ & elata qvasi manu peccare: Verba enim actus sæpè conatum, & studium denotant.

II. Notandum, qvod sicut passio Christi refertur, & ad legem, & ad Evangelium: Ad legem respectu Dei irati, ad Evangelium respectu Dei placati: Sic etiam pœnitentia partim ad legem, partim ad Evangelium respectu fidei refertur.

III. No-

III. Nova obedientia est pars pœnitentiæ, vocabulo partis latè sumto pro consecutione.

Instantia: Effectus rei non est pars illius. Nova obedientia est effectus. E.

Resp. Negatur major: Familiæ enim partes sunt liberi, & ejusdem effectus: Conclusio est pars syllogismi, & effectus ejusdem ratione præmissarum. E.

IV. Notandum, qvod veteres per contritionem intellexerint pœnitentiam totam, contritione propriè dictâ, fide & novâ obedientiâ constantem: fundamentum hujus adsertionis desumpserunt ex *Psal. 51. v. 9.* ubi per contritum cor, pœnitens intelligitur: Per attritionem verò intellexerunt illam partem pœnitentiæ, qvam nos contritionem vocamus.

V. Contritio dupliciter consideratur, vel in actu complexo, vel incomplexo; in actu complexo habet comitem fidem, & sic non est peccatum: In actu incomplexo, qvatenus est absqve fide, ut in Cain, Judâ, & aliis, & sic qvia non ex fide, peccatum est.

VI. Contritio in actu pœnitentiæ à fide distingvitur qvidem, sed non dividitur, aut separatur.

VII. *Gen. 4. v. 7.* & alibi: 1. loqvitur Moyses de externo homicidio: 2. docet, qvod sit nostri officii, non virium. 3. loqvitur de renatis, non irregenitis, & convertendis.

IIX. *Act. 8. v. 22.* Nota: qvod verba ibi sint intelligenda respectu illius, ad qvem loqvitur. Utitur igitur Petrus particulis dubitativis non qvasi doceret, de salute esse dubitandum, sed qvia ipse de pœnitentia Simonis Magi dubitabat.

IX. Certitudo salutis nostræ non dependet ex nostris operibus, sed ex promissione divina.

X. *2. Cor. 7. v. 10.* qvod *D. Mylius* de cruce explicat, tristitia nimirum secundum Deum, id alii de pœnitentia totâ; & sic *operari illud* refertur non ad pœnitentiam, sed ad salutem.

QVÆRITUR,

An fides sit pars pœnitentiæ? Aff. Contra:

Objectio I.

Qvicqvid demum seqvitur pœnitentiam, illud non est pars pœnitentiæ.

tiæ. At fides seqvitur pœnitentiam, idqve testatur Paulus 1. Cor. 7. v. 10. ubi ait, qvod dolor secundum Deum operetur pœnitentiam in salutem. Ergò.

Resp. I. Distingv. *inter contritionem veram*, qvam sola lex operatur, & *salutarem*, ad qvam accedit Evangelium. De hác, non illá loqvitur Apostolus.

II. Agit Apostolus de tota pœnitentia, cujus finis, & effectus est salus, & vita æterna. Hanc describit Apostolus, eamqve ab impiorum contritione distingvit, & dicit, qvod operetur, non verò simpliciter, sed ad salutem. Simile loqvendi genus est *Act. 11. v. 18. Rom. 10. v. 10.*

Objectio II.

Act. 20. v. 21. fides distingvitur à pœnitentia. Ergò.

Resp. I. Per pœnitentiam h. l. non intelligitur tota hominis conversio, sed sola contritio, id qvod probo ex canone illo Theologico: *Ubicunqve vocabulum μετάνοια in sacris ponitur absolutè, & solitariè, ibi omnes actus, & partes pœnitentiæ denotat, ubicunqve verò fidei opponitur, ibi solam denotat contritionem.*

Objectio III.

Scriptura pœnitentiam, per mortificationem, & vivificationem describit, *Ps. 34. v. 5.* Ergò.

Resp. Concedendo, si vocabula illa rectè accipiantur, mortificatio pro contritione, vivificatio pro fide.

LOCUS X. DE SACRA DOMINI COENA.

QVÆSTIO PRIMA.

An definitio Sacræ Cœnæ à Luthero tradita sit legitima? Affirm. Contrà:

1. Opponitur argumentum *Keckermanni*, & aliorum, qvia definitum, & definitio idem non incolunt prædicamentum.

Resp. I. Non opponitur argumentum hoc *Luthero*, sed *Ignatio* patri & sanctissimo, & antiqvissimo.

II. Est Elenchus compositionis, & divisionis. Non enim simpli-

citer dicit *Lutherus*, Corpus, & Sangvis, sed ad manducandum, & bibendum.

III. *Lutherus* Stylum Pauli est imitatus, vide. *1. Cor. 10. v. 16.*

IV. *Lutherus* arctissimam unionem Sacramentalem, qvæ est inter corpus, & panem, inter vinum, & sangvinem, hoc voluit exprimere.

V. Cur non etiam definitionem baptismi à *Luthero* traditam rejiciunt, cùm tamen in illâ etiam loco generis ponatur aqva &c. qvam tamen *Calvinus* non tantùm admittit, sed etiam repetit.

Objectio II.

Vitiosa etiam est qvoad Syntaxin. Dicit enim *Lutherus Institutum*, qvod vocabulum, si ad Sacramentum refertur, definitum ingreditur definitionem, si ad corpus, & sangvinem, est solœcismus.

Resp. I. Qvidam illud ad Sacramentum referunt, & *Lutherum* excusant hoc modo, qvod non posuerit definitionem, sed saltem descriptionem; Verùm minùs rectè, cùm Sacramentum non comedatur, sed in Sacramento corpus comeditur &c. Rectè igitur ad corpus refertur, & dicimus, phrasin hanc in S. Scripturâ esse usitatissimam. Sic *Gal. 3. v. 16.* dicitur: ἐν τῷ σπέρματί σου, ὅς ἐστι, &c. Imò si in ipso textu originali in baptismo illud non observatur, ut videre est è *Matth. 28. v. 19.* qvid ni *Luthero* illud concessum erit, pariter cum scripturâ loqvi?

II. Non opponitur hoc argumentum *Luthero*, sed *Philippo*, qvi est autor translationis, non *Lutherus*, qvi germanicè saltem conscripsit, ideòqve non *Lutherum*, sed ipsum *Philippum*, qvem tamen Socium suum, & excellentem Gramaticum nominant hoc argumento pungunt.

Instantia ad 1: Exempla illa sunt aliena, cùm in illis sit anomalia, non numeri, sed generis.

Resp. I. à majori ad minus valet consequentia. Si igitur anomalia generis, ut major, conceditur, etiam numeri, ut minor.

II. Si qvid *Luthero* opponitur, illud non in latina, sed germanicâ editione illi opponatur.

Objectio III.

Qvicqvid definitur, est in certo prædicamento; At Sacra cœna in nullo est prædicamento; est enim Ens per aggregationem. Ergò.

Resp. I. Ens per aggregationem per se in nullo est prædicamento, qvod

qvod conceditur, sed reductivè: Sic etiam Sacra cœna reductivè secundum partes suas 1. formales est in prædicamento actionis. 2. Materiales in prædicamento Substantiæ. 3. finales in prædicamento relationis.

II. Not. non qværitur hîc, an Sacramenta ratione materiæ possint esse in prædicamento substantiæ. 2. Non qværitur, in qvo prædicamento sint ratione finis, sed ratione formæ; nec 3. ratione medii applicantis, nimirùm fidei, nec 4. de Sacramentis ut prosint, sed ut sint; Et sic sunt in prædicamento actionis; de baptismo (simile sit etiam de cœnâ judicium) probo hoc argumento: Qvorum partes sunt in prædicamento actionis, eorundem totum; Jam partes baptismi sunt in prædicamento actionis, baptizare nimirùm aqvâ, & S. Trinitate. Ergò.

Instantia: Sacra Cœna non est definienda per actionem, qvia in S. Cœnâ non est una actio, sed actiones multæ. Ergò non per actionem, sed potius per actiones erit definienda.

Resp. I. Actiones illæ multæ unâ voce actionis generaliter indigitantur.

II. Sacramentum est Ens per aggregationem.

Objectio IV.

Ipsa Scriptura Sacramenta per relationem seu signum definit. *Gen. 17. v. 11. Rom. 4 11.* Ergò, & nos.

Resp. I. Ibidem, & *v. 10.* per actionem describitur.

II. Not. distinctas esse propositiones *v. 10. & 11.* Nam *v. 10.* loqvitur de circumcisione ipsa, *v.* verò *11.* loqvitur de salutari usu.

III. Sacramenta igitur in diversis esse possunt prædicamentis; in actionis ratione formæ, in relationis ratione usûs; in Substantiæ ratione substantiæ, vel materiæ.

IV. Dicitur autem circumcisio æternum fœdus, voce æternum restrictivè sumtâ; *vide v. 10.*

Instantia: Sacramenta V. T. si non sunt æterna, non etiam sunt moralia.

Resp. concedo. Sunt enim ceremoniæ, tales autem, qvibus Deus vult in nobis fidem confirmare.

II. Distingv. *inter ipsum fœdus gratiæ, & ritus.* Qvoad fœdus Sacramenta sunt moralia, & æterna, sed non qvoad ritûs.

QVÆSTIO SECUNDA.

An Impii manducent corpus Christi? Aff.

Contrà:

Objectio I.

Lutherani probaturi Impios participes fieri corporis & Sangvinis Christi, producunt exemplum Judæ, & dictum Augustini; Sed contra exemplum illud sic argumentamur:

Si Judas non interfuit S. Cœnæ, non etiam comedit corpus Christi. At prius est verum; continuò enim abiit post esum agni paschalis, *Joh. 13. v. 30.* Ergò.

Resp. I. *Augustinus* & alii non multi tamen patres sibi hac in re non constant, & potius in medio relinqvunt. Nos verò etiam Judam interfuisse S. Cœnæ, probamus hoc argumento:

Si biberunt omnes ex calice, etiam Judas. At prius constat ex omnibus Evangelistis. Ergò.

II. Loqvitur igitur Johannes non de actu momentaneo, sed qvod non longè post exierit, & respicit ad verba Christi præcedentia: Qvod facis, citiùs fac. *v. 27.*

III. Cum *Lucas cap. 1. v. 3.* testetur, se omnia ordine conscripturum, ideò illum qvoad ordinem magis seqvemur, ita, ut si qvid in aliis non rectè fuerit dispositum, ex illo explicabimus: Ille autem *cap. 22. v. 21.* scribit, Christum hæc verba locutum esse, cum Cœna jam esset instituta, & celebrata. *Johannes* igitur ibi non agit de Cœna, sed agno paschali.

Objectio II.

Sacramenta extra usum non sunt sacramenta: Impii extra usum Sacramentis utuntur. Ergò.

Resp. I. Sicut se habet res Sacramenti, ita etiam se habet usus ejusdem: Res autem S. Cœnæ aliqvando notat ipsum corpus, & sangvinem, aliqvando usum & fructum S. Cœnæ, ac remissionem peccatorum &c. Et sic intelligenda sunt Patrum dicta, qvæ nobis à Calvinianis opponuntur, qvando illi negant, impios participes fieri rei S. Cœnæ. Sic etiam usus Sacramenti aliqvando ipsum formale Sacramenti, actionem sc. notat, aliqvando finale; Sacramenta autem extra usum non finalem, sed formalem, non sunt Sacramenta.

II. Di-

II. Distingv. *inter usum, & usum salutarem*; hic, non ille denegatur impiis.

III. Propriis etiam Calvinianorum hypothesibus contrariatur. Negant enim carnem Christi (in loco de persona Christi) esse vivificam, & tamen impios propter abusum, id est, absentem fidem non vivificari à corpore Christi. Contradictio palpabilis: Corpus Christi vivificum in loco de Cœna Domini, non vivificum in loco de persona Christi.

Objectio III.

Dijudicatio, inqviunt Patres, non fit dente, sed mente; Impii non dijudicant corpus Christi, *1. Cor. 11. 29.* Ergò id non faciunt dente, sed mente.

Resp. I. Elegans est observatio *Flacii in libro de 16. demonstrationibus S. Cœnæ*, qvæ talis, qvod vocabulum ἔνοχος, qvando construitur cum genitivo, notet peccatum, & simul objectum ostendat, in qvod peccârunt, sicut hîc, *cap. 11. 1. Cor. v. 27.* Qvando verò cum Dativo, non de peccato, sed pœna esse intelligendum. Exemplum habemus *Matth. 5. v. 21. 22.* Ex hoc patet solutio argumenti.

II. *V. 27.* Describitur modus perceptionis impiorum; nimirum per manducationem indignam; Verùm *v. 29.* redditur ratio hujus indignæ manducationis, qvia non dijudicant corpus Domini.

Objectio IV.

Signum non est absqve signato, & qvi fiunt participes signi, fiunt etiam participes signati: Impii fiunt participes signi, nimirum totius Sacræ Cœnæ. Ergò & usus salutaris remissionis, nimirum peccatorum.

Resp. per Dist. qvòd signum accipiatur aut ratione materiæ, & sic signum sunt panis & vinum, signata verò Corpus & Sangvis Christi, & sic signum non est absqve signato, & cum impii fiunt participes signi, fiunt etiam participes signati, nimirum corporis & sangvinis Christi; aut sumitur ratione finis, & sic signum est totum Sacramentum, signatum remissio peccatorum; & sic signum esse potest absqve signato, & impii signi, non signati, fiunt participes.

Objectio V.

Illi tantùm corporis Christi fiunt participes, qvi unum in Christo cor-

pus sunt ex 1. *Cor. 10. v. 17.* At impii non sunt unum corpus in Christo. Ergò.

Resp. ad Majorem, illam limitando hoc modo: Illi tantùm fiunt corporis Christi scil. *Salutariter* participes, qvi unum in Christo corpus sunt. Sic conceditur totum argumentum.

Objectio VI.

Si indigni qvoqve accipiunt Corpus Christi, seqvitur, qvod Christus etiam habitet in illis. Sed hoc est absurdum, Ergò & illud.

Resp. Deus alicubi est, ubi non habitat. Habitatio enim Dei præsentiam gratiosam, τὸ *esse* verò universalem notat. Habitatio autem Christi describitur, *Joh. 17. 23. & 24.* Christus igitur est in impiis, sed non habitat in illis.

Instantia: Si Deus est in impiis, non est in illis Diabolus. Contraria enim non possunt simul esse in uno subjecto. At prius est verum; Ergò & posterius.

Resp. Major negatur. Negationis ratio consistit in *Psal. 110. 2:* Dominare in medio inimicorum suorum.

QVÆSTIO TERTIA.

An Christus vero suo corpore & sangvine in S. Cœna sit præsens, nobisqve comedentibus de pane & bibentibus de sangvine juxta institutionem illa verè & realiter exhibeat?

Aff. orthodoxi freti institutione Christi: Negant Calviniani.

Objectio I.

Memoria est rerum absentium; Christus instituit S. Cœnam in memoriam sui. Ergò.

Resp. I. Qvando Aristoteles memoriam absentium esse dicit, non intelligit hoc ratione rei, sed temporis.

II. Nec ipsa cœna est memoria Christi, cum sit instituta in memoriam Christi: Sicut igitur finis non est ipsum finitum: sic etiam S. Cœna non est ipsa memoria Christi, sed instituta in memoriam.

III. Propriâ monetâ Calvinianorum hîc solvere, & syllogismum hunc vitiosum esse facilè monstrare possemus, si rigiditate illâ, qvâ in nos utuntur, uti vellemus. Qvando enim Nostrates argumentum à dex-

dextra Dei formant tale: Dextra Dei est ubiqve: Christus secundum humanam naturam sedet ad dextram Dei. Ergò. Respondent, formam syllogismi esse vitiosam, cum sic esset assumendum: Christus est dextra Dei. Idem & nos hîc dicimus: Sic enim esset assumendum: Sacra Cœna est memoria. Ergò.

Objectio II.

Inter unita debet esse qvædam proportio. Inter panem & corpus nulla datur proportio. Ergò.

Resp. I. Aut loqvitur Minor de proportione corporis Christi ad panem, aut ad corpus nostrum. Si de proportione ad panem, negamus, nullam esse proportionem inter panem & corpus Christi, cum & panis sit corpus, qvamvis qvantitate physicâ constet, nec hæc etiam in hac unione reqviritur, cum unio sit Sacramentalis, ideòqve & talis esse debet proportio; qvalis enim unio, talis etiam proportio.

II. Vel si de proportione ad corpus nostrum loqvuntur, dicimus multòminus esse proportionem inter corpus Christi & fidem, & sic etiam spiritualis manducatio negaretur.

Objectio III.

Caro non prodest qvicqvam, *Joh. 6. 63.* Ergò.

Resp. I. Ipsi Calviniani propositionem non concedunt, excepto uno *Cinglio*.

II. Hoc si verum esset, & Christus de substantiali suâ carne loqveretur, sibi ipsi contradiceret, cum aliter de carne suâ, *v. 51. 53. & seqq.* testetur.

III. Respondeo ex Theologorum regula: *Ubicunq; caro opponitur Spiritui, ibi non de carne substantiali, sed carnalibus affectibus est sermo*, sicut hîc fit.

IV. Responsio igitur Christi hypothetica est hoc modo: Vobis, qvi tam carnaliter de manducatione mea sentitis, vobis, inqvam, carnalis vester sensus nihil proderit.

Objectio IV.

Capernaitarum hæc fuit doctrina, qvi Christum ore comedi putabant. Ergò à Christiano debet esse qvàm maximè aliena.

Resp. Ipsi Calviniani Capernaitæ sunt, qvod probo argumentis Calvinianorum, qvæ eadem sunt cum argumentis Capernaita-

naitarum. Vide *Cap. 6. Joh. v. 52. & v. 62.* qvod vaticinium est de Calvinistis, cum dicit Christus: *Qvid igitur, si videritis filium hominis?* &c. qvasi dicat: Si jam estis tàm increduli, qvid tùm fiet, cum ascensurus sum in cœlum: qvot opiniones, ac qvalis incredulitas erit apud vos futura.

Objectio IV.

Manducàtio in S. Cœna aut est Physica, aut spiritualis, aut est tertia qvædam ab his distincta, aut media inter has duas, ab alterutrâ aliqvid participans. Ergò.

Resp. I. Aut intelligitur argumentum de manducatione, cujus organon est os, & sic est manducatio oralis proprietate vocabulorum grammaticâ, non physicâ; aut de modo manducationis, qvi est vel sacramentalis, vel spiritualis.

II. Duplex est medium juxta *Scaligerum*; aliud per participationem extremorum, qvale medium inter spiritualem & oralem manducationem non est sacramentalis manducatio, aliud per negationem extremorum, qvale medium est sacramentalis manducatio, inter oralem & spiritualem.

III. Sicut *Joh. 20.* Thomas unâ visione dicitur vidisse Christum ut DEum, & dominum suum, & ut hominem: Sic nos in S. Cœnâ unâ manducatione panem, & corpus Christi ore percipimus.

Objectio V.

Qvalis alimonia, talis & manducatio. Illa Spiritualis. Ergò.

Resp. I. Notandum hîc est, qvod cùm novelli Reformatores Berlinenses clamitent, nos qvotidiè in templis nostris canere, & manducationem Spiritualem publicè profiteri, dum in cantione illâ Germanicâ: Christ lag in todes Banden. ꝛc. ℣. ult. Er speiset unsre Seel' allein/ vocabulum allein/ solùm, non referri ad animam, sed ad Christum, ita ut sensus sit: Solus Christus nos cibat, &c.

II. Ejus est remedium, cujus est morbus: morbus autem non est solius animæ. Ergò nec remedium, sed illo totus homo fruitur secundum corpus, & animam.

Objectio VI.

Si Christus in Sacrâ Cœnâ comeditur, aut totus comeditur, aut pars; Non totus, nec pars, aliàs unio solveretur.

Resp.

Resp. Christus consideratur aut in verbo audibili, & sic objectum fidei est totus Christus, aut in visibili, & sic respiciendum ad verbum Institutionis; Hoc modo juxta Christi institutionem non procedit argumentum, cum ipse aliter instituerit.

Objectio VII.

Qvo dogmate separatur corpus Christi à Sangvine, illud pro vero non est habendum: At hoc dogmate, qvod corpus Christi sit sub pane, & sangvis sub vino, separatur Corpus Christi à sangvine. Ergò!

Resp. Distingvendo *inter distinctionem sacramentalem, & separationem naturalem*; illa, non hæc conceditur in sacrâ Cœnâ. Christus enim ita in Sacramento instituit, & distinxit. Ergò institutioni ejus est inhærendum.

Objectio IIX.

Tale corpus hîc intelligitur, qvod pro nobis fuit fractum, teste Apostolo: Sed corpus Christi non fuit fractum. Ergò tale corpus hîc non intelligitur, sed potiùs spirituale; Et per consequens spirituale corpus manducatur.

Resp. Distingv. *inter fractionem propriè, & metaphoricè dictam*; hæc, non illa intelligitur; qvam nos ex Apostolo probamus; Qvidam verò ex *Joh. 2. 19.* etiam illam probant, sed minus rectè, cùm ibi non *frangite*, sed λύσετε *solvite* extet.

Objectio IX.

Si tale corpus nobis datur, qvale fuit Corpus Christi, tunc sequitur, qvod corpus mortale & passibile nobis in S. Cœna detur.

Resp. Distingv. *inter Corpus* τῦτο, *&* τοιῦτο; de illo, non hoc est qvæstio.

Objectio X.

Unitorum eadem est ratio: Qvicqvid igitur de pane dicitur, illud etiam de corpore dicendum erit; Jam de pane dicitur, qvod transferatur de loco in locum. Ergò etiam de corpore hoc dicendum erit.

Resp. I. Generaliter hoc non esse verum. Probatur exemplo animæ & corporis. Non enim omnia, qvæ de animâ dicuntur, de corpore qvoqve dicuntur, & contra.

II. Intelligendus est hic canon vel in ipsa unione, vel post unionem, non ante unionem. Qvod verò dicitur, panem de loco in locum moveri, illud fit ante unionem.

III. Qvando verò à nonnullis orthodoxis dicitur, qvod qvicqvid de pane dicitur, etiam de corpore esse dicendum, illud intelligendum est de actionibus in ipsa unione, manducatione scilicet & bibitione.

Objectio XI.

Signum non potest prædicari de signato; Panis est signum. Ergò.

Resp. Utimur hisce vocabulis non sensu Calvinistico, sed Apostolico, & Ecclesiastico; ille enim *Rom. 4. 11.* nominat Sigillum, qvod *Gen. 17 v. 11.* nominatur signum, undè Ecclesia Sacramenta signa nominavit non merè significantia, sive obsignantia, sed exhibentia, & pertinet non ad formalem, sed finalem actionem.

Objectio XII.

Si Christus suo corpore & sangvine essentiali toties exhibetur, qvoties homines utuntur S. Cœnâ, seqvitur, aut illos non habere Christum, cum illum in pane comedunt, aut si habent, non opus esse, ut denuò illum comedant. Antecedens est verum. Ergò & Conseqvens.

Resp. I. Retinent Christum spiritualiter, accipiunt rursum sacramentaliter.

II. Unio sacramentalis post acceptionem non durat, sed tunc fit unio inter corpus Christi, & corpus nostrum, qvæ est spiritualis.

III. De mysterio hoc non est judicandum ex nostrâ corruptâ ratione, sed verbo Dei in scriptura tradito.

Objectio XIII.

Christus præsentiam suam discipulis suis probaturus, se illis palpandum, & videndum præbet, *Luc. 24. 39.* Ergò & hîc fieri deberet, si adesset.

Resp. Distingv. *inter ea, qvæ Christus fecit ex necessitate, & qvæ fiunt ex singulari οἰκονομίᾳ seu dispensatione divinâ*; Ad posteriora, non priora hoc Christi factum referendum est, cum & statim postea ἀφαντον, & invisibilem se reddiderit.

QVÆ-

QVÆSTIO QVARTA.

An Cap. VI. Johannis agat de spirituali manducatione? Aff.

Objectio.

In spirituali manducatione actiones non distingvuntur, ita ut aliud sit manducatio, aliud bibitio: Hîc autem *v. 53. & 54.* distingvuntur. Ergò.

Resp. I. *Osiander in glossis Biblicis* versionem esse vitiosam ait, & se vidisse exemplar, ubi non legeretur: *Qvi ederit carnem meam, & biberit*, &c. Sed, *qvi ederit, aut biberit*; ideoqve juxta Osiandrum esset vitium typographicum. Verùm simplicior & verior videtur responsio, si dixerimus, his verbis Christum loqvi de Cœna Dominicâ. Singulari enim utitur emphasi, qvando dicit & loqvitur non in præsenti, *qvi edit*, sed in futuro, *qvi comederit, dabo vobis*, &c. qvibus verbis Christus ad futuram Cœnam respicit. Qvare

II. Dico, distingvendum esse *inter fundamenta, qvæ pertinent ad substantiam Cœnæ, & inter illa, qvæ pertinent ad salutarem usum & fructum*; Priora debent peti ex verbis institutionis, sed posteriora ex hoc capite 6.

III. Sunt etiam, qvi dicunt, *edere* hoc loco nihil aliud esse, qvàm bibere, & vice versa, id qvod indè probant, qvia Christus sæpe in hoc capite alterutrum omittit, qvod tamen in actione S. Cœnæ non fit, nec fieri debet.

QVÆSTIO ~~SEXTA~~. QVINTA.

An Christus præsens sit in S. Cœnâ ad modum dextræ Dei? Aff. F. C. Contra.

Si Christus adest in S. Cœna ad modum dextræ Dei, seqvitur, illum in prima cœna non fuisse præsentem, cùm nondum ad dextram Dei fuerit exaltatus. Consequens est absurdum. Ergo.

Resp. I. Ex sententia *Brentii*, qvi Christum ab ipso momento unionis ad dextram sedisse scribit. Et cùm dextra Dei nihil aliud sit, qvam Dei Majestas, & potentia infinita, ad qvam cum Christus in ipsa unione fuerit exaltatus, seqvitur, ipsum in primo convivio pro modo dextræ Dei fuisse præsentem.

II. Loqvitur *Form. Concord.* non de ista præsentia, qvæ ex ses-

sione, verùm ex institutione Christi dependet.

III. *Form. Concordiæ* respicit magis ad tempora præsentia, & præterita, qvàm futura.

QVÆSTIO SEXTA.

An Laicis sub una specie S. Cœna sit porrigenda?

Neg. Contrà:

Mos ille fuit usitatus apud Veteres Patres. Ergò non debet abrogari.

Resp. I. Negatur antecedens; Non enim fuit vetustus mos, sed recens in Concilio Constantiensi (Lutherus vocat Obstantiense) publicè fuit in Ecclesiam introductus, & hoc Concilio non obstante dicimus, Patres de hoc furto omninò nihil sciviſſe.

II. Cum à Nostratibus urgetur institutio Christi sub utraqve specie, respondet *Becanus*, distingvendum esse *inter institutionem*, & *mandatum*: Institutam qvidem esse cœnam sub utraqve specie, verùm non omnibus, ut sic porrigatur, mandatum esse. R. Falsa narrat Jesuita. Institutio enim hæc adjunctum etiam habet madatum. Addit enim Salvator: *Hoc facite*, &c. Præterea in prima illa cœna Apostoli repræsentarunt totam Ecclesiam communicantium, haut verò ordinem sacerdotalem. Pro tota ergò Ecclesia integrum hoc Sacramentum fuit institutum, haut verò pars illius.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Qvid de fractione panis sit sentiendum?

Resp. Verus status controversiæ primùm est formandus. Non enim qværitur, an panis sit frangendus? Omninò enim hoc reqviritur ad distributionem. Concedimus etiam, panem in ipsa actione (salva tamen libertate Christianâ) frangi posse; Interim tamen, ut cum scandalo, & in gratiam Calvinianorum in Ecclesiam introducamus, non est, qvod nos urgeat.

Verus igitur status controversiæ hic est: An fractio panis in S. Cœna sit necessaria ad adumbrandam fractionem Christi in cruce? N. Orthodoxi, Aff. Calviniani.

Obje-

Objectio.

Ex *1. Cor. 11. v. 24.* ubi corpus Christi pro nobis dicitur fractum. Ergò.

Resp. I. *Lutherus*, & alii nonnulli illud *frangitur* explicarunt per distribuere, qvam responsionem non rejicimus. Alii dicunt, Paulum hîc respexisse ad verba institutionis Christi, qvi dicit, qvod pro nobis traditur, & sic frangi metaphoricè significare, in mortem ignominiosissimam tradi, qvalis solet esse mors illorum, qvorum crura franguntur. Undè etiam *Es. 53. v. 4.* dicitur *attritus. Dan. 9. v. 26. excisus*, &c.

Instantia 1: Ergò erit Metaphora in verbis institutionis, cum tamen nullum tropum Nostrates admittant.

Resp. In verbis fundamentalibus nullus admittitur tropus, non verò in circumstantialibus.

Instantia 2: Ergò Christo loqvendum fuisset non traditur, sed tradetur.

Resp. Usitatissima est permutatio temporis futuri pro præsenti, vel ob certitudinem, vel qvia jam jam Christus erat tradendus in mortem.

QVÆRITUR

Qvid de vocabulo frangendi in specie sit sentiendum?

Vocabulum hoc aut usurpatur (in loco de Cœnâ) de corpore Christi, aut de pane: Si de corpore, ut *1. Cor. 11. v. 24.* tunc rectè explicatur de morte Christi ignominiosissimâ, præeunte ipso *Lucâ c. 22. v. 29.* cum de pane usurpatum legitur, tunc aliter usurpatur à *Paulo*, aliter à *Luca*. Apud *Paulum* bis extat *1. Cor. 10. v. 16. & cap. 11. v. 24.* & utrobiqve significat non comminutionem in partes, sed distributionem inter communicantes; qvod probo 1. de priori loco ex *cap. 10.* Talis intelligitur panis, qvi fit per illam fractionem communicatio corporis Christi. Jam verò panis comminutus in partes, non est communicatio corporis Christi, sed distributus fit communicatio corporis Christi, cùm actio sacramenti hujus non consistat in illâ fractione, sed δόσει & λήψει. Ergò. De posteriori, nimi-

rùm ex *cap. 11. v. 24.* probatur hoc modo; qvia nisi vocabulum hoc *fregit* explicetur per distribuit, seqveretur, Apostolum principalem actionem in descriptione historiæ S. Cœnæ omisisse, & minus principalem actionem posuisse, nimirùm fractionem in partes. Distributio enim est principalis actio, & essentialis pars Sacræ Cœnæ. At hoc dicere, Apostolicum non esset. Ergò meliùs explicatur de distributione, qvàm comminutione. Apud *Luc.* autem *cap. 22.* explicandum est per fractionem propriè sic dictam, qvia, nisi hoc fiat, committeretur tavtologia, nimirùm distribuit, & dedit, nam particula *dedit* apud *Lucam* extat, apud *Paulum* verò non; ideòqve hæc ratio diversitatis est.

QVÆSTIO OCTAVA.

De Sacrificio Missæ Pontificiorum.

Objectio I.

Hebr. 13. v. 10. dicitur, qvòd habeamus altare. Ergò etiam ex doctrinâ relationis habeamus sacrificium in N. T. necesse est.

Resp. I. Illud in V. T. non procedit, multò minus in N. T. Legitur enim *Jos. 4.* Josuam ædificasse altare, in qvo tamen nulla offerebantur Sacrificia.

II. Habetur in Græco Θυσιαστήριον: qvod si ex hoc vocabulo Sacrificium inferre licet, etiam illud non tantùm in militante, sed etiam triumphante Ecclesiâ erit, qvia idem vocabulum *Apoc. 6. 7. 8. 9. & seqq. cap.* usurpatur.

III. Ex *v. 15. 16.* Qvale Sacrificium, tale etiam altare: sacrificium autem est Spirituale. Ergò & altare, qvod est Christus.

IV. Nec hoc argumentum ferit statum qvæstionis. Non enim qværitur, annon etiam in N. T. sit Sacrificium? ultrò enim illud concedimus, esse Spirituale, & externum, nimirùm unicum illud Christi in ara crucis: Sed hoc qværitur, an detur tale sacrificium propitiatorium, in qvo pro peccatis hominum Deo qvotidiè offeratur aliqvid? Hoc negamus.

Objectio II.

Act. 13. v. 2. legitur, qvòd Apostoli sacrificarint domino; & in institutione Christus dicit: *hoc facite*, qvod sæpè pro sacrificare usurpatur.

Resp.

Resp. I. ad posterius; Qvod sæpè ab illis sit postulatum, ut unicum exemplum proferant, qvo vocabulum ποιεῖν sacrificare significet; nondum autem id fuit factum.

II. Nec etiam *ex hoc facere* Sacrificium probari posse inde constat: Qvia illud facere pertinet ad omnes communicantes, hoc verò Sacrificare ad solos rasos Pontifices vel Missifices.

III. Ad dictum *Act. 13.* Resp. 1. Qvod ipsa vulgata versio hîc retineat vocabulum ministrare; ab hâc autem non recedere licet sub anathematis fulmine, qvippè id fuit prohibitum, ita, ut ab hâc vulgatâ versione non sit licitum ad fontem græcum provocare.

IV. Vox igitur illa ad ministerium, sive officia Ecclesiastica rectè refertur, & sic sæpiùs usurpata legitur.

QVÆSTIO NONA.

An benedictio illa, qvæ fit à Ministro per recitationem verborum Christi, sit necessaria? Aff. Contrà.

Objectio I.

Ceremonia magica est abroganda; Benedictio, & recitatio certorum verborum talis est. Ergò. Nam recitationi illi verborum Christi hoc assignatur, qvod tunc panis fiat corpus Christi.

Resp. I. Qvoniam Lapsus hic est facilis, cautè est ambulandum, ne in castra vel Calvinianorum, vel Pontificiorum incidamus. Illorum qvidem, qvi benedictionem dicunt esse gratiarum actionem, vel esse Orationem illam, qvæ extat *Joh. 17.* ut *Piscator*: Horum, ne artem magicam ex hâc benedictione faciamus (qvam ipse *Gerson* magiam vocavit.) Dicimus igitur, benedicere hîc esse nihil aliud, qvàm Elementa illa ab usu illo profano ad usum sacrum transferre.

II. Ad argumentum autem respondemus, distingvendo *inter vim verborum absolutam, & ordinatam*: hanc nos concedimus, illam Pontificii astruunt, nos minimè: Unde eleganter *Chrysost. ex Gen. 1.* hæc deducit: qvod sicut vi benedictionis illius adhuc omnia fiant, generentur, & procreentur: Sic etiam vi institutionis adhuc Sacra Cœna peragitur. *Instantia*: Ergò qvantitatum aliqva erit vis, nimirùm literis illis, & Syllabis aliqva efficacia attribuetur!

Resp. Non literis, & syllabis, sed benedictioni attribuimus, qvæ inter actiones sacramentales referuntur. Unde etiam qværitur hîc,

anne si benedictio illa per recitationem verborum Christi facta omittatur, vera peragatur cœna? Resp. qvod non; Non enim S. cœna est actio muta, sed accedat verbum ad Elementum, inqvit *Augst.* & fit Sacramentum, & sicut baptismus ritè, & rectè non administratur sine verborum recitatione, sic etiam S. Cœna.

Objectio II.

Si S. Cœnæ formale, actio nimirum, consistit saltem in δόσει & λήψει, seqvitur benedictionem illam non esse necessariam. At prius est. Ergò.

Resp. I. Qvod benedictio hæc referatur ad δόσιν, qvia per illam omnes actiones ministri intelliguntur, & actiones illæ non sunt disjungendæ, sed conjungendæ.

II. Qvod benedictio illa sit Sacramentalis, qvalis etiam manducatio.

Objectio III.

Manducatio refertur non tantùm ad panem, sed etiam ad corpus. Ergò etiam benedictio.

Resp. Negatur. Actiones enim non sunt ejusdem generis: benedictio enim competit pani, & vino solùm, manducatio verò pani, & corpori, & bibitio vino, & sangvini.

Objectio IV.

Qvod Christus non instituit, nobis etiam non est faciendum. Benedictionem Christus non instituit. Ergò.

Resp. Distingvendo *inter actiones, qvas Christus directè, & qvas indirectè instituit*: Hujus generis est benedictio, Illius manducatio, & bibitio.

Objectio V.

Est etiam ceremonia illa inutilis, & vana, eò, qvod bis repetitur, semel in ipsa actione, & semel in ipsâ porrectione.

Resp. Repetitio illa est specialis applicatio ad individua; illa verò in ipsâ benedictione est generalis.

QVÆSTIO DECIMA.

An in verbis S. Cœnæ sit tropus? Neg. Contra:

Objectio I.

Ex locis similibus *Exod. 12. v. 13.* ubi Agnus dicitur Phase, non autem est ipsum pascha, sed signum paschatis.

Resp.

Resp. I. Notandum, qvod dupliciter illa propositio in *12. cap. Exod.* proponatur; aliter enim proponitur *v. 11.* aliter *v. 27.* qvæ duæ unâ solutione non debent, ut qvidam faciunt, solvi, sed 1. Respondendum est ad *v. 11.* qvod scil. ibi non extet, qvòd agnus sit Phase Domini, sed qvod Phase Domini, h. e. transitus Domini jam instet: Verùm *v. 27.* loqvitur de tota festivitate illius festi, sicut nos dicere solemus: Cras erit pascha.

II. *Lutherus* contra *Cinglium* annotavit in Originali non esse copulam, ideoqve etiam non esse ibi tropum in copula qværendum.

Objectio II.

Particulæ *In*, *Cum*, *Sub* subinnuunt, verba non sumi propriè, sed tropicè.

Resp. Distingv. I. *inter additionem, & explicationem*; non est hæc additio, sed explicatio, eo modo, qvo ipse Paulus illud, *Christus est Deus*, explicat, *in Christo est Deus*, *2. Cor. 15. v. 19.*

II. Distingv. *inter literarum numerum, & sensum*; Calviniani non sensum retinent, sed verbalem in tropicum mutant; Nos sensum retinemus, & aliis saltem verbis explicamus, idqve tùm ob fraudem Calvinisticam, tùm ob transsubstantiationem papisticam vitandam.

III. *1. Cor. 10. 16.* dicit Apostolus, panem esse communicationem corporis Christi; qvod, qvid aliud est, qvàm cum pane exhiberi corpus Christi? Hæc itaqve explicatio non est Ecclesiastica tantùm, sed etiam Apostolica.

IV. Si in re ipsâ consensus esset inter nos, facilè illis de particulis nullam moveremus litem.

QVÆSTIO SECUNDECIMA.

An particula *hoc* in verbis institutionis toto suo complexu notet, & panem, & Corpus Christi? Aff. Contrà:

Objectio I.

Propositio hæc, si resolvatur, est nugatoria, nimirùm panis, & corpus Christi est corpus Christi. Ergò est vitanda.

Resp. I. Hoc modo hæc nugatio non nobis, sed ipsi Christo esset ascribenda.

II. Absurdum etiam est in ipsa Schola Calvinianorum, si per *Hoc* intelligatur panis solus, qvod sic probo: *Edere* explicant illi per *crede-*

dere; edere autem debemus illud, qvod Christus vocabulo *Hoc* indicavit, illud autem ex dictâ hypothesi est panis; Ergò in panem debemus credere; Absurda absurdissima!

Objectio II.

Propositio hæc resolvitur in illam; Panis est corpus, & in illa vocabulum *Hoc* resolvitur in solum panem.

Resp. I. Distingv. *inter propositiones Ecclesiasticas, & Scripturæ*; illa est Ecclesiæ, hæc Scripturæ, & illa est ex hac, non hæc ex illa examinanda.

II. Distingv. *inter propositionem, & propositionis resolutionem.*

Objectio III.

Ipse *Lutherus* per *hoc* intelligit panem. Ergò.

Resp. *Luthero* res fuit cum Carolstadio, qvi per *hoc* intelligebat solum corpus Christi: *Lutherus* ergò conjungebat.

QVÆSTIO DUODECIMA.

An panis & vinum in S. Cœna in corpus & sangvinem Christi transmutentur? Neg.

Patres unanimi consensu transmutationem illam docent, qvod probatum videtur à *Bellarmino*, qvi operosus est in hoc; Ergò non temerè à Patrum testimoniis est discedendum.

Resp. I. Est homonymia in vocabulo Patrum. Variè enim illud à Theologis papisticis, & aliis sumitur. Hoc loco sufficiat, patribus illos non annumerari, qvi à qvarto post Christum natum Seculo vixêre; Ratio est, qvia Ecclesia tunc paulatim à puritate sua descivit. Pleraqve ergò *Bellarmini* testimonia patrum (ut vocat) *Ambrosii, Bernhardi, Gerson.* &c. vacillant, utpotè qvos nos non pro patribus agnoscimus, adeoqve testimonia illorum simpliciter non recipimus, & ratio est, qvia illi mentem suam exprimere ausi non fuerunt, ob juramentum in officio presbyterii præstitum, qvo se Romanæ Ecclesiæ ita obstringebant, ut omnia ad nutum Papæ dicere, & scribere coacti fuerint.

II. Est etiam homonymia in voce transmutari; in reliqvis patrum (qvi ante *Gregorium primum* vixerunt) testimoniis à *Bellarmino* allegatis, eodem sensu illi vocabulum transmutationis sumserunt in hoc articulo

culo, qvo in articulo de persona Christi, in qvo freqventer delectati sunt hoc vocabulo. At ibi ita usurparunt, non qvod humana natura essentialiter sit conversa in divinã naturam, sed qvod idiomata divina præ reliqvis hominibus illi fuerint communicata. Sic etiam hoc loco usurparunt, non pro essentiali panis in corpus conversione, sed pro separatione ab usu communi, & translatione ad usum Sacramentalem. Et probatur hoc indè, qvia antiqvitùs in usu fuit, reliqvias hostiarum comburere, & non ad ægrotos portare. Qvod si autem in corpus Christi fuerint conversæ, & illi ita docuerint, sanè impium fuisset, corpus Christi comburere.

III. Not. Propositiones personales esse conferendas cum Sacramentalibus. Sicut igitur in illis, ut cum dico: Deus est homo, non est transmutatio, sed unio personalis; Sic etiam cum dico, Hoc est corpus, non est transmutatio, sed unio Sacramentalis.

LOCUS XI. DE PRÆDESTINATIONE.

QVÆSTIO PRIMA.

An de hoc articulo sit disputandum? Aff. Contra:

Objectio I.

Mysteria Dei sunt imperscrutabilia, undè etiam Apostolus exclamat, *Rom. 11. O altitudo!* &c. Tale verò est hoc mysterium. Ergo.

Resp. I. *Lutherus* distingvit *inter Deum revelatum, & absconditum*, sive ut est in prædicamento relationis, & substantiæ: Deum in verbo revelatum scrutari debemus in suo verbo *Joh. 5. v. 39.* & ut est in prædicamento relationis, non verò absconditum, ut est in prædicamento substantiæ,

II. Mysteria sunt imperscrutabilia rationi; ideoqve ratione nostrâ illa perscrutari non debemus, inde tamen diligens scrutatio in verbo non est prohibita, sed ea tantùm, qvæ fit extra verbum. Ideoqve,

III. Exclamatio illa Paulina opponitur non veritatis assiduæ investigationi, sed curiosæ scrutationi.

Objectio II.

Doctrina illa homines ad desperationem adigit, cùm nesciant, an sint in numero Electorum, an verò non. Ergò.

Resp. I. Seqvitur illa desperatio non ex doctrina orthodoxa de hoc articulo, sed ex absoluto illo decreto Calvinianorum, qvi illam electionem absqve omni medio fieri solo Dei beneplacito blasphemant.

II. Ex nostra verò doctrina summa potius prodit consolatio, cùm sciamus, decretum illud Dei de hominibus fide salvandis esse immutabile.

QVÆSTIO SECUNDA.

An prædestinatio, & præscientia differant? Aff.

Contrà:

Objectio.

Qvæ inter se convertuntur, illa sunt unum, & idem: At præscientia, & prædestinatio inter se convertuntur, teste Apostolo *Rom. 8. v. 29: Qvos præscivit, illos etiam prædestinavit*; in qvâ catenâ posterius semper includit prius. Ergò.

Resp. I. Nusqvàm in S. Scripturâ neqve specialiter, neqve generaliter vocabulum scientiæ cum prædestinatione convertitur. Priori enim modo differunt, ut latius, & strictius; cùm illud etiam malis competat, hoc verò solis bonis, & electis: Posteriori modo differunt ut prius, & posterius, ut patet ex textu.

II. Ad dictum Pauli: Ibi agitur de præscientiâ speciali: ex qvâ tamen minimè seqvitur, illam, & prædestinationem esse unum, & idem, qvamvis hîc convertantur, sed potiùs contrarium seqvitur; Qvod si enim essent unum, & idem, esset prædicatio identica, qvæ est nugatoria.

QVÆSTIO TERTIA.

An rectè Theologi nostri ex vocabulo reprobationis desumant argumenta contra Calvinianorum decretum absolutum? Aff. Contrà:

Objectio.

Sicut Theologi nostri argumenta illa, qvæ ex vocabulo Sacramenti à Calvinianis producuntur, ideò non recipiunt, qvia vocabulum illud sit Ecclesiasticum, & non reperiatur in sacris: Sic etiam inferre possumus, ex vocabulo reprobationis, argumenta desumi non posse,

posse, cùm & illud Ecclesiasticum sit, & nullo in S.S. loco hoc sensu reperiatur.

Resp. I. Distingv. *inter argumenta, qvæ ducuntur ex ipsâ voce, & ex vocis re:* Calviniani non ex ipsius vocis origine argumenta desumunt, sed ex re ipsâ. Dicunt enim panem, & corpus esse signa, & ideò Sacramentum dici: ideoqve primariò ex ipsâ re, non verò voce, argumenta desumunt. Nostri verò, contra *Huberum*, & alios argumenta ex vocabulo reprobationis ejusqve Etymologiâ desumunt, non verò primò ex re significata, ut Calviniani faciunt.

QVÆSTIO QVARTA.

An meritum Christi sit universale? Aff. Contrà:

Objectio I.

Christus mortuus est pro ovibus, *Joh. 10. v. 11.* Impii non sunt oves Christi, 1. qvia non audiunt vocem Christi, nec seqvuntur eum. 2. nec sunt ipsius Christi, &c. Ergò.

Resp. I. per oves etiam impios ibi intelligi ex textu constat, cui addimus hanc distinctionem: *inter meriti Christi acqvisitionem, & applicationem:* Illa hìc tribuitur ovibus, per qvas etiam impii intelligi constat ex *Es. 53. v. 6. 1. Pet. 2. v. 24.* Hæc verò non. 2. Distinctionem hanc ipse Christus innuit diversis locutionibus, versu nimirum 15. ubi ipsi sermo est de acqvisitione meriti; ibi non dicit, *pono animam meam pro ovibus meis*, sed simpliciter *pro ovibus. v.* verò *14. & 26. & 27.* agit de applicatione meriti, & ibi addit particulam illam *meis.* *Brentius*: De omnibus tàm piis, qvàm impiis dicit *oves*, de piis, & electis *oves meæ.*

Objectio II.

Omnis reconciliatio includit fidem: Impii non habent fidem. Ergò non sunt patri reconciliati.

Resp. Distingv. *inter reconciliationem sufficientem, & efficientem*; illa respicit omnes homines æqvè pios ac impios, hæc solos pios.

QVÆSTIO QVINTA.

An Deus absolutè velit homines salvos fieri? N.

Contrà:

Objectio

Deus voluntate antecedente vult omnes homines salvos fieri: illa autem est absoluta, Ergò!

Resp. Voluntas antecedens dicitur absoluta *vel in schola Augustini*, vel *in schola Lutheri*, vel in *Schola Jacobi Andreæ, & Brentii*: *Lutherus* absolutam, & relatam voluntatem eandem vocat, qvamvis modis qvibusdam diversis considerandi sint distinctæ. *Jacobus Andreæ & Brentius* absolutam voluntatem vocant legalem, relatam verò Evangelicam, eò, qvod non absolutè, sed in Christo sit radicata. *Augustinus* verò voluntatem absolutam vocat eam, ad qvam semper seqvitur effectus, & hanc nominat volitionem: relatam verò, ad qvam non semper seqvitur effectus, ~~& hanc nominat volitionem: relatam verò, ad qvam non semper seqvitur effectus~~: Voluntas igitur antecedens non dicitur absoluta propriè, sed universalis. Sic etiam de voluntate signi, & beneplaciti aliter loqvitur *Lutherus*, aliter *Brentius*, aliter *Calviniani*. *Lutherus* per voluntatem signi intelligit voluntatem Dei revelatam in verbo: Beneplaciti dixit certos nonnullos casus, qvi sæpè oriuntur, qvorum causæ nos latent, Deo verò notæ sunt: *Brentius* voluntatem signi vocavit voluntatem revelatam in lege, qvæ nobis illam qvasi signat, & ob oculos ponit: per voluntatem beneplaciti intellexit voluntatem Dei revelatam in Evangelio: *Calviniani* per hanc talem intelligunt, qvâ Deus externè aliqvid se velle significat, qvod tamen internè non vult.

QVÆSTO SEXTA.

An Electio sit universalis? N. Contrà:

Objectio I.

Sicut vocatio est universalis, ideò, qvia Deus omnes vult vocari: Sic etiam Electio erit universalis, qvia Deus vult omnes homines eligi. At prius est orthodoxorum. Ergò.

Resp. I. Vocatio dicitur universalis non tantùm ratione Dei volentis, sed etiam ipsius actûs voluntatis. Vide *Phil. Nicol. p. m. in lib. de regno Christi. cap. 2.*

II. Qvi igitur dicunt, vocationem dici universalem, qvia Deus velit &c. dicunt qvidem verè, sed non sufficienter: addendus enim est ipse actus vocantis Dei.

Objectio II.

Si vocatio est universalis, etiam electio erit talis, qvia hæc duo connectuntur inter se. *Rom. 8.* qvos enim vocavit, hos etiam prædestinavit. At prius. Ergò.

Resp.

Resp. Observat *Brentius*, qvod Apostolus in toto hoc capite freqventer gaudeat Hebraismis. Sic v. 26. Spiritus S. dicitur intercedere pro nobis gemitibus &c. non qvasi ipse mediator sit inter nos, & Deum, sed qvia ipse facit nos orare. Sic & hîc præterito utitur pro præsenti, vocavit pro vocat, glorificavit pro glorificat &c. Sic etiam hîc vocationem more Hebræorum (qvi latius sæpè ponunt pro angustiori) non intelligit generalem illam, sed specialem, & gratiosam. Causa autem, qvare tàm freqventer in hoc capite usurpentur Hebraismi, hæc tradi potest, qvia *cap. 9. 10. 11.* acturus erat de rejectione Judæorum temporali, de qvâ ut meliùs cum illis posset agere, hoc ipso capite stylum suum dirigit ad eos.

Objectio III.

Christus non oravit pro mundo, *Joh. 17. 9.* Ergò non pro omnibus satisfecit.

Resp. Distingv. *inter orationem propheticam, & sacerdotalem.* Orat pro omnibus ut Sacerdos, non verò pro omnibus ut Propheta, & de hâc oratione loqvitur hîc Christus.

II. *Lutherus* observat, & aliter locum hunc explicat, cum dicit, *non oro pro mundo, id est, non oro, ut mundus in malitiâ illâ perseveret, sed ut Electi in fide suâ perseverent.*

Objectio IV.

Qvicunqve sunt baptizati, Christum induerunt, *Gal. 3. 27.* qvicunqve autem Christum induerunt, sunt Electi. At multi reprobi sunt baptizati. Ergò!

Resp. I. Propositio vera est de Electione ad gratiam, non ad gloriam.

II. Propositio hæc: Soli baptizati sunt Electi, & proindè in Ecclesiâ; aut sumitur sensu orthodoxo, aut sensu papistico. Posteriori modo usurpat *Bellarminus*, dum illos, qvi qvasi modogeniti dicuntur, dicit non fuisse in Ecclesiâ, eò qvòd non fuerint baptizati; Verùm sic populus Judaicus vel ante institutam circumcisionem, vel in deserto non fuisset in Ecclesiâ, qvæ falsa esse, qvilibet videt.

QVÆ-

QVÆSTIO SEPTIMA.

An Electi possint excidere gratiâ Dei? Aff: cum distin. qvòd Electi possint excidere gratiâ Dei non finaliter, sed totaliter: Renati contrà, & totaliter, & finaliter. Contrà:

Objectio I.

Ex *Joh. 17. v. 6. & 12.* Qvicunqve sunt Christo dati, illi sunt Electi: Judas Christo fuit datus, & tamen excidit finaliter gratiâ Dei; Ergò.

Resp. I. Judas fuit filius perditionis. Ergò non fuit electus. *v. 12.*

II. Non omnes, qvi sunt dati Christo, sunt Electi; aliàs enim omnes homines essent electi, qvia Christo omnes sunt dati.

Objectio II.

Qvi sunt inscripti libro vitæ, illi sunt electi: Qvi sunt inscripti libro vitæ, possunt rursùm deleri de libro vitæ. *Psal. 89. v. 29.* Ergò qvidam electi possunt deleri de libro vitæ finaliter.

Resp. I. *Luiberus* homines de libro vitæ deleri dicit, qvando jam iram Dei in hac vita & vindictam divinam sentiunt, qvæ responsio probari potest canone illo vulgato: *Res dicuntur esse vel fieri, qvando declarantur.*

II. *Tubingenses, & Brentius* deleri de libro vitæ explicant per excommunicationem ex Ecclesia, qvando homines impii ex illa exterminantur.

III. Nos respondemus ex *Apoc. 14.* deleri de libro vitæ esse idem, qvod non inscribi: Et est vox hæc non Davidis, sed ipsius Christi ad impios.

Objectio III.

Ex *Exod. 32. v. 32.* ubi Moses vult deleri è libro vitæ. Ille autem fuit electus. Ergò.

Resp. Locutio hæc Mosis est conditionalis; Illa autem nihil ponit.

II. Sunt, qvi per librum illum scriptum intelligunt Scripturam S. qvæ sententia tolerari potest.

Objectio IV.

Ex *Rom. 9. 3.* ubi Apostolus optat anathema esse pro fratribus. Ergò.

Resp.

Resp. I. per anathema ibi non intelligitur anathema spirituale, sed rejectio temporalis, qvod probatur ex eo, qvia Paulus agit hîc de rejectione Judæorum temporali ex Ecclesiâ.

II. Alii dicunt, per anathema hîc intelligi motum heroicum; A motu autem heroico ad exempla qvotidiè obvia non valet consequentia.

III. Loqvitur Apostolus optativè, & conditionaliter, qvæ locutiones nihil probant.

Plenior explicatio locorum anteà allegatorum de deletione ex libro vitæ.

1. Sunt, qvi distingvunt *inter librum gratiæ, & gloriæ*, dicentes, Electos posse deleri è libro gratiæ totaliter, non verò finaliter, & sic explicant dictum Mosis, *Exod. 32. v. 32.*

2. Notandum, qvando *Tubingenses* dixerunt, inscriptos in libro vitæ rursum posse ex illo deleri, illos intellexisse hos, non de actu secundo, sed primo, & absoluta Dei potentia.

3. Distingvo *inter deletionem negativam, & privativam.* Qvando impii in sacris dicuntur deleri de libro vitæ, intelligendum illud non de deletione privativa, qvasi anteà essent inscripti, sed negativa, qvia nunqvam sunt inscripti.

4. Impii in Sacris dicuntur deleri è libro vitæ, κατὰ δόξαν, secundum opinionem illorum, qvi putant, se esse inscriptos in libro vitæ, ut Pharisæi, aliiqve Judæi, &c.

Objectio V.

1. Cor. 9. v. ult. dicit Apostolus: *Ne, dum aliis prædico, ipse reprobus efficiar.* Ergò electio non erit firma, sed electi hâc iterum excidere possunt.

Resp. I. Nonnulli distingvunt *inter prædestinationem ratione divinæ cognitionis*, & sic esse infallibilem, *vel ratione applicationis in tempore*, & sic esse aliqvo modo incertam.

II. Rectius ita respondetur: Vocabulum *reprobi* hîc sumitur, non qvatenus opponitur electioni, sed qvatenus opponitur approbationi. Sensus ergò est: Subigo corpus meum, ne, dum aliis viam monstrem, & prædicem, ipse vitâ meâ reprobare videar id, qvod in aliis approbavi.

APPENDIX

QVÆSTIO OCTAVA.

An vocatio hominum sit universalis? Aff.

Objectio.

Apostoli non peragrârunt totum orbem terrarum, qvia non potuerunt. Non enim omnes angulos & vicos peragrare in ipsorum fuit viribus. Ergò.

Resp. I. Ex *Psalm. 19. 5.* & *Rom. 10. v. 18*: Sonus eorum exivit in totum mundum.

II. Qvamvis Apostoli omnes angulos non potuerint peragrare, tamen habuerunt suos subdelegatos.

III. Apostolos Christi mandato obedientiam præstitisse, negandum non est. Ille enim præcipit, ut in totum mundum abirent, *Matth. 28. v. 19. Marc. 16. 15.* Mandatum verò hoc ab illis fuisse observatum, ipsi palàm profitentur, qvando dicunt, *Sonum Apostolorum exiviſſe in omnem terram, Rom. 10. v. 18. 19.* Item *Evangelium prædicatum esse omni creaturæ sub Sole, Col. 1. 15.*

4. Falsum qvoqve est, non fuisse in ipsorum viribus. Qvot enim sunt, qvi superiori, & præsenti seculo mundum non unâ vice peragrarunt? Historiæ id satis loqvuntur. Multo minùs hoc licebit de Apostolis asseverare, qvos Deus virtute ex alto instruxit, & viribus sufficientibus ad hoc iter confirmavit. Neqve opus fuit, ut perreptaverint omnes angulos. Nam docuerunt non tantùm voce, sed & scriptis; imo qvo non pervenit pes Apostolorum, eò tamen pervenit ipsorum sonus, & miraculorum rumor, qvo procul dubio multi fuêre conversi.

LOCUS XII. DE SACRAMENTIS IN GENERE, ET IN SPECIE DE BAPTISMO.

QVÆSTIO PRIMA.

An absolutio propriè sit Sacramentum? Neg.

Contra opponitur *Apologia Augustanæ Confessionis*, qvæ illam inter Sacramenta numerat, Ergò.

Resp.

Resp. I. Vocabulum sacramenti sumitur vel latè, vel strictè; latè sumptum absolutio etiam est Sacramentum, non verò strictè.

II. Absolutio igitur ab Apologia dicitur Sacramentum 1. respectu reliqvorum Sacramentorum, qvæ Pontificii numerant. Magis enim & propius accedit ad rationem Sacramenti, qvam reliqva. 2. Respectu definitionis illius, qvæ habetur in Apologia, nimirum qvod Sacramentum sit visibile signum invisibilis gratiæ. Et sic absolutio inter Sacramenta numeratur.

III. Nota, qvia Apologia dicit, & nominat propriè dictum Sacramentum, vocabulum Sacramenti sumi vel impropriè, vel propriè, vel propriissimè: Propriissimè Sacramenta illa dicuntur, qvæ habent omnes causas Sacramenti, nimirum efficientem, & mandatum Dei, materiam tàm cœlestem, qvàm terrestrem, formam ipsam scil. actionem sacramentalem; Et demum finem, qvi est salus æterna, & salutis obsignatio; & sic duo tantùm sunt Sacramenta, S. Cœna & Baptismus. Propriè Sacramentum dicitur, qvod non omnes, sed qvasdam saltem causas continet; & sic absolutio ab Apologia Sacramentum propriè dictum dicitur, tùm ratione causæ efficientis, nimirum mandati divini, tùm ratione causæ finalis, nimirum remissionis peccatorum; Reliqvis causis intrinsecis qvia caret, Sacramentum proprlissimè dictum dici neqvit. Impropriè sacramenta dicuntur, qvæ nullam harum causarum continent, ut sunt reliqva Sacramenta Papistarum. Vide *Apol.* de numero Sacramentorum.

QVÆSTIO SECUNDA.

An unctio extrema sit Sacramentum? Neg. Contrà:

Objicitur locus, *Jac. 5. v. 14. & 15.* undè argumentantur: Cui competit Definitio Sacramenti, eidem & definitum. Unctioni extremæ competit Definitio Sacramenti, qvia 1. adest elementum externum oleum. 2. Adest verbum mandati, *v. 14.* & verbum promissionis, *v. 15.*

Resp. I. Ex hypothesi: Si concedatur, hanc unctionem, de qva *Jacobus* loqvitur, esse Sacramentum, tamen hoc nihil ad Pontificiorum unctionem, à qva illa toto cœlo distat. Illi enim ungebantur, ut convalescerent, hi verò non nisi in extremo agone mortis ad salutem, non corporalem & temporalem, sed spiritualem.

II. Duo in hoc textu conjunguntur, qvæ accuratè sunt distingvenda: Nimirum unctio & oratio: Unctioni adscribitur reconvalescentia tantùm, orationi verò & reconvalescentia, & remissio peccatorum, *v. 5.*

III. Oratio autem illa, cujus in textu fit mentio, non fuit popularis, sed erat peculiaris & miraculosa: Peculiaris fuit divini verbi ministris, qvibus tunc temporis datum fuit, ut certas præscriberent orandi rationes, qvi & ipsi pro Ecclesia publicè orabant: Miraculosam fuisse probatur indè; qvia qvalis unctio, talis etiam oratio: Illa autem fuit miraculosa. E. & hæc. Unctioni igitur externa salus adscribitur decumbentium: Orationi effectus spiritualis, qvod patet ex *v. 5.*

IV. Agitur hîc non tam de Sacramento qvodam, qvàm de dono miraculoso; cessante itaqve miraculo, cessat etiam ipsa ratio.

DE BAPTISMO.

QVÆSTIO PRIMA.

An Sangvis Christi sit pars cœlestis in Baptismo?

Nota est illa controversia, & inter gravissimos Theologos *D. Hunnium, & D. Mylium* agitata, qvorum alter sangvinem Christi dicebat esse partem cœlestem Baptismi, alter verò Spiritum Sanctum. Ille pro fundamento adducebat dictum *1. Joh. 1. 7. Sangvis Christi emundat nos &c.* Hic ex *1. Joh. 5. v. 8.* argumentabatur ita:

Pars unius Sacramenti non potest esse pars alterius Sacramenti.
At sangvis Christi dicitur *1. Joh. 5. 8.* Sacramenti Altaris pars. E. 2.
Ex dicto Christi *Joh. 3. 5. Nisi qvis renatus fuerit ex aqva, & Spiritu.* E.

Nos distinctim sic progredimur: Distingvimus *inter objectum mediatum, & immediatum*: Objectum sive pars Baptismi cœlestis immediata non est sangvis, sed tota Trinitas, *Matth. 28. 19.* Mediata verò pars esse potest Sangvis, mediante nimirum Trinitate, in cujus consortium assumptus est. Idemqve Sangvis ad Baptismum refertur, sive pars illius est cœlestis mediatè, S. Cœnæ immediatè. Causa verò, qvare sangvinem Christi dicamus non esse immediatam partem, hæc est, qvia nullibi in Sacris in institutione Baptismi dicitur pars ejus, vel saltem fit mentio ejus.

Re-

Respondeo nunc ad dictum ex *1. Joh. 5.* distingvendo *inter genus dicendi absolutum, & respectivum:* hoc loco non est genus dicendi absolutum, cum Johannes per aqvam indicet Baptismum, per Sangvinem sacram cœnam, sed respectivum; respicit enim ad historiam *Joh. 19. 34.* descriptam, ubi typus exponitur duorum Sacramentorum Novi Testamenti, qvia ex latere Christi effluxisse dicitur aqva & Sangvis. Ideoqve tota ratio illius dicti in eo sita est, ut explicet typum illum.

Objectio.

Sacramenta N. T. sunt præfigurata, & adumbrata in Veteri Testamento, teste *Hebr. 10. v. 1.* At S. Trinitas in V. T. non fuit adumbrata, qvia aliàs in Veteri Testamento non fuisset Trinitas: qvod enim adumbratur, illud non est. At hoc dicere de Trinitate, Photinianum est. E.

Resp. Distingve *inter Trinitatem ipsam, & ejus operationem Singularem.* Trinitas ipsa in V. T. non fuit præfigurata, sed Trinitatis singularis operatio, nimirum qvod sit futura in N. T. Materia Baptismi, & ratione unionis sacramentalis.

Instantia Ubi ergò hoc fuit adumbrata operatio?

Resp. I. Typum illum nobis monstrat Apostolus *1. Cor. 10. v. 1. & 6.* ex *Num. 9. &c.* Habemus enim 1. ibi ignem, per qvem Deus Pater adumbratur nobis, qvi sæpe ignis consumens dicitur *Devt. 4. v. 11. & 15.* ut & alibi. 2. habemus nubem, per qvam Spiritus Sanctus intelligitur; in illa, qvippe Spiritus S. apparuit. 3 habemus columnam, id est Christum, qvi est columna Ecclesiæ, & veritatis.

II. Dico, & addo hoc, qvod canon in Majori adductus potissimum hisce tribus limitibus sit restringendus. 1. agit, & loqvitur præcipuè de Christi corpore 2. De Testamentis, illorumqve collatione 3. De sacramentis, eo modo, qvo jam fuit dictum, vide *Col. 2. v. 11. & 17.*

QVÆSTIO SECUNDA.

An infantes infidelium & extra Ecclesiam nati sint baptizandi?

Resp. Aut qværitur in genere, aut specie: Si in genere, tunc conceditur, qvod omnes infantes in peccatis concepti sint Baptizandi: si in specie, tunc distingvitur: aut enim infantes illi sunt sub jure ma-

gistratus Christiani, aut non, si sunt; tunc infantes parentibus sunt eripiendi, & baptizandi: si verò non sunt sub jure magistratus, tunc minimè sunt parentibus eripiendi, cum cultus violentus, & coactus non placeat Deo.

QVÆSTIO TERTIA.

An infantes sint baptizandi? Aff. Contra.

Objectio I.

Sacramenta sine fide non prosunt. Infantes non habent fidem, qvia fides tria præsupponit, cognitionem, notitiam, & assensum; hæc autem in infantibus non sunt. E.

Resp. I. In schola Calviniana argumentum hoc procedit, nec qvicqvam juxta illorum hypotheses ad illud respondere possunt. Dicunt enim Sacramenti formam esse fidem, & sic de essentia sacramenti esse fidem, ita ut qvi fidem non habeat, Sacramentum non percipiat, sed saltem signa externa; Jam autem infantes fidem habere negant *Cinglius*, *Piscator*, *Beza*, & reliqvi omnes. E.

II. In Schola verò orthodoxa respondetur, infantes etiam habere illam fidem, qvæ notitia, & assensu constat qvanqvam ratione, nobis occultâ, qvam etiam investigare non debemus. In illis itaqve hanc operatur Spiritus Sanctus, id qvod probamus ab effectu. Qvicunqve habent effecta veræ fidei, illi etiam habent veram fidem: At infantes habent effecta veræ fidei, nimirum qvod Deum laudent *Ps. 8. v. 3.* Sic, & Johannes in utero Matris coram Maria uterum ferente exultavit. Et qvamvis hoc exemplum sit extraordinarium, tamen inde probatur, infantes etiam habiles esse, ut fidem in illis accendere, & suo modo, nobis incognito, in illis operari possit Spiritus Sanctus.

Instantia: Fides est ex auditu, *Rom 10 v. 17.* E.

Resp. Fides est ex auditu, sed non solo. Nam dicere, fidem non esse etiam ex lectione, idem est, ac verbum Dei non semper esse potentiam ad salutem, & verbum Dei non esse verbum Dei, qvod blasphemum. Efficacia enim verbi non pendet ex auditu, sed ex verbo, sive illud audiatur, sive legatur. Non igitur exclusivè intelligendum, qvia aliàs etiam dicendum, fidem non esse ex concione non vocatorum, ut studiosorum, qvi Conciones habent in templis qvia,

qvia auditus ille, de qvo Paulus loqvitur, præsupponit vocationem legitimam. Imo Sacram scripturam audimus, cum legimus in illa. Deus enim per lectionem nobiscum loqvitur in suo verbo, imo ipse Dominus jubet audire Mosen, & Prophetas, cum tamen auditus eorum tunc temporis non vigeret.

II. Agit igitur dictum illud tùm de fide adultorum, tum de Ecclesia primitiva plantanda, sive de non plantata.

Objectio II.

Qvi sunt sancti ante Baptismum, illi non opus habent Baptismo.

Infantes Sancti sunt ante Baptismum, qvod probo hoc argumento: Qvæ est ratio circumcisionis, eadem etiam est Baptismi. Jam Israelitæ *Jos. 3. v. 5.* dicuntur sancti ante circumcisionem; Ergo & Sancti infantes possunt dici ante Baptismum.

Resp. I. Israelitas prorsus fuisse sanctos dici neqvit. Hinc Josua c. l. illos adhortatur, *ut se sanctificent.* Innuit ergo, illos non fuisse Sanctos.

II. Nulla est Conseqventia: Qvi certo modo dici possunt sancti ante baptismum, illi baptismo non indigent.

III. Apostolus Petrus regenerationem non tantùm Baptismo, sed etiam verbo adscribit *1. Epist 1. v. 23.* nimirum in illo casu, in qvo Sacramentum Baptismi haberi neqvit. Idem esto judicium de circumcisione respectu Israelitarum in deserto.

Objectio III.

Qvodcunqve dogma meris nititur conseqventiis, nulloqve firmo testimonio scripturæ probari potest, illud non est tolerandum.

Dogma hoc, qvod infantes fidem habeant, tale est. Ergo.

Resp. I. Major desumpta est non tantùm ex Schola Anabaptistica, sed etiam Papistica. Hi enim dogma hoc ex sacris non posse probari contendunt, nisi etiam adhibeantur traditiones humanæ.

II. Dico qvamvis dogma hoc qvoad literam, & verba non habeatur in sacris, habetur tamen qvoad διάνοιαν multis in locis, & nititur conseqventiis firmissimis ex sacro codice desumptis.

III. Dictum expressum extat *Matth. 28. 19.* Ubi verbum μαθητεύσατε generaliter sumitur, non tantùm pro docere, sed etiam discipulos facere, sicut explicatur *Joh. 4. v. 1.* Hoc autem non tantùm fit docendo, sed etiam baptizando.

Inqvis:

Inqvis: Vocabulum illud μαθητεύσαντες *seq. v.* explicatur per διδάσκειν. E. illa significatio locum hîc habere neqvit.

Resp. Justa Analysis hujus loci hæc est 1. generaliter exprimit officium ministrorum verbo μαθητεύσαντες complectens tam Baptismum, qvàm verbum, postea specialiter idem in duas qvasi partes subdividit, in Baptismum *v. penult.* & verbum *v. ult.*

Inqvis: Sic Apostoli prius baptizárunt, & postea docuerunt, qvod contra praxin Apostolorum.

Resp. Illud exinde non potest erui, cum *Matth. 3. v. 6.* Judæi prius dicantur baptizati, postea confitentes peccata sua.

QVÆSTIO QVARTA.

An infantes, qvi ante Baptismum diem obeunt, Salvari possint? Aff. Contra:

Joh. 3. 5. Nisi qvis renatus fuerit &c. E. Infantes, qvi non renascuntur, salvari minimè possunt.

Resp. I. Dictum illud loqvitur de necessitate ordinaria, non vero de extraordinario modo, qvando modus ordinarius haberi neqvit; Deus itaqve non est alligatus hisce mediis, sed extraordinarie potest agere.

II. Rectè Augustinus: *Contemptus, non privatio Baptismi damnat.*

Instantia ex hac regula: Sicut propter contemptum Sacramentorum, non verò privationem damnantur homines: Sic etiam propter contemptum verbi divini damnantur illi, qvi verbum Dei non habent, non verò propter privationem. Sacramentorum enim, & verbi eadem est ratio. Jam illi verbum Dei contemnere neqveunt, cum careant illo. E. non damnantur.

Resp. I. Ad Majorem: Canon ille intelligendus est, non in totum, sed in tantum. Eadem enim est ratio Sacramentorum & verbi, non in omnibus, sed respectu obsignationis, & sigilli.

II. Ad Minorem; Infantes illi damnantur propter incredulitatem, & contemptum, & non propter contemptum solum.

III. Distingv. *inter contemptum actualem, & potentialem:* Damnantur etiam illi ob contemptum verbi divini, qvamvis non ob actualem, tamen ob potentialem, haud secus, ac si qvis catulos lupi interficiat, interfecit illos non ob rabiem actualem, sed potentialem. Sic etiam

Deus

Deus illis hominibus subtrahit verbum suum, qvod si haberent, illud plenis buccis essent contempturi. Et sic non tantùm propter privationem, sed etiam propter contemptum, & incredulitatem damnantur illi, qvi carent verbo Dei.

QVÆSTIO QVINTA.

An hypocritæ regenerentur? Neg. Contra:

Qvicunqve fiunt participes rei Sacramenti, illi regenerantur. Hypocritæ fiunt participes rei Sacramenti. E.

Resp. Res Sacramenti dicitur vel ratione totius Sacramenti, vel ratione partis: Ratione totius Sacramenti, est finis & usus Sacramenti salutaris; hujus hypocritæ non fiunt participes: Ratione partis; sic res baptismi est aqva cum verbo; Hujus qvidem fiunt participes, sed absqve fructu.

QVÆSTIO SEXTA.

An duplex sit baptismus? Neg. Contra:

In qvo sunt duo distincta, illa sunt verè distincta. At in Baptismo duo sunt distincta, res sc. terrenâ, & cœlestis. E.

Resp. I. Negatur Major: In Baptismo sunt qvidem distincta, sed tamen non sunt distincti Baptismi.

II. Sacramenta constant re duplici, terrenâ & cœlesti, conjunctim, non divisim: Jam verò Baptismus Calvin. externus non constat re cœlesti, sed terrena tantùm; nec internus constat terrena, sed cœlesti tantùm. E. nullus apud illos Baptismus.

QVÆSTIO SEPTIMA.

An Baptismus reiterari possit? Neg. Contra:

Apostoli *Act. 19.* Baptismum Johannis repetunt, utpote non pro vero Baptismo habentes. E. & nobis licet.

Resp. Variæ sunt dicti illius explicationes. *Philippus Melanchthon* manuducente *Luthero*, explicat, non de reiteratione, sed confirmatione Baptismi Johannis, & probat hoc ex canone Theologico, qvo dicitur, sæpè aliqvid evenire, cum confirmetur, & præsertim apud Esaiam.

II. Alii per Baptismum Johannis dicunt intelligi ibi prædicationem

nem Johannis & probant hoc indè, qvia Baptiſmus ille dicatur Baptiſmus pœnitentiæ, *v. 4.*

III. *Beza*, qvem alicubi ſeqvitur *Schaffmannus*, de Johannis Baptiſmo explicat illa verba, *v. 5.* His auditis, &c. ita ut loqvatur non de tempore præſenti, ſed præterito, ut ſenſus ſit: His auditis, ſc. tunc temporis de Chriſto venturo, baptizati ſunt à Johanne.

IV. Multæ aliæ poſſent adduci explicationes, ſed vera ſententia hæc eſt: Baptiſmum Johannis non eſſe reiteratum, ſed illos baptizatos eſſe Baptiſmo Johannis proprio. Qvando ergò dicitur, *v. 5.* qvod baptizati fuerint, illud intelligendum non de Baptiſmo proprio, ſed miraculoſo illo donorum ſpiritualium, qvæ reſponſio probatur duobus argumentis. 1. De qva re erat Apoſtolis qvæſtio, de illa debet eſſe reſponſio: Jam qvæſtio erat de Baptiſmo illo miraculoſo, ſive effuſione donorum viſibilium Spiritus Sancti, *v. 2.* E. de illo etiam debet eſſe reſponſio. 2. *v. 6.* ille Baptiſmus deſcribitur per impoſitionem manuum. Ergò non de proprio, ſed miraculoſo Baptiſmo eſt intelligendum.

Inſtantia: Qvid igitur ſentiendum de infantibus inventitiis, qvibus ſchedula eſt adjecta? Immaniſſimum enim juxta *Auguſtinum* eſt ſcelus rebaptizare.

Reſp. I. Stylo Auguſtini non dicitur reiteratum, qvod neſcitur factum; jam verò licet vel maximè Schedula qvædam adſit, Conſcientia tamen, qvæ certa eſſe vult, & debet, dubitat, qvia iſti homines, à qvibus illa Schedula profecta, ſunt luciſugæ, ideòqve illis vix habenda fides.

II. Auguſtinus loqvitur extra caſum neceſſitatis, qvalis hic eſt.

QVÆSTIO OCTAVA.

An hæretici in hæreſi baptizati, & converſi ſint rebaptizandi? Neg. Contra:

Niſi qvis renatus fuerit ex aqva, & Spiritu, *Joh. 3. 5. & 6.* Illi autem non ſunt renati. E.

Reſp. I. Sunt ex Veteribus, qvi regenerationem deſcribebant per receptionem in fœdus, ſive Eccleſiæ gremium: Et ſic etiam Hæretici ſive hypocritæ ſunt baptizati, & regenerati.

II. ſumitur Stylo ſcripturæ ita, ut includat remiſſionem peccatorum,

rum, & fidem: Et sic hypocritæ non sunt regenerati: Ideòqve distingvendum inter stylum sive genus dicendi Ecclesiasticum, & scripturæ.

III. Num verò si resipiscant, sunt rebaptizandi? Resp. per conversionem regenerantur, & Baptismus, qvi in hypocrisi fuit receptus, in illis potest esse Salutaris per reminiscentiam; haut ergo sunt rebaptizandi.

IV. Addimus etiam hoc, qvod verbum Sacramento non opponatur: sic 1. *Pet.* 1. *v.* 23. regeneratio etiam verbo adscribitur. Dictum verò Johannis loqvitur de modo ordinario, & nihil ad rem facit.

QVÆSTIO NONA.

An exorcismus sit tolerandus? Aff. Contra:

Objectio I.

Sacramenta qvàm simplicissimè sunt administranda juxta institutionem Christi. Jam verò Exorcismi nullibi, nedum in institutione fit mentio. E.

Resp. I. Major conceditur, & est verissima. Qvam simplicius enim fit administratio, eò etiam propius accedimus ad institutionem.

II. Exorcismus verò qvi juxta *Lutherum* est Concio non tàm verbalis, qvàm realis, non propriè ad ipsius Baptismi administrationem, sed ad Baptismi administrandi præparationem pertinet, & adhibetur ratione hominum, ut peccati originalis magnitudinem recordentur.

III. Verba illa Exorcismi, qvamvis in institutione Baptismi non habeantur, tamen habentur in verbo Dei, & expresse *Zach.* 3. *v.* 2. ponuntur, qvæ ad Spiritualem ejectionem pertinere probatur ex seqventibus.

Objectio II.

Magia non est exercenda. Exorcismus ille est Magia, qvia virtus ejiciendi Diabolum adscribitur Exorcisationi, qvod Magicum est, & si qvæ virtus adesset, illa non Exorcismo, sed Baptismo esset adscribenda.

Resp. I. Notandum, qvod Patres formulâ hâc non usi sint in Baptismo infantium, sed adultorum, & qvod nota illa formula (qvæ nusqvam apud Patres extat) qvâ nos utimur, Patres usi non fuerint, sed

tantùm illâ, qvæ de malis affectibus à satana in illis excitatis agit, ut commonefierent adulti, qvo modo per Baptismum novam ingredcrentur, & ingredi deberent vitam.

II. Nota, qvod qvidam infantes Spiritualiter obsessos negent, sed tantùm captivos dicant à satana.

III. Ad argumentum Resp. distingvendo *inter usum significativum, & effectivum*: Illum nos retinemus verbis Exorcismi, hunc Papistæ tenent.

IV. Ad secundum, qvod verba Exorcismi, & Baptismi sint conjungenda, ut significatio sit illustrior, ita tamen ut effectus asscribatur actui Baptismi, significatio verbis illis Exorcismi.

Instantia: Infans in illa exorcisatione dicitur servus Dei. E. non opus habet Exorcismo, qvia qvi Servus est Dei, non est servus Diaboli.

Resp. Dicitur servus Dei, non respectu sanctificationis, vel qvia Sanctus sit, vel qvia sanctificandus jamjam sit, sed respectu creationis.

Objectio III.

Exorcismus non habet mandatum, nec ullum fundamentum in sacra scriptura, sed est traditio hominum. E.

Resp. Distingv. *inter mandatum generale, & speciale*; Adiaphora habent mandatum generale, sed non speciale, qvia aliàs non essent adiaphora: Illud est *1. Cor. 14. v. ult.* ubi Paulus jubet, ut omnia in Eccesia fiant ordine, & decenter.

II. Distingv. *inter ritum, & cultum Dei*; hic debet habere fundamentum, & mandatum in Sacris; ad illum sufficit, ut non pugnet cum sacris, qvamvis in eis expressè non probetur.

III. Nota, qvod qvamvis ista verba dura qvibusdam videantur, non tamen propterea rejiciendus ipse ritus, nisi etiam integram Christi Concionem *Joh. 6.* rejicere velis, cum & hæc Discipulis ipsius satis dura visa fuerit, *v. 60.*

IV. Deo etiam placere hunc ritum, inde constat, qvod Diabolo semper displiceat. Ille enim perpetuo studio ritum hunc abolere tentat.

V. Ob usum tam egregium simpliciter aboleri non potest, nec debet. Adhibetur enim Exorcismus 1. ratione infantis, ubi docet, infantem captivum teneri sub potestate Diaboli, 2. Indicat Baptismi effi-

efficacitatem, qvippe per qvem infantes, ex illa captivitate liberantur. 3. Ratione testimonii: Indicat enim, Christum nos liberasse ab illa captivitate Diaboli. 4. Notat prælium, qvod nobis etiam ab ipsa infantia cum Diabolo in hac vita perpetuò subeundum. 5. indicat Ministerii potestatem, qvam habet in expellendis dæmonibus Spiritualiter tamen.

Objectio IV.

Lutherani nihil aliud hocipso, qvàm Papistarum mores, & Sententiam seqvuntur. Ergo papizant.

Resp. I. Non nos, sed Calviniani papizant. Nam sicut Papa dominatum sibi affectat in istis Ceremoniis nobis imponendis; sic Calviniani eundum affectant in iisdem derogandis.

II Negatur antecedens. Nam nos in Exorcismi administratione dissentimus à Jesuitis, 1. in ritu, qvem illi multis nugatoriis exsufflationibus, & sputo conspurcant, nos simpliciter illum administramus 2. in usu, qvem illi volunt esse effectivum, nos declarativum.

LOCUS XIII. DE PERSONA CHRISTI, ET IN SPECIE DE DESCENSU CHRISTI AD INFEROS.

QVÆSTIO PRIMA.

An Calviniani, Christum verum Deum esse negent?

Aff. ex propriis ipsorum hypothesibus, qvas alibi adduximus. Sed contra primum argumentum ibi propositum sic opponitur:

Si ipsi Deo Patri in tempore aliqvid dari, vel accessisse rectè dicitur, & tamen verus Deus est, non seqvitur, si Christo Deo in tempore aliqvid fuerit datum, & proindè illum non esse verum Deum. At prius est verum, qvia Deus ab æterno non fuit misericors, qvia nulla miseria fuit ab æterno. Illa autem sunt relata; sed in tempore factus est misericors.

Resp. I. Sunt qvidam etiam ex Nostratibus, qvi λόγῳ in tempore aliqvid datum esse concedunt, sed non loqvuntur sensu Calvinistico;

ideò enim illud dicunt, ut ipsa ratio magis in nostra apparentia fundata sit, qvam in ipso Deo.

II. Distingv. *inter attributa, qvæ sunt vel absoluta, vel relativa*: Illa ab æterno fuerunt in Deo, hæc verò non item, nec tamen indè seqvitur, Deo aliqvid accessisse, cum illa accessio facta sit non in ipso Deo, sed in creatura.

III. Undè *Lutherus* distingvit *inter infinitatem, & omnipræsentiam*: Illam utpote absolutam in Deo ab æterno fuisse, hanc verò non. Omnis enim præsentia præsupponit loca: Qvia verò ab æterno nulla fuerunt loca, non potuit etiam esse omnipræsens.

IV. *Brentius* semper in Deo ab æterno fuisse misecriordiam probat ex *Ps. 103. v. 17.* ubi tamen nulla fuerit miseria.

V. Alii, qvibus etiam nos suffragamur, dicunt, *benignitatem qvidem ab æterno fuisse in Deo, sed non misericordiam*, ita tamen, ut illa mutatio in tempore acciderit non Deo, sed creaturis.

VI. *Lutherus* observat, qvod qvando scriptura loqvitur de misericordia ratione miseriarum, semper addat Emphasin gratiæ, & vocabulum miserationum, uti videre est, *Ps. 103. v. 8.*

VII. Distingvi etiam potest, *inter ipsam rem, & rei manifestationem*; sic misericordia ab æterno in Deo χάρις fuit, qvanqvam non χάρις.

QVÆSTIO SECUNDA.

In qva examinantur dicta qvædam S. Scripturæ, qvæ Theologi adducere solent pro reali descensu Christi adstruendo.

Contra. dict. ex *Act. 2. 27.*

Talis hîc intelligitur infernus, in qvo Christus potuit videre corruptionem, ille autem non est infernus, sed sepulchrum. Ergò.

Resp. in *v. hoc 27.* distinctæ sunt propositiones, qvæ non sunt confundendæ. Prior est in his verbis: *Non derelinqves*, &c. & agit de descensu Christi ad inferos; Secunda in his verbis: *Nec sines, ut* &c. & agit de sepultura, vel, ut alii, de resurrectione.

Instantia: Ergò ordo confunderetur, cum descensus debeat præponi articulo de sepultura.

Resp. Ex nudo verborum positu nihil firmi licet concludere. Descensus Christi ad inferos secutus fuit sepulturam, & resurrectionem.

nem. Nam *Petrus 1. Ep. 3. 18.* expressè scribit, qvod Christus vivificatus in carcere spiritibus prædicaverit. Vide *Part. 1. Syntag. p. 381.*

Inqvis: Dictum hoc loqvitur de liberatione, qvæ præsupponit miseriam, Ergò non de triumphali actione.

Resp. I. Verba sunt hæc non optantis, & rogantis, sed triumphantis.

II. A sensu literali non est discedendum, nisi summa nos cogat necessitas, qvalis hîc non datur.

III. Nota, alius est descensus Christi ad inferos, in qvo fuit derelictus à Deo, *Ps. 22. v. 1.* alius est descensus ad inferos, in qvo non fuit derelictus, de qvo hoc Psalmi loco.

Contra dictum ex *Eph. 4. v. 9. 10.*

Si per inferiores illas partes terræ intelligitur infernus, seqvitur, qvod infernus sit in loco qvodam subterraneo. At hoc negant nostri Theologi. Ergò.

Resp. I. Non hoc seqvitur: Sed sicut locus sive potius στᾶ beatorum, vel conditio describitur per locum superiorem, cœlestem nimirum; sic etiam status damnatorum describitur per locum inferiorem. Sicut autem ex primo non seqvitur, ergò locus qvidam est superior, in qvo pii habitant: Sic nec infernus est locus inferior.

II. Dicitur verò status damnatorum locus inferior ratione depressionis, & abjectionis à facie Dei stylo Scripturæ S. Sicut contra locus beatorum dicitur cœlum, vel locus superior, qvi aspectum Dei & fruitionem visionis faciei Dei exhibet.

Objectio II.

Talis hîc intelligitur descensus, qvi idem est cum ascensione ad cœlum. At talis hic non est, cum ascensio Christi referatur ad statum exaltationis, descensus verò ad intermedium.

Resp. *Tübingenses*, qvos etiam seqvitur *D. Winckelmannus*, tres status constituunt: Exinanitionis, glorificationis, & exaltationis. Ad statum glorificationis referunt descensum Christi ad inferos, & resurrectionem Christi à mortuis, & simul conversationem illam, qvâ per qvadraginta dies conversatus est cum discipulis usqve ad ascensionem ad cœlos. *Winckelmann.* & alii cum eo referunt descensum Christi ad Statum intermedium, & intelligunt statum glorificationis, qvem nos referimus ad statum exaltationis.

Con-

Contra dictum *1. Pet. 3. 18.*

Talis ibi intelligitur φυλακη, in qva fit prædicatio. In inferno autem nulla est prædicatio. Ergò.

Resp. I. *Lutherus* Anno 23. hunc locum tàm obscurum judicavit, ut vix in Sacris obscurior reperiri possit; sed anno 28. in concione Torgæ habitâ locum illum egregiè explicavit, & reliqva loca, *Act. 2. Eph. 4.* & hunc adduxit.

II. Rectè distingv. *inter prædicationem verbalem ad salutem, & realem ad ignominiam.* Prædicatio illa, de qva Petrus loqvitur, fuit non tam verbalis concio, qvàm realis destructio inferni, & regni Diaboli.

Objectio II.

Talis hîc intelligitur locus, in qvo fit prædicatio Evangeliſt. *c. 4. v. 6.* At in inferno non fit prædicatio Evangelii. Ergò.

Resp. I. Cum locus hic aliqvantum obscurus videatur, explicandus est. Qvidam enim eo descendunt, ut per mortuos intelligant homines pios defunctos, & qvia non sunt illi in perfecta beatitudine, Christum illis in illo descensu concionem Evangelicam prædicâsse dicunt. Sed aliter, & rectiùs explicatur ita, qvod sint distingvenda effata: Illud nimirum, qvod è *c. 3.* ab eo qvod è *cap. 4.* Scopus enim utrobiqve est diversus. In *cap.* enim *tertio* disertè agit de descensu Christi ad inferos, non verò *cap. 4.*

II. Et rectè respondetur: Qvod *capite 4.* agatur de mortuis non corporaliter, sed spiritualiter, gentibus nimirum, id qvod ex scopo Petri in hoc capite, & etiam ex *v. 4.* patet: *Cap.* verò *3.* agit de incredulis, qvi fuerunt tempore Nohæ.

III. Alii, qvæ Sententia est probabilior, per mortuos apud Petrum intelligunt ipsos, qvi jamdum tempore Petri mortui corporaliter fuerunt; Hisce nimirùm Evangelium qvoqve, dum vixerunt, fuisse annunciatum. Sicut in Symbolo Apostolico dicimus Christum judicaturum vivos, & mortuos; non qvasi tum adhuc sint mortui futuri, sed qvia tales ante fuerunt.

Inqvis: Dicuntur hîc imperſvasibiles. Ergò non omninò increduli.

Resp. I. Idem Apostolus *2. Ep. 2. v. 5.* illos nominat impios. *2. Heb. 3. v. 18. 19.* imperſvasibiles etiam dicuntur increduli, adeòqve hæc in Sacris permutantur.

II. Ad-

II. Addo & hoc, qvòd aliud sit Evangelizare, aliud prædicare. *c. 4.* habetur vox evangelizandi. *c. 3.* vox prædicandi. *Marc. 16.* habetur qvidem etiam eadem vox prædicandi, sed ibi additur Evangelium.

Objectio III. ad dictum Coloss. 2. 15.

Illud dictum loqvitur de fructu passionis. Dicit enim Apostolus, Christum triumphasse exspoliatis imperiis. Ergò.

R. I. *Distincta* sunt locutiones, qvæ non confundendæ, *v.* nimirùm *14.* agit de fructu passionis *v. 15.* de ascensu, & descensu Christi, qvæ non confundenda.

II. Particula ἐν ᾧπερ *Beza* explicat **per** *per se*, & multa dicta in Scholiis suis collegit.

III. *Matth. 3. v. ult.* explicatur *in illo*, & qvamvis illa etiam hûc referatur, nobis tamen nihil obstat. 1 Monstrat enim hoc loco Christus fontem hujus triumphi, nimirum suam passionem. Nisi enim Christus per mortem debellásset Satanam, non potuisset talem triumphum agere de ipso.

QVÆSTIO TERTIA.

An Christus in inferno sustinuerit dolores? N.

Contrà.

Objectio I.

Petrus dicit *Act. 2. 24.* Deum resuscitásse Christum solutis doloribus mortis; Ergò dolores aliqvos Christum in inferno sustinuisse necesse est. Illos autem sustinuit non in sepulchro, in qvo caro ejus reqvievit. v. seq. Ergò in inferno.

Resp. I. *Brentius*, Christum qvidem omninò non liberatum fuisse à doloribus, non tamen illos sensisse, sicut nos post mortem non sentimus dolores, interim tamen non planè sumus liberati ab illis, sed fiet hoc in resurrectione. Hæc ille. Addimus nos

II. Patres hoc modo illud explicant, ut dicant dolores mortis à Christo esse solutos, non sibi, sed nobis.

III. Ali per dolores mortis intelligunt illos dolores, qvi mortem Christi præcedebant; Alii distingv. *inter dolores inferni, & mortis*; per illos intelligunt cruciatus animæ infernales; per hos, aculeos & vincula mortis, ut hoc loco.

IV. Esse Hebraismum in Phrasi, qvæ hic sumitur pro ipsa morte.

V. Christum autem omnes suos dolores morte finiisse, probatur indè, qvia ipse exclamat, consummatum est, *Joh. 19. 30.*

Instantia: Christus hîc loqvitur non de consummatione totali, sed partiali, qvia, cùm hæc dixisset, multos adhuc sustinuit dolores, ut mortem.

Resp. I. Christum loqvi de consummatione totali, patet ex Johanne, ubi exclamat & dicit, qvod jam omnia consummata sint.

II. Sæpe in Scriptura S. occurrit, ut præteritum ponatur pro futuro brevi: Sic etiam hîc dicit: Consummatum est, id est, jamjam consummabuntur omnia; sicut etiam *Luc. 22. v. 19.* in præsenti dicitur, qvod pro vobis traditur, id est, qvod jam tradetur. Vel

III. Qvidam in hisce piissimis sunt cogitationibus, Christum sine dolore animam suam exspirasse, & svaviter obdormivisse, cum ita clamaret: *Consummatum est!* Id qvod probant (1) qvia virtute & magno clamore emisit Spiritum. (2) Qvia dicitur animam suam posuisse ipse, non verò Judæi. (3) Qvia idem Psaltes, *Ps. 3. 6.* indicare id voluit; vaticinatur enim ita de Christi morte: *Ego dormivi, & soporatus sum;* qvæ de svavi, & jucundo qvodam sopore intelligenda sunt; Sicut id etiam vox Hebræa, qvæ est hoc loco, indicat. Qvare tunc in cruce ita clamans, dolores fuêre finiti.

Objectio II.

Si opus redemtionis in cruce fuit absolutum, qvomodo Apostolus *Rom. 4. v. ult.* Justificationem nostram resurrectioni Christi adscribit?

Resp. I. Cum *Brentio* distingv. *inter meritum Christi, & ejusdem applicationem;* ipsum meritum consummatum fuit in ara crucis, sed qvoad ejus applicationem opus etiam fuit Christi resurrectione. Nisi enim resurrexisset, non potuisset etiam nobis beneficia sua applicare, non potuisset esse noster advocatus, &c.

II. Acqvisitio meriti Christi in hâc vita est perfecta; applicatio verò ejusdem perficitur in hâc vita inchoativè, in altera vita consummativè.

QVÆ-

QVÆSTIO QVARTA.

An Articulus de descensu Christi ad inferos sit Articulus fidei? Aff.

Objectio I.

Articuli fidei clarè, & non obscurè proponuntur in Scriptura; Hîc non item, uti imprimis constat ex dictis V. T. Ergò.

Resp. I. Distingv. *inter perspicuitatem Scripturæ S. sive qvoad ipsam Scripturam, & qvoad nos*; non de posteriori, qvid nobis sit obscurum, sed priori, an in se considerata, & qvâ talis, sit obscura, qværitur; haud secùs ac si qværatur, an sol sit lucidus; non qværo, an cœcus possit videre solem, sed qvalis sit sol in se.

II. Articuli fidei perspicuè in sacris proponuntur, sed non ubiqve, verùm in sede suâ ordinaria: Sic etiam in sede ordinaria, *Psal. 16. 10. Eph. 4. 9. 10. 1. Pet. 3. 18.* hic articulus satis clarè proponitur.

III. Si verò instituatur conciliatio dictorum V. & N. T. de hoc articulo, respondeo, articulorum fidei claritatem fuisse pro ratione temporis diversam, majorem in N. qvàm in V. T. Hîc enim lux & dies, ibi tenebræ, & nox. Sic Articulus de Deo Triuno clarior habetur in N. qvàm V. T. non tamen propterea desinit esse Articulus.

Objectio II.

Articuli fidei debent esse Catholici, & ab omnibus Christianis credi; Hic talis non est. In Symbolo enim Nicæno non habetur, & à pluribus Patribus in dubium fuit vocatus. Ergò.

Resp. I. Committitur Elenchus definitionis. Articuli enim Catholici sunt, non qvi creduntur ab omnibus, sed qvi debent credi.

II. In Symbolo Nicæno nihil legitur de divinitate Spiritus S. sed illa particula à seqventi Symbolo Chalcedonensi fuit adjecta, indè tamen non seqvitur; Ergò nec ille est articulus fidei.

III. Non egerunt de hoc articulo patres istius Synodi, tum qvia erat is tunc non fuit in controversia, tum qvia nullum erat de hoc articulo dubium.

IV. Symbolum Athanasii non meminit sepulturæ; Ergò nec illa Articulus erit fidei. Absurdum!

V. Patres de hoc articulo non dubitarunt, sed an à præcedenti sit distinctus, disputarunt.

Objectio I.

Articulus fidei in originaria sede debet proponi sine tropis. At hoc non fit hoc loco. Ergò.

Resp. I. Sufficit, si qvoad Substantialia proponatur propriè, sicut de Sacramento Cœnæ constat.

II. Alii ex *Hyperio* distingv. *inter sensum proprium, & literalem.* Illum volunt, qvi etiam qvandoqve admittit tropum, modò non obscurè, sed clarè & distinctè proponatur, qvalem dicunt, sufficere in Articulis fidei; qvo etiam referunt sessionem Christi ad dextram Dei, & hunc articulum: Literalis sensus, qvi nullum admittit tropum, reliqvis præponitur.

LOCUS XIV. DE MAGISTRATU ET CONJUGIO.

QVÆSTIO PRIMA.

An Conjugalis Status sit Status Deo placens?

Aff. Contrà:

Objectio I.

Qvicqvid coinqvinat hominem, illud Deo non placet. Status conjugalis coinqvinat hominem, qvod probatur ex *Apocal. 14. 4.* ubi illi dicuntur stare coram throno Dei, qvi cum mulieribus non sunt coinqvinati. Ergò.

Resp. I. Dictum hoc non est absolutè sumendum de ipso matrimonio, qvia aliàs omnes in hoc statu viventes damnarentur. Ideòqve

II. Alii de amore illicito explicant. Verùm hanc explicationem tum antecedentia, tùm conseqventia non admittunt; Rectiùs explicatur de meretrice illâ Babylonicâ, cum qvâ multi se coinqvinârunt, qvæ modò in plurali numero, modò in singulari nominatur. Et hanc explicationem antecedentia, & conseq. admittunt.

Objectio II.

Qvicqvid impedit orationem, illud Deo placere non potest: Talis est status ille, ut testatur Petrus *1. Epist. c. 3 v. 7.* Ergò.

Resp. Apostolus loqvitur hîc de illis impedimentis, qvæ interdùm in conjugio accidere solent, & hæc sunt removenda, non autem conjugio

jugio adscribenda, in qvo potiùs conjux est Socia precum, unde etiam constituitur Ecclesia domestica.

Objectio III.

Qvicqvid hominem immundum reddit, illud Deo placere non potest. Talis est status conjugalis, ut testatur David *Ps. 51. 7.* Ergò.

Resp. Distingv. *inter conjugium ipsum, & qvod conjugio adhæret*; Illud utpotè à Deo institutum placet Deo, hoc verò displicet, & de hoc, non illo loqvitur psaltes.

QVÆSTIO SECUNDA.

An Sacerdotibus conjugium inire licitum sit; Et num mortuâ prima uxore ad secunda vota transire illis licitum sit? Aff. utrumq; Contrà:

Objectio I.

Qvi in conjugio vivunt, curant ea, qvæ sunt mundi, *1. Cor. 7. v. 33.* Sacerdotes autem curare debent ea, qvæ Domini sunt. Ergò.

Resp. Verba illa respiciunt ad illa tempora, qvo Paulus hæc scripsit, nimirùm tum, cum infideles cum fidelibus cohabitabant tempore persecutionis, & multa negotia facessebant fidelibus, ita ut sæpè ob negotia mundana à negotio Sacro detinerentur; his Paulus dicit, qvod satius sit, ut abstinent à statu illo, si fieri possit, qvàm ut nubant.

Objectio II.

Nemo, qvi Deo servit, implicat se negotiis secularibus. 2. Timoth. 2. 4. Sacerdotes serviunt Deo. Ergò.

Resp. In Sacris negotia Secularia dupliciter accipiuntur, nimirum intelliguntur negotia carnis, qvæ impia sunt. 2. forensia negotia, & politica. De his loqvitur Paulus, qvi ultra peram sibi sapere videntur, & forensia cum publicis concionibus tractant, & hoc est implicare se negotiis Secularibus.

Contra Secundum.

Apostolus *1. Tim. 3. v. 2.* dicit, & prohibet, ne Episcopi sint bigami, sed unius uxoris mariti. Ergò non debent ad secunda vota transire.

Resp. Apostolus loqvitur hîc non de Polygamiâ successivâ, sed eâ, qvæ simul, & eodem tempore fit, ita ut sensus sit: Episcopi non simul habeant duas uxores. Et hunc sensum 1. probat ipsa verbo-

rum enunciatio, cum dicit: *unius uxoris.* 2. Historia Ecclesiastica, qvæ refert, qvòd tum temporis moris fuerit, ut Pastores, & Episcopi duas, vel tres, instar Polygamiæ, habuerint uxores. Hunc igitur morem Paulus vult corrigere, cum dicit, qvod Episcopi debeant esse unius uxoris mariti: Unde etiam qvidam ipsum Paulum uxorem habuisse probant ex *Phil. 4. v. 3.*

QVÆSTIO TERTIA.

An polygamia Patrum fuerit peccatum? Neg.

Contrà:

Objectio I.

Si non fuit peccatum, nobis licet imitari patres in hoc. At consequens falsum. Ergò.

Resp. I. Qvidam Polygamiam Patrum suâ naturâ peccatum non fuisse dicunt, illisq; à Deo esse permissum ratione implectionis vaticinii Abrahæ facti, ut illud eò citius impleretur. Verùm rectius distingvi potest ita, ut polygamia consideretur dupliciter, *vel* absolutè, *vel* respectivè: Absolutè considerata peccatum est. Est enim contra primævam institutionem. Respectivè verò in patribus S. qvatenus Deus eam permisit, peccatum non est.

II. Qvod verò nobis illud imitari non sit licitum, probatur inde, qvia expressum habemus mandatum Christi, qvi *Matth. 19.* hâc de materiâ differens, ad primævam institutionem illam nos revocat.

III. Aliter polygamia est consideranda in Lamecho, & aliter in S. Patribus. Lamech, si nullam habuit divinam concessionem, graviter peccavit; aliter verò in Patribus.

Objectio II.

Qvicqvid Deus permittit, ad duritiem cordis, illud propriè est peccatum. At Deus permisit polygamiam ad duritiem cordis ipsorum, teste Christo, *Matth. 19. 8.* Ergò.

Resp. Duo hîc occurrunt consideranda: Primum est generale, alterum speciale: generale est *v. 4.* ubi Christus instituit conjugium, & ad primævam institutionem revocat, polygamiamq; ve prohibet: unde, ut dictum, si Lamech absqve singulari Dei concessione polygamiam inivit, graviter peccavit. Speciale est *v. 7. & 8.* ubi Christus disserit

ſerit de libello repudii, non verò de polygamiâ: Unde vocabulum illud *permiſit*, mandandi vocabulo exprimitur *Deut. 24. v. 1. durities* verò cordis refertur ad libellum repudii.

QVÆSTIO QVARTA.

An ſolum adulterium ſit cauſa divortii, vel anne etiam deſertio malitioſa poſsit diſſolvere vinculum conjugale? Aff. poſt. Contra:

Teſtimonium Chriſti adducitur *Matth. 19. v. 8* qvi ſolam cauſam divortii ponit adulterium ſive ſcortationem. Ergò.

Reſp. ex collatione hujus loci cum illo, qvæ eſt *1. Cor. 7. v. 15. & 27.* ubi Apoſtolus expreſſè addit malitioſam deſertionem: & diſtingv. *inter divortium factum, & inſtans*: Apoſtolus loqvitur de divortio jam facto. Deſertio enim illa eſt divortium: Chriſtus loqvitur de inſtante, & monſtrat cauſã, ob qvam qvis ordinario modo ſeqveſtrationẽ à conjuge petere poſſit, nimirùm ob adulterium: Ideòq; hæc duo teſtimonia invicem ſibi non contrariantur. Chriſtus loqvitur de illis, qvi divortium faciunt, & his unicum præſcribit medium, nimirum adulterium: Apoſtolus verò de illo agit, qvi dimiſſionem non qværit, ſed potiùs retentionem. Si autem ab altera parte fiat diſceſſio, ibi Apoſtolus modum præſcribit, qvid nimirùm alter conjugum tunc facere poſſit. Chriſtus igitur loqvitur de jure, Apoſtolus de facto.

Sed annon etiam error fortunæ tollit matrimonium? Reſp. qvod non, ex canone illo vulgari: *Error fortunæ non tollit matrimonium.*

QVÆSTIO QVINTA.

An frater poſſit ducere fratris uxorem? N. Contrà:

Producitur teſtimonium ex *Deut. 25. v. 5.* ubi Deus mandat, ut Frater Fratris defuncti ducat uxorem, & tamen *Lev. 18. v. 6.* prohibetur illud expreſſè; qvomodo igitur hæc ſunt concilianda?

Reſp. *Oſiander* ita conciliat, qvod vocabulum *fratris* aliter ſumatur in *Deuteron.* & aliter in *Levitico*: in *Deuteron. Sumitur, inqvit ille, pro cognato ſæpiſſimè, & ſic etiam hoc loco: pro germanis fratribus ſumitur in Levit.* Verum rectiùs reſpondetur cum dicitur, qvod in *Levitico* agatur de *fratre* vivente, in *Deuteron.* de mortuo, & ſic hæc non pugnant: id qvod

etiam

etiam probatur inde: qvia in *Levitico* usurpatur phrasis: *turpitudinem revelare*: in *Deuteronom.* ver simpliciter adhibentur verba matrimonium designantia: Ideòqve necessariò hic locus est distingvendus ab illo. Qvid autem turpitudo sit, id explicatur *Ezech. 33. v. 26.* nimirum qvod sit abominatio, vel ut alii, contumelioſum: & hoc roborat nostram explicationem, ita ut *Deut. 25.* non sit contumelioſum *Fratris* defuncti uxorem ducere, in *Levit.* verò sit contumelioſum, & abominatio, uxorem fratris vivi ducere. Ideòqve

II. Lex in *Levitico* est moralis, in *Deut.* est ceremonialis, populum Judaicum concernens.

Instantia contra ultimam responsionem: Lex in *Levit.* non fuit moralis, qvia non fuit perpetua. 2. Non fuit etiam Ceremonialis in *Deuter* qvia in usu fuit ante illam institutionem, & præterea esset indifferens, & hodie idem Christianis liceret, cum leges ceremoniales sint indifferentes.

Resp. I. Lex moralis dicitur dupliciter; 1. lex enim naturæ dicitur moralis. 2. dicitur lex perpetua, qvæ non qvidem ex nostra natura perpetua est, sed ex voluntate Dei. Lex in *Levitic.* dicitur moralis, qvatenus sumitur pro lege naturæ. Ipsi enim naturæ hæc congruit, qvod etiam in Ethnicis videre est, qvi ob id puniti sunt, qvod ejusmodi incestum commiserint.

Respondeo ad Secundum, 1. propterea non desinit esse lex ceremonialis, qvia ante illam institutionem in usu fuit. Nam aliàs lex de Septima die sc. die Sabbathi sanctificanda non esset ceremonialis, qvia etiam illa in usu fuit ante institutionem. 2. Dist. *inter ceremoniales leges strictè, & latè sumptas.* Est lex hæc ceremonialis priori modo, non posteriori.

Resp ad tertium: I. Distingv. *inter leges forenses, & ceremoniales:* Illæ sunt indifferentes, harum verò usu indifferens non est, sed populum saltem Judaicum concernebant, & typicè Christum adumbrabant; adveniente verò antitypo, cessabant typi.

QVÆSTIO SEXTA.

An anima propagetur per traducem, & num illa propagetur à viro & fœmina simul, vel à viro solùm?

Resp. Stylo Scripturæ anima per traducem à solo Patre propaga-

tur,

tur, qvamvis mater hinc non excludatur, & tutius est dicere: Totum hominem generare, qvam illis difficultatibus se involvere.

Objectio I.

Si anima propagatur à solo patre, seqvitur, qvod mulier non concurrat ad propagationem peccati, cujus propria sedes est anima. At conseqvens est falsum. E.

Resp. I. Non tantùm anima, sed etiam ipsa massa corporea est peccato infecta, qvod probatur ex *Ps. 51. v. 7.* ubi ipsum semen dicitur immundum. Qvamvis igitur primum δεκλικὸν peccati sit anima, tamen semen non excluditur, ad cujus propagationem cum fœmina concurrat etiam, ad ipsam peccati propagationem simul concurrat necesse est.

Objectio II.

Totus homo *Job. 14. v. 1.* dicitur nasci de muliere; ille autem constat ex corpore & anima. E.

Resp. ex collatione *v. 1. cum 10. & ult.* Qvod enim *versu primo* nominat hominem, illud *v. 10.* nominat hominem mortuum, ubi sanè homo non totus intelligitur, & *v. ult.* expressis loqvitur, illum nominans carnem, sive carneam massam.

Objectio III.

Confirmatur hæc sententia testimoniis Patrum, qvi freqventer utuntur illo simili: Sicut ex duabus flammis una tertia resultat numero ab illis distincta: Sic etiam in generatione hominis, &c.

Resp. Simile illud conceditur, qvatenus mirabilitas generationis respicitur, non verò qvatenus modus, qvi longè alius est in generatione, qvàm in accensione illa.

QVÆSTIO SEPTIMA.

An cœlibatus præstet conjugio? Aff. Contra:

Qvicqvid invertit finem creationis hominis, istud haut melius est illo, qvod finem istum exeqvitur. Cœlibatus invertit finem creationis, nimirum qvi est ut homines sint fœcundi, teste *Form. Concord. p. 260.* E.

Resp. Distingv. *inter finem ultimum, & subordinatum:* Finis creationis ultimus est, non ut multiplicent terram, Sed laus & gloria Dei, qvæ magis promovetur in cœlibatu, qvàm in conjugio, teste Paulo,

1. *Cor. 7. v. 32.* undè tale argumentum: In qvo ſtatu magis accedimus ad illum finem, ille præſtat alteri. Talis eſt cœlibatus. E.

II. Diſtingvendi ſunt homines: Qvidam enim habent donum continentiæ, & ſunt inepti ad procreandum liberos, & hi peccant, ſi contrahant matrimonium: Qvidam habent donum illud continentiæ, & tamen apti ſunt; His licitum eſt inire conjugium, &c.

QVÆSTIO OCTAVA.

An Magiſtratum gerere Chriſtianis ſit licitum? Aff. Contrà:

Chriſtus *Joh. 18. v. 36.* diſtingvit *inter regnum ſuum, & mundanum:* Mundus autem Deo non placet. E.

Reſp. Diſtingv. *inter regnum Chriſti Eccleſiaſticum, & Politicum.* Illud verſatur in poteſtate clavium, & non ultra: Hoc verò in poteſtate gladii, & ſic etiam Chriſtus duo hæc diſtingvit: Unde *Lutherus* rectè locutus eſt: Daß die Obrigkeit ſo viel Macht habe an den Predig-Ampte/ als der Teuffel an dem Himmelreiche.

Objectio II.

Exemplum Nimrod, qvi non placuit Deo, ſed fuit Tyrannus. E.

Reſp. Nimrod non placuit Deo non ob officium, ſed ob tyrannidem. Dicitur enim Venator, qvo nomine, *Pſ. 91. v. 3.* illi dicuntur, qvi Eccleſiam turbant, & omnia benè conſtituta evertunt.

QVÆSTIO NONA.

An Magiſtratus Chriſtianus poſſit fœdus inire cum infidelibus, ſive etiam cum iis, qvi ſunt diverſæ religionis? Neg. Contra:

Si licitum eſt conjugium inire cum infidelibus, etiam licebit fœdus inire cum infidelibus. At prius teſtatur Paulus, *1. Cor. 7.* E.

Reſp. I. Qvæſtio noſtra eſt de populo, argumentum verò ſive exemplum qvod adducitur, eſt de perſona particulari. E. nihil probat.

II. Apoſtolus loqvitur de conjugio non contrahendo, ſed de contracto: Qvæſtio verò eſt de fœdere ineundo non inito.

Objectio II.

Si Abrahamo licitum fuit fœdus inire cum Abimelech, etiam hodiè illud licebit. At prius verum. E.

Reſp.

Resp. I. Nec hoc ad qvæstionem qvicqvam facit. Non enim de persona peculiari, sed de populo est qvæstio. Argumentum verò de persona aliqva peculiari agit.

II. Negatur etiam qvod Abimelech fuerit diversæ religionis cum Abrahamo, qvod negant præstantes Theologi, *Lutherus, Brentius*, & alii.

III. Deus ipse *1. Reg. 11. v. 2.* dicit, qvod sint decepturi illos, cum qvibus fœdus ineunt. Jam dicere: Non decipient vos, tunc verba Dei inverterentur, & Deus tentaretur.

IV. Si totus mundus etiam ob id periit, qvod fœdus & consortium inierit cum hominibus infidelibus, certè his temporibus, qvæ illis similia futura pronunciat Christus, non est concedendum illud. At prius patet ex *Gen. 6. v. 1. 2. &c.* E.

Instantia: Judæi tamen tolerantur. E. & alii infideles debent tolerari.

Resp. Tolerantur illi ob spem conversionis, qvam Paulus diserte prædicit, *Rom. 11. 23.* II. Nec etiam fœdus cum Judæis contrahitur, sed locus habitandi illis saltem conceditur.

Objectio III.

Exod. 23. v. 32. Prohibetur qvidem fœdus, sed illa prohibitio videtur tantùm fuisse personalis.

Resp. I. Ex *Brentio & Luthero*, fœdus illud cum Cananæis ratione totalis excisionis fuit personale: Ratione verò ipsius fœderis cum aliis populis non ineundi, fuit morale,

II. Si dicas, nostra etiam fœdera cum Christianis auxilii præstandi gratia ineuntur. Resp. Ipsa etiam fœdera inter Christianos inita, si fiducia in auxilio humano tantùm collocatur, non probanda, sed improbanda.

QVÆSTIO DECIMA.

An continentia sit donum generale, an verò speciale, certis qvibusdam hominibus à Deo concessum? Aff.

posterius: Contra:

Qvicqvid est in nostris viribus, & potestate nostra, illud non est speciale, sed generale donum. Tale est continentia qvod probatur ex *Matth. 19. v. 12.* ubi Christus dicit; qvod qvidam sint Evnuchi, qvi se ipsum castrarunt, &c. E. homo se ipsum castrare, hoc est, donum illud propriis viribus consequi potest.

Resp. I. Generaliter hoc modo: Qvod hæc verba ita sint explicanda, ut consentiant cum *v. 11.* præcedente. Ibi autem dicit Christus, qvod non omnes sint capaces dicti illius. Nec igitur putandum, Christum sibi statim contradicere, imò *v. 12.* argumentum sumit ad thema suum, *v. 11.* propositum probandum. Argumentum autem non debet contrariari ipsius qvæstioni, sive themati.

II. Specialiter ad dictum, qvod Christus ibi loqvatur de illis, qvi cum sentiunt se illud donum continentiæ habere, & abstrahunt animum à matrimonio, vel cum igniculos nonnullos amoris & libidinis sentiunt, illos reprimere possunt, & sic etiam conjugium intermittunt, ut eo modo Deo inservire possint.

Instantia I. Illud, *qvibus datum est*, loqvitur de illis, qvi cum possint, non tamen velint.

II. Nec resolutio illius dicti qvadrabit ad qvæstionem præcedenti versu propositam.

Resp. I. Christus expressè donum hoc speciale esse asserit, cum dicit, *qvibus datum est.* 2. Et Paulus etiam *1. Cor. 7. v. 7.* proprium donũ nominat.

Objectio II.

Paulus 1. Cor. 7. v. 9. liberum pronunciat donum illud. E. non est proprium.

Resp. I. Distingvendum est *liberum* [*in primo gradu*, *& secundo*: In primo gradu donum continentiæ liberum non est, nec de hoc Apostolo sermo est; Sed de libero in secundo gradu, nimirum de illis, qvi cum flammas hasce sentiunt, illas reprimere valeant.

II. Qvod autem Apostolus liberum facit, illud Pontificii necessarium faciunt, ita ut etiam invitos vi ad hæc vota cogant, qvod est contra Apostolum dicto loco.

LOCUS XV. DE FINE MUNDI, RESURRECTIONE MORTUORUM, ET VITA ÆTERNA.

QVÆSTIO PRIMA.

An mundus sit interiturus secundum substantiam, an verò tantùm secundum qvalitates? Aff. prius. Contra:

Ex *Luc. 21. v. 26. & Matth. 24. v. 29.* ubi dicitur: *Virtutes cœlorum mo-*

vebun-

vebuntur. E. non interibunt. Non enim de motu sive mutatione essentiali, sed qvalitativa loqvitur.

Resp. I. Generaliter, qvod non par sit apud utrosqve tractationis ratio: Apud *Matthæum* enim ex professo agit de extremo judicio, apud *Lucam* verò expressè de excidio templi Hierosolymitani differit, qvod docent verba antecedentia, qvæ tamen non nisi analogicè ad extremum judicium referri possunt. Ideoqve.

II. Specialiter respondeo, distingvendo inter illud, qvod judicium extremum & interitum mundi antecedit, & qvod judicii essentiam & interitum mundi ingreditur: Loqvitur ibi Christus de priori, non posteriori.

Objectio II.

Si mundus expectat liberationem à servitute, seqvitur, qvod tum, cum liberabitur, non sit interiturus. At prius est, *Rom. 8. v. 18.* E.

Resp. I. A deductione ad absurdum: Qvia dicitur ibi, *omnis creatura*, &c. Si argumentum procederet, seqveretur qvod nec oves, nec boves, ut & reliqva bruta sint essentialiter interitura, qvod absurdum.

Respondeo igitur, qvod hoc loco sit Prosopopœia, qvà Apostolus ipsis rebus inanimatis sensum tribuit, ad exaggerandam impiorum malitiam, qvod nimirum ingemiscant super impiorum malitiam, & desiderent liberari ab illa servitute. Qvando ergò non amplius inserviunt impiis, tunc ab usu illo liberari dicuntur, imprimis, qvando essentialiter interibunt; non verò credendum est, illas in alium usum tunc vindicandas.

Instantia: Ad primum: Idem etiam dici potest de anima hominum: Si enim omnis creatura ita interitura est. E. & anima.

Resp. Liberatio illa ratione rerum inanimatarum & brutorum erit cum essentiali interitu conjuncta, ratione verò hominum non item.

Objectio III.

Ethnici cognoverunt interitum mundi: Illi autem non essentialem, sed accidentalem tantùm mutationem statuerunt, ut ex *Ovidio* constat. E.

Resp. Distingv. *inter cognitionem rei aliqvalem, & totalem:* Illam, non hanc Ethnici habuerunt: Ab illa autem ad rei veritatem non V.C.

II. Qvæ *Ovidius* de creatione mundi, diluvio & conflagratione mundi habet, illa mimicè ex S. Bibliis desumpta sunt. LXX. enim Interpretum Editiones, sive in Græcum textum versiones, tunc temporis ubivis locorum erant obviæ, qvibus tamen minus crediderunt, qvàm Judæi Christianismo.

Objectio IV.

Ex *Es. 51. v. 6.* talis hîc intelligitur interitus mundi, qvalis erit habitatorum in mundo: Horum autem interitus non est essentialis. E. Propositionis connexio probatur dicto loco.

Resp. I. Illi non rectè procedunt, qvi ex vocabulo *intereundi*, & *pereundi* essentialem interitum colligunt, cum non semper illud procedat, & contrarium ex hoc loco pateat, ideòqve sic responsio illa limitanda: Qvando interitus in Sacris describitur, tunc talis intelligitur, qvo Major esse non possit. Sic cum mundi interitu essentiali major esse non possit, essentialis ille est statuendus: Et sic etiam impiorum interitus, qvamvis non sit essentialis, superat tamen omnem essentialem, & major illorum interitu esse non potest.

II. Ex *Ps. 37. v. 38. 39.* ex qvo hic locus totus est desumptus, qvia non tantùm verba, sed etiam sententia cum hoc concordat. Qvod autem *Esaias* dicit *impios* esse perituros, illud Psaltes explicat per *postrema impiorum*: Per postrema autem præsertim apud *Ezechielem* intelliguntur peccata Veteris Adami. Illa igitur interibunt, & non erunt amplius, qvanqvam justas pœnas impii in judicio futuro sint laturi.

QVÆSTIO SECUNDA.

An Deus novum cœlum & terram novam sit creaturus? Aff. Contra:

Objectio I.

Si Deus creabit novum cœlum, & novam terram, qvæ dicitur esse locus & ϖῆ beatorum, sequitur qvod Deus sit creaturus novum Deum, qvia ipse Deus futurus est locus, in qvo habitabunt beati. E.

Resp. Triplici modo 1. Falsam sententiam, & dictorum illorum, qvæ de creatione novi cœli loqvuntur, expositionem, refutando; 2. Veram sententiam ponendo; & 3. Argumentum objectum solvendo.

I. Sunt qvidam, qvi dictum *Es. cap. 65. v. 17.* explicant non de tempore

pore futuri judicii, sed de tempote nati Messiæ, ita ut per novum cœlum intelligant novam Ecclesiam, id qvod probant ex *v. ult.* collato cum *v. 6. c. 11.* Et sic expedita esset responsio ad argumentum: Verùm qvo minus hanc resolutionem acceptemus, facit applicatio, *Petr. 2. Epist. c. 3. v. 13.* ubi expressè non de nova Ecclesia, sed creatione novi cœli explicatur. Alii intelligunt per novum cœlum, cœlum non novum creatum, sed renovatum: Verum qvod nec hanc acceptemus, facit locus *Apoc. 21. 1.* ubi expressè, *qvod priora non amplius sint.*

II. Vera igitur hæc sententia est, qvod per novum cœlum intelligatur cœlum illud, qvod Deus post extremum judicium vi omnipotentis sui verbi faciet, qvodqve erit habitaculum piorum.

